ZHI
Bouty

EXPOSITIO RUBRICARUM

BREVIARII,

MISSALIS ET RITUALIS ROMANI.

I.

EXPOSITIO
RUBRICARUM
BREVIARII,
MISSALIS ET RITUALIS ROMANI,

CUM

ADNOTATIONIBUS DE ORIGINE, RATIONE AC SENSU MYSTICO RUBRICARUM, CAEREMONIARUM ET FESTORUM,

CURA

G. F. J. BOUVRY,
S. T. L. et SS. Rituum Prof. in Semin. Tornac.,

in IV partes distributa.

TOMUS I,
COMPLECTENS I^am ET II^am PARTEM.

PARS I. DE RUBRICIS IN GENERE.
PARS II. EXPOSITIO RUBRICARUM TAM GENERALIUM, QUAM SPECIALIUM BREVIARII ROMANI.
Ad calcem exscribuntur S. Sedis decreta, quae videntur necessaria aut magis utilia, pro materia in hoc tomo tractata.

WEISSENBURGI
SUMTIBUS CAROLI FRIDERICI MEYER.
1860.
Ratisbonae apud G. J. Manz.

PRAEFATIO.

Ipse titulus, huic opusculo praefixus, declarat quod sit illius objectum et scopus. Non inscribitur: *Rubricae et Caeremoniae*, sed *Expositio Rubricarum, etc.* Propositum enim mihi non est meram exhibere Rubricarum et Caeremoniarum collectionem seu indicem, sed easdem ita meis Auditoribus proponere, ut valeant, exiguo labore, *a)* discernere certa ab incertis, non ex verbis magistri, sed ex fontibus allegatis, *b)* intelligere quare conditae sint Rubricae et Caeremoniae, et quidem unae prae aliis *(cf. pag. 4), c)* quis sit earum sensus [1], *d)* ac tandem cognoscere non solum leges liturgicas de Officio divino, de Festis, de SS. Missae Sacrificio, de Sacramentis, etc., verum

1) »Causas historicas eas vocamus in Ritibus, inquit Gavantus *in praef. tom. 1*, quae ad litteram, ut aiunt, dedere Ritum; mysticae sunt eae, quae sensum reddunt, vel allegoricum, vel tropologicum, vel anagogicum; quas fere nunquam (nisi tacentibus aliis) ex nostro ingenio, sed ex majorum, uti par est, auctoritate congerimus, citato tantum auctore primo, a quo caeteri deinceps acceperunt: neque tamen omnes, quas legimus, causas praesertim mysticas allegamus, solidioribus contenti, et gravioribus.« Cf. dicta cum Bened. XIV, *pag. 394*.

etiam ea de eisdem scire quae ita utilia sunt viro ecclesiastico ut dedecere videatur eadem ab ipso ignorari [1]. Ut autem ad propositum scopum, pro viribus, attingerem, haec praestare conatus sum.

1. Praemissa, in I Parte, introductione de Rubricis in genere, exponuntur in II, III et IV Parte, Rubricae Breviarii, Missalis [2] et Ritualis, servato horum librorum ordine, ita ut, quantum fieri possit, quaelibet Rubrica reperiatur explicata suo loco, vel ibi indicetur propria sedes ubi quaestio tractatur.

2. In I Parte, agitur praesertim de scopo et obligatione Rubricarum, atque de earumdem fontibus. Dicitur quinam sint diversi earum fontes; quae sit horum vis et relatio *(pag. 14 sqq.)*. Quia vero de S. R. C. Decretorum interpretatione et usu, de consuetudinibus servandis aut reprobandis in liturgia, proferuntur sententiae e diametro oppositae, ideo necessarium existimatum fuit paulo latius inquirere quaenam sit ea de re Ecclesiae mens et voluntas *(pag. 31, n. 19 et pag. 53 sqq., n. 33)*. Attamen ad consulendum claritati et parcendum tempori Lectoris, expositioni praemittitur summa doctrinae, prout opportunum videtur

1) Ne textus nimis complicatus evadat aut longior, pro scopo, et ne aliunde multa omittantur scitu valde utilia, haec in notis apponuntur.

2) Gavantus incipit a Missali. »Totius ordo, inquit *in praef. tom. 1,* is erit, ut a Missa incipiamus, tanquam a nobiliori parte.« Putavimus potius incipiendum esse a Breviario, vestigiis Cavalerii inhaerendo. *Pag. 57.*

(pag. 127, n. 6). Quod fieri solet in decursu aliarum partium.

3. In II, III et IV Parte, exponuntur, uti jam monitum est, Rubricae Breviarii, Missalis et Ritualis, aliaque de Festis, etc., quae opportuna videntur. Porro in exponendis Rubricis, haec servatur methodus. Praemittitur integer textus[1], accurate[2] a commentario distinctus *(pag. 75).* Quae distinctio indicari solet typis paulo latioribus *(pag. 127, not. 2)*, additis insuper his litteris, ***Rub.***, quoties textus reassumitur post commentarium interpositum. Aliquando tamen textus exprimitur iisdem typis ac commentarius; sed in casu aliunde dignosci potest quaenam sint Rubricae verba, uti v. g. *pag. 242 sqq.* Textus autem non mere explicatur, sed etiam suppletur, quoties aliquid in eo desideratur ad habendam doctrinam completam. Ad hunc finem, pro opportunitate, adduntur appendices, v. g. ad *Sect. III, Part. 2.*

Textus Rubricarum sedulo collatus fuit cum textu

1) »Ita nos collaudante Cardinale Bellarmino, inquit Gavantus *in praef. tom. 1*, ordine Rubricarum servato, recitatoque earumdem textu, addemus ad singula verba, ubi est opus, commentaria et notas.«

2) In hoc tomo nunquam commentarius intercalatus est in ipso textu. Idem in altero tomo servatur, praeterquam quod aliquando una aut altera vox explicationis apponitur in ipso textu; ita tamen ut obvia sit distinctio inter textum et voces additas. In eodem tomo 2°, quo facilius reperiantur loca citata, ad paginarum caput apponetur non solum Titulus materiae, sed etiam objectum ipsius Tituli.

quem tradit Deherdt [1], et cum illo qui habetur in editionibus Hanicquianis. In Rubricis Breviarii paucissimae, et hae nullius momenti, inventae sunt lectiones variantes ita ut de his nulla mentio fuerit facta. Cf. pt. Tit. XI, 2, ubi *linea 11 et seq.*, *pag. 267*, legitur: *in Rubrica ... ex solemnibus ...*, juxta editionem Hanicquianam; dum apud Deherdt, habetur: *in Rubricis ... ex solemnioribus...*

4. Ad explicandum aut supplendum textum, recurritur ad fontes secundarios *(pag. 127, n. 5 etc.)*. Ut autem in specie sciatur quae sit vis cujusque commentarii, advertendum est, ex dictis in 1 parte, quae sit vis fontis allegati, an certo vel tantum probabiliter sit applicandus ad casum. Ideo in laudandis fontibus secundariis ad id maxime attenditur ut Lector statim perspiciat quae sit eorum vis. Unde:

1° S. Sedis Decreta diversimode citantur. *a)* Verba, *ita S. R. C.*, vel *dec. talis diei*, indicant propositionem praecedentem doceri a S. R. C. — *b)* Verba, *ex decreto*, *juxta dec.*, vel aequipollentia insinuare solent propositionem praecedentem non doceri a S. R. C., expressis aut fere expressis terminis, aut non tradi tanquam regulam generalem, sed ex decreti verbis

1) „Adhibui, inquit Deherdt, *tom. 1, pag. VIII,* Missale Romanum Romae impressum 1845 typis Clementis Puccinelli, via lata n. 211, ad forum Collegii Romani; Breviarium Romanum Romae impressum 1843, typis Josephi Salviucci et Francisci Filii; item Rituale Romanum Pauli V, Pontificis Maximi jussu editum et a Benedicto XIV auctum et castigatum, Romae impressum typis S. Congregationis de propaganda fide, anno 1847.“

plus minusve certo deduci, mediante aliqua ratiocinatione aut paritate. — *c)* Verba *Cf.*, *vid.* aut aequivalentia indicant decreta, quae non necessaria, sed utilia videntur ad explicationem aut probationem. — *d)* Tandem verba, *Cf. pt.*, *Cs.*, usurpari solent quando in decretis nihil reperitur, quod non contineatur, et quidem certo, in ipsa Rubrica *(vid. not. pag. 31)* aut in alio decreto citato. Istiusmodi enim decreta non citantur ad confirmandam Rubricam, sed propter aliquam rationem extrinsecam, v. g. quia quidam adhuc dubitant de sensu illius Rubricae quamvis sit clara, vel quia in decreto citato aliquid habetur quod explicandum est juxta Rubricam, etc. Caeterum in quolibet casu attendendus est contextus, qui non parum confert ad intelligendum in quo sensu citetur decretum.

2° Pariter Auctores ita citantur ut statim Lectori innotescat quid docuerint. Circa quod sequentia sunt notanda. *a)* Communiter propria illorum verba referuntur, solitis signis „ “, a contextu distincta: commoda enim quae ex hac verborum transscriptione oriuntur, praestare visa sunt incommodis, quibus obnoxia est hujusmodi transscriptio. — *b)* Auctorum sententiae non censentur approbari, eo solum quod referuntur: sed ex contextu judicandum est an et quousque approbentur. — *c)* Sicuti S. R. C. Decreta, ita Auctores diversa ratione citantur: aliquando adhibetur hoc verbum, *Cf.*, aliquando istud, *Cs.* In primo casu remittitur tantum ad Auctorem, nullo lato judicio de ejusdem sententia; in secundo autem citatur tanquam patronus ejusdem sententiae. Quandoque etiam textus

explicatur nullo citato decreto aut auctore, v. g. quando ratio et vis interpretandi satis est manifesta. Idem fit, quando aliquid asseritur de quo satis cognoscitur, sive per se, sive ex contextu, quousque certum sit aut probabile.

5. In citandis decretis S. R. C. nulla solet apponi distinctio inter Decreta et Rescripta in sensu stricto accepta *(pag. 19, n. 2)*; insuper aliquando, brevitatis causa, omittuntur verba, *S. R. C.*, et tunc semper intelligitur decretum ab hac S. Congregatione emanatum.

Quaedam decreta *in extenso* referuntur vel quia a nonnullis in sensu diverso allegantur, vel quia non solum dubium propositum solvunt, sed etiam aliquam regulam clare et breviter ponunt. Hujusmodi autem decreta referuntur propriis terminis, vel suis locis in decursu operis, vel in serie Decretorum quae apponitur ad finem cujusque tomi. Desumuntur regulariter ex collectione Gardelliniana *(pag. 25, not. 2)* et interdum ex alio fonte plus minusve digno, prout facile dignosci poterit.

6. Ex Auctoribus, illi praeferuntur qui noscuntur magis investigasse et fidelius expressisse Ecclesiae voluntatem et mentem *(pag. 56 sqq.)*, vel qui reputantur magis fideles in referendis factis historicis, aut magis perspicaces in iisdem discutiendis. Hoc autem duplici respectu, secundus locus a nemine dabitur Benedicto XIV [1]. Et ideo ejusdem verba referuntur quoties

1) Passim in scriptis Benedicti XIV multa reperiuntur quae ad liturgiam pertinent. Insuper existunt duo ejusdem opera de

casus occurrit. Saepe etiam utor verbis Gavanti, Merati, Cavalieri, Baruffaldi et Gardellini, quorum auctoritas nimis nota est ut ego, meis encomiis, tentem eam extollere. Tantum observo 1° Gavantum fuisse ex illis eruditis et sapientibus viris qui, jussu Clementis VIII et Urbani VIII *(pag. 104 et 108)* suam serio curam contulerunt reformationi Breviarii; et 2° ejusdem scripta fuisse subjecta rigoroso examini S. R. C., uti ipse praemonet in sua *Praefatione, tom. I.* Asserit se, ad perficiendum opus, omnem movisse lapidem, „cum legendo, tum a peritioribus sciscitando, tum disputando in utramque partem, tum postremo haec eadem scripta S. R. C. examini, quod fuit rigorosum, subjiciendo, acerrimis ingenio, judicio, prudentia, et in omni doctrinarum genere peritia clarissimis designatis judicibus Jo. Garzia Millino, et Tiberio Muto *(alias Muta)* S. R. E. Cardinalibus, Dominis meis illustrissimis, et toto Orbe celeberrimis."

Praeter AA. citatos, multi alii de rebus liturgicis scripserunt, et quidem non sine laude et successu. Meum, procul dubio, non est definire quaenam sint uniuscujusque merita, et mihi satis erit adnotasse non omnes scriptores de rebus liturgicis eumdem scopum sibi proposuisse, et eos, qui eumdem sibi proposuerunt, non eadem methodo usos fuisse, prout aliquatenus dignosci poterit ex *Indice Titulorum operum de*

liturgia, quorum tituli sunt: *Commentarius de D. N. Jesu Christi Matrisque ejus Festis.* Duo tomi. *Lovanii 1761.* — *Commentarius de sacrosancto Missae sacrificio.* Duo tomi. *Lovanii 1762.*

Liturgia, qui datur ad calcem h. tomi. Quamvis autem tot viri tamque egregie scripserint de S. Liturgia, nihilominus confido hoc meum opusculum non fore inutile ad finem intentum *(pag. V)*.

Ratio dividendi commentarium in 4 partes, obvia est. Quod subdivisiones seu partium divisiones attinet, eaedem servantur quae habentur in Breviario *(pag. 58 et 127)*, Missali et Rituali.

Initio cujusque tomi reperitur Index partium, capitum, etc. Praeterea ad finem secundi tomi datur Index generalis, indicans, ordine alphabetico materiam totius operis.

An et quousque finem intentum assecutus sim, judicabit Lector. Quod ad me attinet, unum superest observandum. Si, pro mea imbecillitate et contra voluntatem, aliquid irrepserit quod, vel parum, adversetur voluntati aut menti S. Matris Ecclesiae, cui tanquam filius obedientissimus, totis viribus addictus sum, illud omnino reprobo et ut non scriptum habendum volo. Si quid autem cesserit ad decorem divini cultus et ad utilitatem meorum Auditorum, hoc a Patre luminum descendit et ad eumdem est referendum.

Tornaci, *22a Julii 1857.*

INDEX TOMI I.

PARS I.

DE RUBRICIS IN GENERE.

SECTIO I.

RUBRICARUM NOTIO — DEFINITIO ET DIVISIO — SCOPUS ET EXCELLENTIA — OBLIGATIO.

SECTIO II.

FONTES RUBRICARUM.

PARS II.

DE RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

SECTIO I.

DE OFFICII DIVINI ET HORARUM CANONICARUM NOMINE. — ORIGINE ET PARTIBUS.

1) Ad hunc art. praemittitur summa doctrinae exponendae; quod etiam fit in sequentibus, quando utile videtur.

pag.

SECTIO II.

DE PRAELUDIIS BREVIARII ROMANI.

SECTIO III.

EXPOSITIO RUBRICARUM GENERALIUM BREVIARII [1].

1) Haec 3ª Sectio subdividi potest in tres partes, scilicet: 1ª a Tit. 1 ad 12; 2ª a 13 ad 18; et 3ª a 19 ad ultimum. Cf. dicta *pag.* 127, *n.* 4.

SECTIO IV.

PROPRIUM DE TEMPORE.

SECTIO V.

PROPRIUM SANCTORUM.

SECTIO VI.

COMMUNE SANCTORUM, DEDICATIONIS ECCLESIAE, B. M. V. ET DEFUNCTORUM.

PARS PRIMA.

DE RUBRICIS IN GENERE.

Haec prima pars, ut prae se fert ipsius Titulus, quaestiones generales et praeambulas tractat, quae, prout ex dicendis patebit, necessariam constituunt *Introductionem* ad Rubricas. Ea vero, spectata quidem potius congrua materiae partitione quam logica necessitate, *in duas dividitur Sectiones.* Quarum *Prior* breviter exponet Rubricarum Notionem, Definitionem, etc. *Posterior* de earumdem Fontibus paulo fusius tractabit.

SECTIO PRIOR.

RUBRICARUM NOTIO — DEFINITIO ET DIVISIO. — SCOPUS ET EXCELLENTIA. — OBLIGATIO.

ARTICULUS I.

NOTIO.

1. Etymon vocis *Rubricae.* — 2. Rubricarum objectum est *Liturgia.* — 3. Liturgiae notio. — 4. Liturgia nunc tria complectitur, scilicet: *Ordinem*, *Ritus* et *Caeremonias.* — 5. Relatio, quam juxta Rubricistas inter se habent Ritus et Caeremonia. — 6. Hodierna illarum vocum communis acceptio. — Dici possunt quasi *picturae*, *vestes* et *characteres.*

1. *Rubrica* proprie est quaedam species rubri coloris qua solent artifices ducere lineas ad sua opera concinnanda. Hac terrae specie consueverunt antiqui librorum titulos, capita et indices notare, praesertim vero titulos et inscriptiones legum; quare Juvenalis *Sat. 14: Perlege rubras Majorum leges.* Hinc factum est, ut leges ad Missam, officium, aliaque Sacra celebranda, rubro in titulis et capitulis colore, saltem olim, tingerentur ideoque Rubricae nuncupatae sunt, *Fornici* [1], *cum Gav.* etc.

1) In opere cui titulus: *Institutiones liturgiae, ad usum Seminarii Romani*, edito Romae 1825 et Sancti-Clodii 1851 cum notis editoris, Fornici ad Ecclesiasticorum eruditionem et utilitatem feliciter exponit sacrorum Rituum originem, veritatem et significationem.

2. *Rubricarum objectum* est *liturgia* sub qua comprehenduntur Ordo servandus, Ritus et Caeremoniae peragendae in functionibus ecclesiasticis.

3. „*Liturgia* ex graecis vocabulis λέιτος et ἔργον, quodcumque publicum munus, seu ministerium denotat. In his propterea, quae in publicis occurrebant muneribus, ea voce usi sunt Ethnici Scriptores. Cumque nulla actio, nullumque sit apud Christianos tam publicum ministerium, quam actio Sacerdotis Deo sacrificium offerentis; hinc ab ipsis Ecclesiae nascentis incunabulis, *Missa*, quam diversis appellarunt nominibus Graeci et Latini Patres, generali quadam denominatione dicta fuit *Liturgia*, addito tamen epitheto *sacra;* et deinde ipsum nomen translatum ad contextum, et ordinem Sacrificii; atque etiam libro, in quo rei divinae conficiendae ritus praescribebatur, Liturgiae titulus praefixus fuit, additumque Auctoris nomen, nempe *Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi, etc.*

Quamvis autem sacrosanctum offerre sacrificium principale sit munus publice in Ecclesia Dei a sacerdotibus obeundum; cum tamen Horas canonicas persolvere, sacramenta conferre et administrare, et reliquas ecclesiasticas functiones peragere, publica quoque sint ministeria ab iisdem exercenda; hinc *Ordo* in hisce omnibus servandus *Liturgia* nuncupatur.“ *Fornici cum aliis.*

4. Porro Liturgia tria, ut dictum est, complectitur scilicet *a)* ordinem quo peragendae sunt dictae functiones, *b)* earum Ritus et *c)* caeremonias. Quid sit dictus *ordo* satis patebit ex Rubricis praesertim generalibus [1].

5. „Quid veniat nomine *Ritus* prout distinguitur a *Caeremonia,* non conveniunt Doctores. Macrius vult caeremoniam esse ipsam actionem sacram, qua divinus cultus peragitur; Ritum vero esse modum, quo actio ipsa facienda est. Alii dicunt, quod ritus sint omnes et quaecumque circumstantiae substantiales ad Sacra exercenda, sive verba sint, sive actiones; caeremoniae vero, exteriores actiones et circumstantiae accidentales ad majorem tantum decentiam ordinatae. *Cf. Trid. Sess. 22, cap. 5, de Sacrif. Missae.*

6. Quidquid autem sit de varia auctorum sententia in

1) Dictus ordo praesertim respicit relationem quam sacrae functiones et earumdem partes habent inter se V. G. quod officium tali die recitandum, quae Missa celebranda, quae eorumdem partes.

ritibus et caeremoniis praecise definiendis, hodie caeremoniae, et ritus indiscriminatim usurpantur ad leges et regulas significandas, quibus continetur cultus Religionis externus; sunt enim hujus quasi *picturae*, *vestes*, et *characteres*, ut optime *in sua compendiosa sacrorum Rituum explanatione* animadvertit Basso Ecclesiae Novariensis Caeremoniarum Magister. *Picturae* quidem, quibus homines ignari et rudes adjuvantur, et quod litterae in conservanda rerum memoria praestant, id caeremoniae in Religione retinenda; harum beneficio sensus Ecclesiae declarantur, qui idcirco saepe intelliguntur, ut cum super infantes in Baptismate fiunt insufflationes, significatur, peccatum expelli foras per gratiam Dei. *Vestes* insuper, et *characteres;* quo enim modo ex vestibus dignoscuntur nationes, et hostes in bello sua habent signa et vexilla diversa, quibus discerni queant inter se, eo pariter habent Fideles externas caeremonias, ut ab omni haereticorum proluvie dignoscantur." *Fornici op. cit.*

ARTICULUS II.

DEFINITIO ET DIVISIO.

1. *Rubricae* ita definiri seu describi possunt: *Leges aut regulae juxta quas ordinandum et persolvendum est Divinum Officium, ordinandum et celebrandum est SS. Missae. Sacrificium, administranda sunt sacramenta, peragendaque alia ecclesiastica munia.*

2. *Rubricae* dividuntur 1° in *praeceptivas* et *directivas tantum.* Hinc dicuntur Leges aut regulae: *Leges,* quia quae sunt praeceptivae obligant in conscientia — *aut regulae,* quia quae sunt directivae tantum non obligant in conscientia, sed sunt materia merae directionis et instructionis [1]. Cf. S. Lig. *Theol. mor. n. 399 de Euch. ad* 3^m^ *sententiam.* An et quaenam sint mere directivae, dicetur infra *art. IV.*

2° Ratione objecti dividuntur *a)* in *Rubricas Breviarii, Missalis, Ritualis, Pontificalis et Caeremonialis Episcoporum. b)* Eadem ratione objecti, Rubricae Breviarii et Missalis dividuntur in *Generales* et *Particulares*, prout de generali aut peculiari materia agunt.

1) Juxta quosdam Auctores Rubricae *praeceptivae* sunt quae obligant sub peccato mortali ad servandos Ritus in eis praescriptos; *directivae* autem quae nullam imponunt obligationem, sed sunt consilia et instructiones. Sed haec notio caret fundamento. *Cf. s. Lig. etc.*

ARTICULUS III.

RUBRICARUM SCOPUS SEU FINIS, EXCELLENTIA ET OBLIGATIO.

1. *Scopus* indicatur. — 2. Bulla Sixti V de eodem. — 3. Ad dictum finem conducunt Rubricae tum *per se*, tum quatenus Cultum reddunt uniformem. — 4. Excellentia. — 5. Inde jam fluit tum necessitas incumbendi studio Rubricarum, tum obligatio easdem rite servandi. Quod exemplo militum confirmatur. — 6. A qua obligatione nequaquam se eximet sacerdos sive praetextu nimiae difficultatis, sive defectu temporis.

1. SS. Rituum scopus eo tendit ut sacrarum rerum majestas commendetur, fideles instruantur eorumque pietas, meditatione altissimarum rerum, excitetur atque nutriatur. Haec docet Sixtus V in sua Bulla 74, *Immensa aeterni Dei,* qua die 22 Januar. 1588 varias instituit Congregationes. Legitur tom. 2. Magni Bull.

2. In dicta Bulla § *de Congregatione quinta, pro sacris Ritibus et caeremoniis*, *sequentia habet.*

„Jam vero, cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta ex Apostolica traditione et disciplina utitur, in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam Christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis etiam igne inflamment, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus et caeremoniis conservandis, instaurandisque magis augere.

„§ I. Quinque itidem Cardinales delegimus etc.," ut infra § IV, sect. 1, P. 1. Cf. Trid. *Sess. 21, cap. 2, de communione*, et *Sess. 22, cap. 5, de Sacrif. Missae; catechism. Rom. de Sacram. in gen. n. 18, Dens tom. V, de Sacram. in gen. n. 48, V,* et *S. Thom. ibi cit.*

3. Ad dictos fines obtinendos conducunt Caeremoniae et Ritus non solum quatenus ad hoc per se sunt apti, sed etiam quatenus, quantum fieri potest, sunt uniformes in tota Ecclesia praesertim latina." Sane, inquit Clemens P. VIII, in Bulla [1] *Cum sanctissimum*, omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, et de uno corpore Christi participamus, una et eadem cele-

1) Haec legitur initio Missalis.

brandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo Sacrificio utamur. „Quod procul dubio militat pro Sacramentorum administratione et pro quocumque Ecclesiae officio aut functione sacra. Hinc illa constans sollicitudo qua Sancta Mater Ecclesia inde ab exordio semper curavit, ut uniformes conficerentur libri Liturgici, invigilatque ut hi soli in tota Ecclesia latina, quantum fieri potest, adhibeantur, puri serventur [1], atque iidem prudenter resumantur in locis, ubi alii libri illis suffecti sunt aut contrarii usus invaluerunt.

4. Qui haec animo revolverit, facile perspiciet quomodo eo adductus fuerit Fornici, ut statim ab initio Praefationis ad suas *Institutiones Liturgicas* [2] hoc encomio extolleret sacrorum Rituum excellentiam. „Sacrorum Rituum disciplinam Dogmaticae, Scholasticae et Morali Theologiae multum antecellere, non minus vere quam audacter affirmare non dubitavit clarissimus De Azevedo S. J. in sua ad res liturgicas Praefatione. Illae enim, inquit ipse, posterioribus saeculis exortae sunt [3]; haec ab ipsis Ecclesiae incunabulis originem duxit [4]. Illae longe remotius Deum spectant; haec

1) Ad hoc instituta est S. R. C. Vid. infra.

2) *Cit. supra Art. I.*

3) Hoc intelligendum est non de veritatibus, sed de expositione scientifica Theologiae Dogmaticae, etc.

4) Rubricas autem esse ipsas Missalis leges (agitur ibi de Rubricis Missalis), et quidem antiquissimas optime asserit Gavantus, ait *Merati Part. I, n. I,* et revera — prosequitur hic — aliquas etiam, non vero omnes, a primis Ecclesiae temporibus institutas, vetustorum Patrum, Apostolorum auctoritate pariter comprobatas esse, colligitur ex Concil. Trident. *Sess. 22, cap. 5,* ubi ait: in Missa *Caeremonias adhiberi, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, Vestes aliaque id genus multa, quae ex Apostolica disciplina, et traditione derivant.* Colligitur eadem veritas ex nonnullorum Patrum auctoritatibus, praesertim vero ex Sancto Justino Martyre, et id optime observat Theodoricus Ruinart *inter acta sincera Martyrum in admonitione ad ejusdem Sancti Justini Martyris acta n. 10,* ubi ait: *quod ex illius scriptis praecipuorum Sacrae Religionis nostrae Mysteriorum veritas confirmatur, Sacramentorum Ritus, praecipuaeque Liturgiae Sacrae partes exponuntur;* et ex inferius a nobis dicendis eadem veritas magis comprobabitur. Praedictas autem Caeremonias, et Ritus, temporis processu, a Pontificibus auctas, et restitutas, vel contractas, Ecclesia semper retinuit, et ad posteros transmisit, quae in nostris Missalibus adhuc perleguntur, additis tamen aliis, quae de novo instituuntur, officiis, immutatisque aliis, prout locorum, et temporum

ad ipsum Dei cultum refertur. Illae ad bonos tantummodo mores communiunt; haec solidos pietatis fructus affert. Illae denique in sola rerum divinarum plerumque cognitione conquiescunt; haec ita cum rebus divinis implicita est, et cohaeret, ut ab iisdem sejungi non possit."

„Maxima quoque accedit huc facultati dignitas, quod primus illius Auctor et Magister in Veteri Testamento Deus ipse fuerit, qui Religionis actus, quibus debitum sibi cultum a Judaica Natione exigebat, dilucide ac distincte tradidit; et postquam advenit plenitudo temporis, nudis et egenis elementis, in quibus sola quaedam species erat exterior sanctitatis, ritus multo excellentiores subrogavit ipsa Increata Sapientia, illos partim instituens et edocens, partim aliis instituendos atque edocendos vicaria potestate committens."

„Quid ergo scientia Liturgica praestantius? quid excellentius? quid utilius? Jam ergo si ad alias sacras disciplinas addiscendas, ab his qui in sortem Domini vocati dispensatores esse debent mysteriorum Dei, maximopere incumbendum est, quanto magis ab iisdem elaborandum, ut perfecte polleant hac rerum Liturgicarum doctrina ad digne pariter et fructuose injuncta ministeria adimplenda?" Cf. dicta infra *de obligatione Rubricarum.*

5. Interim hic exscribi meretur quod hac de re animadvertit *Janssens, in sua Introd. § 6, n. 13.* „Quemadmodum, inquit, milites, etiam gregarios, videmus in arte bellica peroptime instructos, a subalternis officialibus perfecte exercitatos, ac propterea suis in exercitiis militaribus undequaque cum omni dexteritate ad circumstantium admirationem et jucunditatem summe agiles et expeditos, ut merito timendum sit, ne in tremendo Judicii die ab ipsis militibus, etiam gregariis, graviter, et Jure quidem, Nos Ministri sacri confundamur." *Cf. Gardell. n. sq. cit.*

6. Neque valebit sacerdos se excusare praetextu vel difficultatis qua removeatur a studio et praxi Rubricarum, vel defectus temporis quod possit insumere in Rubricis addicendis aut retinendis.

varietas postulavit, qui in usu erant, Ritibus, et Caeremoniis. Nemo quippe inficiari potest adesse in Ecclesia potestatem de novo instituendi, veteres abrogandi leges, quas Rubricas apellamus, prout Ecclesiae majestati, et utilitati, ab eadem Ecclesia divinitus illustrata congruum judicatur.

Jure breviter responderi posset ab Ecclesia impossibile non juberi. Placet tamen aliquantulum enodare praetensam difficultatem. Quoad primum, tanta non est difficultas quanta fingitur; non enim de erudita sed tantum de necessaria scientia seu cognitione agitur. Ad hanc autem non requiritur, ut omnia Rubricistarum monita et placita legantur et memoriter teneantur, quinimo neque omnes Rubricae debent sciri. Sed sufficit scire illas quae communioris sunt usus, caeterasque ita intelligere et generatim cognoscere, ut, casu occurrente, sacerdos possit ad illas recurrere et ex illis eruere quid certo aut probabiliter ipsi sit agendum aut agere conveniat.

Ad hoc sane insumi non debet multum temporis. Quod procul dubio non deerit ulli sacerdoti sui muneris vel parum studioso. Et generatim dici potest quod *Gardellini ad n. 4392, 3,* adnotat de ignorantia Rubricarum Breviarii. „Qui tali ignorantia, inquit, teneretur, sub gravi debet haurire scientiam, quam ejus exigit status, et conditio. Omnes enim, qui ecclesiasticam militiam sequuntur, et ad horas canonicas obligantur, ut easdem rite possint ordinare, Rubricarum scientia pollere debent. Neque ignorantia eos excusat a culpa, cum haec nequeat non esse crassa, et supina."

ARTICULUS IV.

OBLIGATIO RUBRICARUM.

1. *Scopus* et *excellentia* Rubricarum satis ostendunt Ecclesiam velle ut obligent in conscientia. — 2. Eadem obligatio magis inculcatur ex terminis ipsis Rubricarum aut Oraculi Sanctae Sedis. — 3. Datur terminus seu forma *a) praeceptiva, b) meri consilii* et *c) aequivoca.* — 4. De solis Rubricis formae aequivocae, quaestio esse potest, an obligent. — 5. Quinimo nec de his dubitari potest, si praecipiantur *in specie* per aliam legem. — 6. Decretorum verba quibus jubetur observatio Rubricarum *Ritualis, Missalis, Breviarii, Pontificalis Rom.* et *Caeremonialis Episcoporum.* — 7. Conclusiones quae inde *certo* aut *plus minusve probabiliter* fluunt quoad obligationem harum Rubricarum, quae *aequivoca forma* exprimuntur. — 8. Non constat dari Rubricas quae sint mere directivae propter parvitatem materiae. — 9. Summa doctrinae de *mere directivis* et de *praeceptivis.* — 10. Argumentum a fortiori petitum ex Caeremoniis veteris Legis.

Supra § II Rubricae distinguuntur in *praeceptivas* et in *mere directivas.*

1. Ex dictis de scopo et excellentia Rubricarum jam satis constat non omnes Rubricas esse mere directivas.

Nam etsi Legis obligatio seu, quod idem est, Legislatoris voluntas obligandi subditos, nobis *praesertim innotescit* ex verbis quibus lex constituitur aut promulgatur, eadem etiam dignoscitur ex circumstantiis praecipue ex materia et fine. Hoc respectu, scopus et materia Rubricarum satis manifestant voluntatem Ecclesiae esse, ut in conscientia, saltem generice loquendo, obligent.

2. Quae igitur hic de obligatione Rubricarum magis directe exponuntur, eo tendunt ut, attentis ipsis verbis vel Rubricae vel Oraculi S. Sedis praecipientis Rubricarum observantiam, earumdem obligatio magis inculcetur et praesertim ut quaedam ponantur regulae, unde distingui possit quaenam sint *certo* aut *probabiliter* tenendae tanquam praeceptivae aut mere directivae. Hocque eo accuratius et latius exponendum videtur, quod Auctores, uti merito observat *S. Lig. Theol. mor. de Euch. n. 399*, valde confuse de hac re loquuntur.

3. Porro inter Rubricas aliae exprimuntur forma *praeceptiva,* v. g. illa quae vetat ne celebrans aliquid in forma addat, etsi significationem non mutet *(Tit. V, n. 1. De Defect. Missae)*; aliae constant forma *meri consilii*, ut preces positae in Missali pro opportunitate sacerdotis dicendae; aliae, ut fit plerumque, formam *aequivocam,* quae nimirum aeque consilium ac praeceptum significare valeat, habent, *ut v. g. Tit. I. Rub. I. Miss.*

4. Nulli suborietur dubium quin Rubricis primi generis insit vis obligandi conscientiam. Agitur de Rubricis quarum sensus non est dubius. Secus de aliis. „Proinde, *ait Janssens introduct. n. 14*, inter Rubricas stricte[1] *Praeceptivas* numerari non possunt illae, quae non clare ac distincte Ritum aliquem aut Caeremoniam exprimunt, sed id tantum obscure insinuant, aut sub dubio relinquunt, quae propterea Rubricae a variis, etiam gravioribus Doctoribus, variae exponuntur, Ecclesia permittente eorum explanationes publice doceri, ac pro posteritatis directione imprimi. Unde Ecclesia istas suas censetur Rubricas secundum ipsos moderari.

„Sic *v. g.* aliqua ex Rubricis clare et proximius deducuntur, alia remotius, seu obscure, et dubie dumtaxat,

1) Seu certo.

ac plura alia, de quibus adhuc hodiedum disputant Ritualistae, qualiter debeant intelligi, et in quibus quilibet, (quamdiu non fuerit aliquid legitime determinatum) potest eligere, quod Rubricis judicaverit esse magis conforme."

Neque minus clarum est Rubricas secundi generis meri consilii rationem habere. — Ex quibus jam satis patet falsam esse habendam *(cum Ben. XIV, C. III, cap. XIII, n. 4, vel edit. Lov. sect. II, § 102, de sacrif. Missae et S. Lig. th. mor. n. 399)* opinionem eorum qui dicunt omnes Rubricas esse tantum directivas, neque subscribendum esse placitis aliorum qui, e contra, asserunt omnes Rubricas esse praeceptivas.

An vero Rubricae *tertii generis*, seu forma aequivoca expressae, sint praeceptivae aut mere directivae, aliunde, uti patet, petendum est, scilicet vel ex alio Ecclesiae oraculo, v. g. ex Conciliis aut apostolicis Decretis, vel ex Doctorum auctoritate communique interpretatione; vel etiam, juxta quosdam, ex materiae subjectae capacitate.

5. Duplici autem modo Rubricae obligatio indici potest per extrinsecum seu aliud Decretum, scilicet, vel *in specie* seu *in individuo,* quatenus ipsa rubrica versatur circa objectum aliunde praeceptum, puta *altaris consecrationem, locum celebrandi;* vel *in genere*, quatenus comprehenditur in aliquo decreto Rubricas observandas mandante. De priori modo nullum esse potest dubium. Tota igitur investigatio de posteriori modo procedit: Quaeritur nempe utrum *omnes Rubricae*, quae prae se *formam aequivocam* ferunt, ita in aliis decretis servandae jubeantur, ut ex illis nullae vel quaedam tantum sint mere directivae?

6. Quod ut solvatur notanda sunt sequentia verba Decretorum hac de re editorum.

I. In Trid. *sess. VII. De sacramentis in genere, can.* **13**, profertur sequens anathema: „Si quis dixerit receptos et „approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacra„mentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, „aut sine peccato a ministris pro libitu *omitti*, aut in no„vos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem *mutari* „posse; anathema sit."

II. Sanctus Pius V, in Bulla *Quo primum,* „ut a sacro„sancta Romana Ecclesia, caeterarum Ecclesiarum matre et „magistra, tradita ubique amplectantur omnes et obser„vent... Sub indignationis suae poena statuit et ordinat

„ne in posterum alias quam juxta Missalis ab ipso editi, „formulam Missa (seclusa exceptione consuetudinis 200 ann. „de qua ibi) decantetur aut recitetur, mandantes, prose„quitur idem S. Pontifex, ac stricte omnibus et singulis „personis ... in virtute sanctae obedientiae praecipientes... „Missam juxta *ritum, modum* ac *normam,* quae per Missale „hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant."

III. Idem S. Pontifex in bulla *Quod a nobis* haec de Breviario Romano statuit „hoc nostrum Breviarium, ac pre„candi psallendique formulam in omnibus universi orbis „Ecclesiis (nisi sint de exceptis) . . *praecipimus* observari."

IV. Bened. XIV, litteris, initio Pontificalis Jussu suo recogniti insertis, Pontificale recipi et observari praecipit, statuens, cum Clemente VIII, Bulla *Ex quo* ... „quascumque „personas, quae pontificalia munera exercere, vel alias quae „in dicto Pontificali continentur, facere aut exequi debent, „ad ea peragenda et praestanda, ex hujus Pontificalis prae„scripto et ratione teneri, neminemque ex iis, quibus ea „exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, „quae hoc ipso Pontificali continentur, servatis, satisfacere „posse."

V. De Caeremoniali Episcoporum Clemens P. VIII, in sua Bulla *Cum novissime,* „*praecipit* et *mandat* illud in „universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad „quas spectat et in futurum spectabit perpetuo observan„dum esse."

VI. Tandem initio Ritualis Romani sic legitur: „Ut „ea quae ex antiquis catholicae Ecclesiae institutis, et sa„crorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis de „Sacramentorum *ritibus* ac *caeremoniis* hoc *libro praescri„buntur,* qua par est diligentia ac religione custodiantur „et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire et „observare convenit quod Sacrosancta Trid. synodus de *iis* „*ritibus decrevit* in haec verba: si quis dixerit, ..." etc., ut supra ad I.

7. Ex quibus concludere licet:

1° Praeceptivas esse Rubricas, pro solemni Sacramentorum administratione traditas, saltem (quae limitatio etiam de 2ª, 3ª et 4ª conclusione seq. est intelligenda), si sint in materia praecepti capace;

2° Item eas quae intra SS. Missae sacrificium Celebranti sunt servandae;

3° Item eas quae in Breviario ac Pontificali, in libro Caeremoniali Episcoporum aut in Rituali Romano continentur, quoad personas ad quas illae Rubricae diriguntur.

Quae conclusiones, cum ex obvio et manifesto Decretorum sensu fluant, infirmari non possunt propter contrariam aliquorum DD. opinionem.

4° Ex iisdem Decretis pariter concludi posse videtur etiam praeceptivas esse habendas quae, intra Missam, Diacono et Subdiacono sunt servandae. *Cf. Deherdt. p. 1, n. 2.*

5° At obligatio Rubricarum Missalis Romani extra Missam servandarum, uti est lotio manuum, non videtur posse erui ex cit. Bulla *Quo primum.*

8. Dictum fuit: *saltem si sint in materia praecepti capace,* quae nimirum non sit incapax praecepti tam ratione sui, quam defectu cujuscumque mysticae significationis. Qualis videri posset modus, *tit. 4, n. 1* descriptus, apponendi digitos parvos contra frontem altaris, dum manus super illud deponuntur. Hujusmodi limitatio apposita fuit, quia non desunt AA. qui „censent, ait Merati, *T. I, P. III, Tit. XI, n. 1,* praeceptum contentum in Bulla Pii V servandi Rubricas non extendi indifferenter ad omnia, quae in Rubricis continentur, cum plurima sint minutissima, nec materia apta praecepti [1]. Hinc card. de Lugo *(Disp. 20 de Euchar. sect. 2, n. 7)* ait: certum est non omnia quae in Rubricis Missalis exiguntur, afferre obligationem gravem, et *(sect. 4, n. 106)* docet cum aliis, nonnulla esse materiam instructionis et directionis, non vero praecepti; quapropter, addit Merati [2], communiter Rubricae sunt praeceptivae, sed multae etiam sunt directivae."

Equidem horum doctorum opinio nullum habet fundamentum in ipsarum Rubricarum aut Decretorum textibus, quippe quae generaliter et absque ulla distinctione inter materiam praecepti capacem vel non capacem proferuntur, quinimo potius contradicit S. R. C. rescribenti 19ª Augusti 1651 ad 2 (1481): „omnia in Missali Romano *praescripta ad* unguem servanda esse;" et mandati, ut legitur initio Missalis „in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Rom... [3]" et praeterea vix ac ne vix quidem ad praxim

1) At vid. Bened. XIII, *n. seq. cit.*
2) Subaudiendum videtur: *in opinione Suarezii.*
3) Hinc etiam jubet Bened. XIII *in Conc. Rom. tit. 15, cap. 1,* ut „non pro libitu inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti

trahi potest hujusmodi distinctio, cum desit regula qua ea certo ad aliquam rubricam applicari valeat. Attamen cum nulli opponatur textui claro, et aliunde hac de re judicium praesertim a morali hominum aestimatione pendeat, non statim dicenda est illa opinio omni probabilitate carere; imo probabilis evadet si hujusmodi Rubricae sint formae aequivocae, neque certo jubeantur in altero decreto, ut v. g. rubrica *(Tit. I, n. 3)*, de ordine quo celebrans, albam induendo, (primum) manicam dextram brachio dextro, et (deinde) manicam sinistram sinistro imponat.

9. *Summa doctrinae.*

I. *De mere directivis.* 1° Certo sunt mere directivae, quae forma puri consilii constant; — 2° non est improbabile his adnumerandas esse nonnullas Missalis Rubricas, extra Missam tantum servandas, quae forma aequivoca exprimuntur; — 3° vix probabile videtur asseri posse has vel illas Rubricas esse mere directivas, ideo tantum quod sint in materia praecepti incapace, vel quod Diaconum aut Subdiaconum, non vero Celebrantem, respiciunt.

II. *De praeceptivis.* Caeterae sunt praeceptivae, ut hic probatum est et praeterea confirmari potest ex circumstantiis ac praesertim ex fine et materia Rubricarum, necnon ex illa summa sollicitudine, qua Ecclesia, ad hoc etiam instituta speciali Congregatione, invigilat ut rite serventur.

In confirmationem adduci praeterea posset argumentum *a fortiori* sumptum ex praecepto caeremoniarum veteris Legis [1]. Has enim suo objecto caeremoniae Novae Legis multo antecellunt.

Qui hic et n° praecedenti dicta perpenderit, non mirari non poterit quomodo nonnulli Auctores eo adducti fuerint,

„et approbati Catholicae Ecclesiae ritus, qui in minimis etiam „sine peccato negligi, omitti, aut mutari haud possunt, peculiari „studio ac diligentia serventur". *Apud Gardell. in Inst. Clem. § 36, n. 18.*

1) *„Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias mandata ejus et caeremonias quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro."* Deuter. XXVIII, vers. 15 sq. Alias maledictiones vid. verss. sqq.

Apud Ezechielem XLIV, 5 haec leguntur: *„Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus: et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii."*

ut asseruerint omnes Rubricas esse mere directivas [1] (*cf. s. Lig.* et *Ben. XIV supra cit.*) — neque intelligere poterit qua ducantur ratione illi recentiores scriptores, qui quasdam opiniones circa obligationem quarumdam Rubricarum, etsi Rubricae clarae repugnantes, ita referunt quasi non essent omni probabilitate destitutae, sic v. g. qua ratione moveri potest dubium de obligatione *Rubricae I, Tit. XVIII* de Colore Paramentorum Altaris, Celebrantis etc.? Haec enim exprimitur termino praeceptivo *debent* ac praeterea, eam esse *strictim servandam* respondit *S. R. C. 12 Nov. 1831 (4520), 54.* Nihilominus vero eamdem non ut certam sed tanquam probabiliorem exhibet *Deherdt P. I, n. 49, IX* „R. Disputatur... Alii autem probabilius censent hanc Rubricam esse praeceptivam...“ Idem dicendum videtur de opinione nonnullorum circa obligationem benedicendi Pallas et Mappas. Quae opinio a *S. Lig. de Euch. n. 375, dub. 2* habetur non improbabilis propter auctoritatem, et a *Deherdt P. 1, n. 54, I, 1* refertur tanquam minus probabilis, cum tamen improbabilis habenda sit, attentis *Rub. 1, fin. Tit. I, Rit. celebrandi*, et *Rub. 1, Tit. X de defect. Cf.* dicenda de auctoritate AA. *art. IV.*

Observandum tandem venit, hic et n° praecedenti dicta de Rubricarum obligatione, proprie respicere earumdem textum, cujus sensus est *per se* clarus, aut manifestus fit *interpretatione certa.* Caeterum de interpretatione aliisque fontibus, quoad obligationem, scilicet an et quousque obligent S. R. C. Decreta, Auctorum interpretationes et consuetudines, dicetur propriis locis, sect. sequenti.

SECTIO ALTERA.

FONTES RUBRICARUM.

ARTICULUS I.

DE FONTIBUS PRIMARIIS ET SECUNDARIIS GENERATIM SPECTATIS: UTRIUSQUE FONTIS NOTIO ET RELATIO.

1. Fontes *primarii.* — 2. Vis Caeremonialis Episcop. extra Ecclesias Cathedrales et Collegiatas. — 3. Bulla Clementis VIII

1) Hic in memoriam revocare juvat nonnullos singularem et non rectam sibi efformare notionem Rubricarum praeceptivarum et directivarum ut supra adnotatum est *art. II, 2.*

de hoc Caeremoniali. — 4. Praesertim obligat Caeremoniale pro Missa solemni. — 5. Quaedam regulae hujus libri referuntur de Thurificatione. — 6. Corollarium. — 7. Fontes *secundarii.* — 8. Necessitas distinguendi hanc duplicem fontium classem et utriusque fontis relatio. — 9. Quae necessitas duplici ex causa oritur. — 10. Duo corollaria practica.

1. *Rubricarum Fontes* distinguuntur in *primarios* et in *secundarios* seu *subsidiarios.*

I. *Primarios Fontes* constituunt ipsae Rubricae quae initio aut passim leguntur in Breviario, in Missali, in Rituali, in Pontificali et in Libro Caeremoniali Episcoporum.

Rubricae circa Divinum Officium in *Breviario,* quae autem ad Missam pertinent in *Missali* traduntur, ut nemo nescit.

In Rituali describuntur Rubricae pro sacramentis administrandis, exequiis, processionibus et benedictionibus peragendis.

In Pontificali recensentur Ritus servandi in functionibus episcopalibus.

Caeremoniale Episcoporum tradit quae agenda sunt in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis.

2. Quum hoc caeremoniale non raro adhibetur tanquam fons secundarius relate ad Breviarium et Missale, ad explicandas scilicet aut supplendas Breviarii et maxime Missalis Rubricas, hic quaeritur.

I. An vim habeat ille liber caeremonialis extra Ecclesias Cathedrales et Collegiatas?

R. 1° Negative, quoad illas Rubricas quae exclusive respiciunt Ecclesias Cathedrales aut Collegiatas.

3. R. 2° Quasdam tamen ejus regulas etiam in aliis Ecclesiis esse servandas, constat ex ipsa Bulla *cum novissime a Clemente VIII,* de hoc caeremoniali data, in qua haec leguntur: „operae pretium visum fuit caeremoniale Episcoporum omnibus Ecclesiis, *praecipue* autem Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis perutile, ac necessarium, in quo Ritus et Caeremoniae celebrandi Missas, Vesperas, et alia divina officia, continentur, quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter *(nimirum ut factum est pro Pontificali)* reformari et restitui curaremus.“ Hinc *S. R. C.* aliquando declarat hanc vel illam dispositionem Caeremonialis in omnibus Ecclesiis esse servandam. Sic *v. g. die 14 Jun. 1845, n. 4855* ad dubium 2: An Caeremonialis Episcop. dispositio, de vestibus quibus post Missam habenda

est laus defuncti, in Ecclesiis Cathedralibus tantum, an etiam in aliis omnibus Episcopo absente, servari debeat?

Rescripsit: „In omnibus Ecclesiis servandam.“ In *Limburgen.*

Quaeritur II, quaenam sunt illae regulae quae etiam extra Ecclesias Cathedrales et Collegiatas obligant?

R. 1° Hujusmodi certo sunt illae de quarum extensione habentur *S. R. C.* Decreta.

4. 2° His vero alias esse adnumerandas saltem quae ad Missam solemnem referuntur, non est dubitandum. Nam teste Gavanto *P. II, Tit. II, Rub. 5.* „Ritus et Caeremoniae in Missa solemni, parcius in Rubricis Missalis sunt descriptae, tum quia de his in Caeremoniali Episcoporum paulo ante Missalis recognitionem actum erat satis, tum quia minutiora prosequi non videbatur in Missali peropportunum.“

5. Ad hanc classem referenda videntur pleraeque regulae quas de thurificatione tradit *Caeremoniale lib. I, c. 23.* Sic sequens regula numeri 1. „Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo *ter* ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit,“ vix ac ne vix quidem limitari potest ad Episcopum, sed potius integre omni celebranti servanda est, etsi *Rubrica Missalis Tit. IV, n. 4,* non praecipit ut incensum *ter* e navicula sumatur. Idem dicendum venit de inclinatione a Celebrante versus Diaconum et Subdiaconum facienda dum dicit: *Vobis ... Vos Fratres ... Misereatur Vestri,* prout praescribit *Caeremoniale lib. II, c. 8, n. 31,* tacente Rubrica Missalis circa hujusmodi caeremonias. Multae aliae similes regulae recenseri possent. Sed hic sufficiat supradictas indicasse exempli gratia; aliae in decursu commentarii passim referentur.

Ex *Rubrica 6, Tit. II, Ritus celebrandi Missam,* ubi praecipitur, ut „in Missa Pontificali *omnia* serventur, ut in Caeremoniali ordinatur,“ nihil deduci potest, ut patet, contra thesim. Ibi enim agitur non de quibusdam sed de *omnibus* servandis in Missa Pontificali. Ac proinde objici nequit: Affirmationem unius esse alterius negationem, quasi hic implicite negaretur Caeremoniale esse servandum in Missa non Pontificali.

Superest notasse, perdifficile esse *omnes* illas in specie assignare regulas quae ad omnes Ecclesias, ad ministros etiam simplici Sacerdoti inservientes, pertinent, aut generalem dare regulam juxta quam hoc dignosci valeat.

6. *Corollarium.* Quae cum ita sint, 1° *per se* consultum erit, sin minus praeceptum, *a)* illas ubique servare Caeremonialis Rubricas quae Sacerdotibus inferioribus aeque ac Praelatis, quae Ecclesiis aliis non secus ac Cathedralibus quadrant — et *b)* e contra ad Ecclesias aut Sacerdotes inferiores non trahere Rubricas quae exclusive ad Cathedrales aut Praelatos attinent. Exemplum prioris suppeditat Caeremoniale *lib. II, c. 8, n. 31* cit., posterioris vero, *lib. I, c. 7,* ubi Episcopo celebranti datur Presbyter Assistens. Cujusmodi Ministrum Rubricae non permittunt simplici Sacerdoti.

2° Si autem dubitetur an aliqua Rubrica limitetur ad Ecclesias Cathedrales et Collegiatas, aut ad Praelatos, ex circumstantiis deducatur quid magis minusve congruat.

Dictum fuit 1° *per se,* quia ibi abstrahitur tum a privilegio apostolico, tum a necessitate, quae suadere potest, ut alicubi ad tempus toleretur abusus. De quo *cf. dicenda de consuetudinibus in Liturgia.*

7. II. *Secundarii* autem seu *subsidiarii* Rubricarum Fontes sunt Decreta S. R. C. [1] consuetudines atque interpretationes Rubricistarum.

8. Hujusmodi distinctio in fontes primarios et secundarios maximi est momenti in Rubricis addiscendis aut dubiis, quae circa eas occurrunt, solvendis. Quod duplici ex causa oritur. Nam *a)* fontes secundarii non sunt necessarii nisi in quantum fons primarius per se non sufficit, scilicet vel quia textus Rubricae non est satis clarus, aut ejus applicatio est dubia, vel quia aliquid in eo omittitur, quod tamen non videatur relinqui prudenti arbitrio Sacerdotis, ut v. g. modus benedicendi manu post communionem administratam extra Missam. Tunc textus elucidatur aut suppletur mediantibus S. R. C. Decretis, aut, si ea desint, interpretationibus ab auctoribus aut consuetudine petitis. Aliquando autem quaedam in textu omittuntur utpote relicta prudenti arbitrio Sacerdotis, ut v. g. modus abstergendi Patenam post Orationem Dominicam, colligendi fragmenta hostiarum etc. *Vid. dicenda infra art. II, §. 3, n. 3 sq.*

b) Doctrina quae in textu Rubricarum clare traditur,

1) Dantur etiam Decreta generalia S. Sedis, oraculo S. R. Congregationis vel alio emanata, quae plus minusve referenda sint ad primarios fontes. Hujusmodi sunt Decreta initio Brev. et Missalis posita.

certo, per se loquendo, servanda est, et, *a priori*, certum est nihil omnino inveniri posse, quod eam valeat infirmare nisi in casu extraordinario, v. g. propter consuetudinem, a S. Sede eidem derogatum fuerit. In fontibus autem secundariis multa habentur quae non habent rationem praecepti, sed mera sunt consilia de quibus judicandum est lectori, spectatis praesertim circumstantiis temporis, loci et personarum. Plura insuper apud auctores non praetergrediuntur limites opinionis. Quod vero attinet *S. R. C.* Decreta, non raro ea vix et ne vix quidem intelligi possunt, nisi sciantur Rubricae circa quas feruntur, attentis insuper omnibus peculiaribus circumstantiis casus.

9. Ex hac relatione, quae existit inter fontes primarios et secundarios, duo fluunt corollaria practica:

1°. Quo securius et facilius certa ab incertis, praecepta a consiliis secernantur, ab ipso textu incipiendum est tam in Rubricis addiscendis, quam in dubiis solvendis. Optandum auctores, praesertim classicos ab hac methodo non recessisse, ut fecerunt aliqui ex recentioribus.

2°. Si quid textui contrarium forte videatur in Decretis *S. R. C.* (cui commissum non est mutare Rubricas, bene vero curare ut serventur) aut in doctrina Rubricistarum deprehendatur, non ideo recedendum est a sensu claro Rubricae. Sed Decretum intelligendum est juxta textum, aut supponendum indultum particulare, et doctrina auctorum, etiam magni nominis, est relinquenda ut v. g. opinio eorum qui putent Rubricam de colore Paramentorum non obligare in conscientia. *Cf. Jam dicenda de fontibus secundariis.*

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS SECUNDARIIS IN SPECIE.

Ut jam dictum est fontes subsidiarii sunt Decreta *S. R. C.*, Consuetudines et Rubricistarum interpretationes seu commentarii.

§. I. DE DECRETIS S. R. C.

Institutio hujus S. Congregationis et negotia ei commissa. Nomen Decreti — vis — promulgatio — extensio — usus Decretorum.

1. *Institutio Congregationis* Sacris Ritibus praepositae et negotia eidem commissa. — 2. *Nomen Decreti* hic sumitur in

sensu lato. — 3. Hujus S. C. Decreta habent *vim* oraculi Summi Pontificis, ut clare probatur ex Bulla institutionis, ex Rubricistis, et ex ipsius S. R. C. declaratione. — 4. Derogant ipsis immemorabilibus. In casu tamen ad S. C. recurrendum est. — 5. Quorumdam opinio circa meras declarationes. — 6. Quando, juxta illos, declaratio habet rationem decreti rigorosi. — 7. Doctrina Turrini de hac re exponitur et admittitur. — 8. Clausula praeceptiva v. g. servari mandavit, non semper quidem adhibetur. — 9. Sed non est semper necessaria, ut obliget rescriptum S. C. — 10. Quare aliquando adhibetur et aliquando omittitur. — 11. Quoad necessariam Decretorum promulgationem, distinguendum inter *comprehensiva* et *extensiva*. — 12. Haec non illa promulgatione, *peculiari* scilicet, indigent. — 13. *Per se* laudabile erit illa etiam quae non fuerunt promulgata servare. — 14. *De extensione Decretorum* duplex regula, pro duplici Decretorum genere. — 15. Prior. — 16. Posterior. — 17. Generalia dantur Decreta, etsi tali inscriptione destituta. — 18. Ad querelam de repugnantia Decretorum respondent *a)* Gardellini et *b)* Cavalieri. — 19. *In usu Decretorum,* sicuti *in recursu ad S. C.* per defectum et per excessum peccari contingit. — 20. Nonnulla exempla excessus.

1. I. *Congregationis sacris* [1] *Ritibus et Caeremoniis praepositae institutionem* et officium exhibet citata Bulla *Immensa* Sixti V. Post prooemium supra exscriptum § III ita prosequitur:

„§ I. Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus haec praecipua cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis Officiis, sacramentorum administratione, caeterisque ad cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae, si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur; libros de sacris ritibus et caeremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment, et emendent, officia divina de sanctis patronis examinent et, nobis [2] prius consultis, concedant;

1) Communius epithetum *Sacer* refertur ad Ritus; aliquando tamen etiam ad ipsam Congregationem ut *v. g. n. 4491, 4969,* hocque communiter fit quando Congregatio nominatur sine vocabulo *Rituum* ut *n. 4470, 2.*

2) Haec clausula: *Nobis prius consultis* refertur tantum ad officia de Sanctis Patronis. Hinc eadem S. R. C. rescripsit *23 Maii 1846,* citand. *ad II.* Decreta a Sacra Congregatione emanata valere, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Summo Pontifici.

diligentem quoque curam adhibeant circa sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex Patrum traditione fiant; et, ut Reges et Principes, eorumque Oratores, aliaeque personae, etiam Ecclesiasticae, ad Urbem, curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicae dignitate ac benignitate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem suscipiant, seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus, aut alibi, caeterasque in hujusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant" *conferri potest S. R. C. n. 4440, Dubiorum.*

2. II. *Nomen* Decreti hic sumitur in sensu non stricto sed latiori et generali, ita ut significet non solum Decretum stricte sumptum sed quodcumque S. C. Rescriptum. Quod fit communiter apud Auctores. Hinc collectio Gardelliana, quamvis plura Rescripta et Resolutiones, quam Decreta stricte sumpta contineat, nihilominus inscribitur: *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum.*

3. III. *Vim* oraculi Summi Pontificis habere Decreta Congregationis Sacrorum Rituum jam patet ex Bulla institutionis. Dicta enim Decreta eduntur vi potestatis a Summo Pontifice delegatae. „Haec S. C., ait Merati *P. III, tit. XI, n. III,* facultatem habet interpretandi et declarandi quaecumque dubia, quae insurgunt circa ritus ecclesiasticos, ut colligi potest ex constitutione 74 Sixti V, quae incipit: *Immensa bonitas* etc., et revera ad praedictam Congregationem confluunt omnes Ecclesiae et ordines Regularium, ex toto orbe pro negotiis rituum, et ejus Resolutiones atque Decreta habentur tanquam Pontificis oracula."

„Sacra Congregatio, inquit *Cavalerius tom. I, dec. 71, n. 12,* pollet facultate per Sedem Apostolicam sibi facta interpretandi et declarandi concessiones Pontificias, Rubricas et quaecumque Decreta, ac dubia, quae circa ecclesiasticos ritus, caeremonias, ac divina officia insurgunt, et circa eadem disponendi, prout circumstantiae, et temporum, et congruentiarum varietas exposcunt."

Si quis tamen dubitaverit hujusmodi vim Decretis tribui per Bullam supradictam, legat sequens Responsum dictae Congregationis a Summo Pontifice Pio IX, *die 17 Jul. 1846* approbatum, in *una Ordinis Praedicatorum, ad 7, n. 4905.*

Dubium erat: „An Decreta a Sacra Congregatione

emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto firmiter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae? *S. C. resp. affirmative. Die 23 Maii 1846.*

Fere supervacaneum videtur animadvertere hoc responsum, etsi emanatum in causa particulari, esse tamen generale, qua datum dubio generali. Itaque Decreta, sicuti Oracula Summi Pontificis, obligant in conscientia pro subjecta materia.

4. Quinimo non vim cujuscumque oraculi Summi Pontificis habent Decreta S. C., sed hujusmodi indolis sunt, ut (dum eduntur scilicet) derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini, etiam immemoriali, cui tamen in jure regulariter non derogatur, nisi de ea specialis mentio facta sit. *Cf. Reiffenstuel lib. I, tit. IV, § VIII, n. 188 sqq.* Vult tamen S. C., ut pro consuetudine immemoriali recurratur in particulari. Haec sancita fuerunt Rescripto seq. Ad dubium 16: An Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, dum eduntur, derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? S. C. rescripsit et declaravit: *Affirmative*, sed recurrendum in particulari. *Die 11 Sept. 1847 in Angelop. (4941) ad 16.*

5. Post haec confutatione non indiget opinio nonnullorum, juxta quos, ut refert *S. Lig. n. 401 de Euch.*, S. R. C. Responsa, quae sunt dumtaxat declarationes dubiorum, essent directiva tantum, utpote sapientissimorum virorum responsa.

Cum tamen ista opinio passim referatur a scriptoribus spectatae auctoritatis, quin reprobetur, hic ea exponitur ex Merati, brevi adjecta confutatione.

6. „Praenotare debemus, inquit Merati *P. III, tit. XI, n. III,* quod non omnes S. R. C. declarationes sunt, aut dici debent Decreta rigorose sumpta, etiamsi de illis authentice constet. Hae igitur resolutiones dumtaxat Decreta rigorosa censenda sunt, quae a dicta Congregatione emanant in forma rigorosa Decreti, vel saltem in fine habent aliquam Decreti clausulam." — Hic a Merati duo in exemplum afferuntur Decreta rigorose sumpta, de quibus subjungit: „Praefatae duae S. C. resolutiones, et aliae iis similes habent conditiones profecto requisitas ad rigorosum

Decretum; hujusmodi autem resolutiones et declarationes vere obligant in utroque foro, si alias authentice de ipsis constet; aliasque habeant conditiones requisitas a Theologis et Canonistis ad vim obligandi inducendam."

„Si vero declarationes S. R. C. sunt solum responsiones dubiorum eidem propositorum ab aliquo ecclesiastico, vel ab aliquibus caeremoniarum Magistris, sive ab aliquo Regularium Ordine, vel ab aliquibus Episcopis, ut frequenter contingit, et tales responsiones ab ipsa Congregatione emanent, nulla adjecta clausula rigorosi Decreti, aliquid prohibentis vel praecipientis, tunc juxta nonnullorum opinionem praedictae declarationes censentur regulae tantum directivae, non vero praeceptivae Sacrorum Rituum observandorum; reputantur siquidem tanquam sapientissimorum virorum responsa, quae oppositae sententiae probabilitatem non tollunt."

„Verum quando adsunt hujusmodi resolutiones et habentur auctores contrarium firmantes, in tali conflictu debent praeferri Sacrae Cong. decisiones aliis quibuscumque Doctoribus contrarium asserentibus, ut pluribus relatis tradit Ursaya hujus almae Urbis celebris advocatus. *Discept. Eccles. tom. I, part. I, discept. I, sub n. 7.*"

Hujus secundi generis Decretorum seu Declarationum plurima exempla habemus in nostro indice Decretorum, in quibus non continetur clausula rigorosa Decreti habentis vim legis praeceptivae, sed solum continentur simplices Sacrae Congregationis responsiones seu declarationes ad dubia sibi proposita, quae nihilominus, ut dixi, debent debito respectu ab omnibus servari, si de eis authentice constet, et praeferri cuicumque contrariae opinioni, ab aliis D.D. assertae.

7. Vel de hujusmodi Sac. Cong. Decretis, seu declarationibus sentiendum est cum Turrino *part. I, sect. I, cap. 2, § Quaeres secundo*, inducere eamdem obligationem, quam induxit Rubrica, vel materia cujus est Decretum, vel interpretatio. Et ratio est, ut dicit ipse, tum quia sunt accessoria illi Rubricae, et habent eamdem naturam; tum quia qui declarat nihil novi inducere dicitur. *L. haeredes palam ff. si quis post testament.* Ergo habent eamdem vim obligandi (infert Turrinus), nisi nova obligatio addatur. Idem Turrinus § *Quaeres primo*, quaestionem movet, utrum interpretationes et declarationes Sac. Cong. sequi

debeant Viri Ecclesiastici, non tantum in eo peculiari casu, pro quo feruntur, verum etiam in aliis similibus? et resolvit affirmative, quia praedictae responsiones maximam habent auctoritatem et in omnibus similibus casibus vim habent interpretationis generalis. Quae infra dicuntur de promulgatione et extensione Decretorum plane confirmant doctrinam Turrini, et refellunt opinionem eorum qui Decretis hujus secundi generis generatim abnegant vim legis. De ista tamen opinione sequentia statim adnotamus.

8. Verum quidem est non omnibus Decretis S. R. C. apponi Clausulam *per se* praeceptivam ac proinde, quoad factum, falsa dici nequit distinctio quam facit Merati.

9. At falsum est vi praecepti carere quamlibet S. R. C. Declarationem aut Resolutionem quae sine hujusmodi clausula editur. Etenim *a)* non solum gratis asseritur hanc clausulam requiri, ut Declaratio seu Decretum obliget, sed *b)* praeterea haec assertio adversatur praxi ipsius S. R. C.

a) Gratis asseritur, quia hoc neque ex natura rei fluit, neque ex ullo eruitur documento.

Non ex natura rei, quia multa Decreta, utpote declarationes comprehensivae, nullam novam obligationem inducunt, sed declarant dumtaxat praeexistentem, ut infra dicetur.

Neque ullo documento. Non ex cit. Bulla Sixti V *Immensa bonitas,* quae, ut legenti patet, nullam definit peculiarem formam, qua conficienda forent Decreta obligatoria.

At nec magis ex S. R. C. Decretis, quatenus videlicet S. R. C. ad distinguendum Decreta obligatoria ab aliis, illa non haec muniret memorata formula praeceptiva, v. g. *serventur Decreta, servari mandavit etc.*

Jam agnitum fuit, revera *de facto* dari Decreta *cum* et *sine* dicta formula; at hoc non fit eo fine qui hic gratis allegatur, prout, praeter jam dicta, probat ipsa S. R. C. praxis. Nam ex una parte reperiuntur Decreta, illa clausula non munita, quae tamen obligant, v. g. Resp. ***10. Jun. 1690, 2,*** n. 3072 et cit. an. 1847, et ex alia parte pluries S. C. absque ulla distinctione rescripsit: *Serventur Rubricae et Decreta n. **4980*** [1], *servanda esse Decreta n.* ***4955,*** ad 5 etc.

1) Ex his Decretis unum scilicet diei *10 Jun. 1690, 3, n. 3072,* praedictam clausulam non habet.

Praeterea in ipsis responsis aliquando omittitur et aliquando adhibetur clausula praeceptiva v. g. *faciendum, standum,* hoc tamen

10. Quaeres: Quare ergo aliquando adhibetur et aliquando omittitur toties memorata clausula?

R. 1° Certum est hanc clausulam non ideo omitti quod ad plura dubia responsum datur, vel tum solere adhiberi quando unum tantummodo proponitur dubium, ut patet nonnulla lustranti Decreta. Habentur Decreta cum hac formula, *a)* plurium dubiorum n. 4496, 4520, 4750, 4872, 4939, 4953, *b)* unius tantum dubii n. 4877 et 4963.

Alia autem Decreta hac clausula carent, sive unius dubii ut n. 4934, 4938, sive plurium dubiorum ut 4941, 4946.

R. 2° Neque tamen dicenda est sensu vacua: longe enim aliud est vim tribuere Decreto, quod alias non obligaret, aut vim Decreti jam obligantis confirmare et augere seu ejusdem observantiam urgere. Jam vero prior effectus supra abnegatus fuit dictae clausulae; sed posterior hic eidem tribuitur. Itaque

R. 3° Dicta clausula videtur *a)* generatim omitti quando S. R. C. declarat dumtaxat Rubricae sensum et aliunde, omnibus spectatis casus adjunctis, nihil deprehenditur, quare urgendum sit decretum, sive quia adsunt rationes tolerandi abusus, sive quia Decretum continet derogationem aut privilegium quae nulli imponere intendit S. C.

b) E contra videtur generatim adhiberi, quando S. C. aliquid novi statuit, sic v. g. *Dec. 1, Sept. 1838, n. 4693* mandatur servari a clero Archid. Mechlinien., vel quando S. C. quamvis mere interpretetur Rubricam, attentis adjunctis, existimat opportunum aut necessarium sui Decreti observantiam urgere. Quod contingere solet, quando resolvitur quaestio, magno animorum aestu inter partes agitata, vel S. C. deprehendit oratores aut alios, conaturos fore ut declinent Decreti observantiam.

Bene tamen prae oculis habendum est Decreta suam vim non exerere, nisi *a)* sufficienter sint promulgata *in se* vel in alio Decreto — et *b)* agatur de personis aut casibus ad quos extenduntur.

11. IV. *De promulgatione Decretorum* S. R. C. idem dicendum est ac de promulgatione Decretorum S. C. Concilii. Quum vero haec quaestio propriam sedem habeat in tractatu de Legibus, hic satis erit sequentia breviter adnotasse.

non impedit quominus ad finem Decreti subjiciatur ut n. 4953, vel omittatur ut n. 4934, memorata clausula.

Inter Decreta alia dicuntur *comprehensiva*, alia *extensiva*. *Comprehensiva*, quando *mere* interpretantur legem seu rubricam; *extensiva*, quando *jus novum* condunt. *Comprehensivae* sunt Declarationes, inquit *Schmalzgrueber Dissert. prooem. n. 373* (loquitur de Declarationibus S. R. C.), si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit. *Extensivae*, si illam egrediantur et ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc.

Ad *comprehensiva* referrem Decreta quae S. R. C. edidit de Missis privatis tam votivis quam defunctorum, quas *Rubricae 3, Tit. IV, et 2, Tit. V* prohibent *diebus duplicibus* aut *Dominicis*. Ea scilicet Decreta citatas Rubricas interpretantur, easdem applicando ad dies quae sunt aeque aut magis privilegiatae quam duplicia et Dominicae. — Item Decretum quod aliud interpretatur, ut *Dec. 22 Nov. 1664, n. 2157*. Inter *extensiva* autem numerandum est Decretum quod *Clemens XIII* edidit *3 Jan. 1759* de Praefatione S.S. Trinitatis dicenda in Dominicis per annum, quando non habetur Propria.

Notandum tamen aliquando vix discerni posse, an Decretum sit extensivum aut mere comprehensivum.

12. *Comprehensiva*, utpote promulgata in ipsa Rubrica, quam mere interpretantur, alia seu *speciali* promulgatione non indigent; sed sufficit constet de eorum authenticitate.

Extensiva e contra, cum in Rubrica non comprehendantur, nec tamen obliget lex sine ipsius promulgatione, non obligant nisi promulgata fuerint.

13. De modo promulgandi Leges agit tractatus de Legibus. Hic solum notatur, *per se loquendo* laudabile esse et valde commendabile ut ea etiam Decreta, quae, defectu promulgationis, stricte non obligant, accurate tamen serventur, si de eorumdem sensu et authenticitate constet. Nam licet Ecclesia per hujusmodi Decreta non intendat omnes obligare, per ea tamen nobis sua sensa manifestat.

Dictum fuit 1° *per se loquendo*, quia obstare potest vel consuetudo, vel aliquod incommodum, ita ut his attentis Ecclesia nolit sua Decreta hisce in circumstantiis applicari.

2° *Si de eorumdem a) sensu et b) authenticitate constet*. Quia *a)* eorum sensus aliquando obscurus est praesertim personis, quae vel non satis perspectas habent Rubricas circa quas versatur Decretum, aut omnes casus circum-

stantias, vel perfecte non intelligunt terminos quibus utitur S. R. C.[1].

b) Quia fides adhibenda non est cuicumque Decretum alleganti. Medium omnino certum cognoscendi hujusmodi authenticitatem nobis hodie suppeditat Collectio Gardelliana[2], quae hoc gaudet privilegio, „ut in judiciis et in quacumque dirimenda controversia illorum tantummodo Decretorum auctoritas valeat quae in editione a S. Pontifice permissa et approbata, atque Secretarii Sacr. Rituum Congregationis manu subscripta continentur.“ *Vid. Decret. II et III, approbationis initio I. vol.* Una editio a Pio P. VII, altera a Leone P. XII permissa et approbata fuit. Caveat tamen lector ne exinde deducat nulli de cujuscumque Decreti, ad se non directi, authenticitate constare posse, nisi Decretum ipsemet legerit in dicta collectione. Sufficit enim certo sciatur Decretum illis, quibus refertur, verbis contineri in collectione Gardelliana aut a S. R. C., praesertim si agitur de posterioribus, quae nondum in collectione Gardel. referuntur, editum fuisse. „Caeterum, ait Merati *P. III, tit. XI, n. 3*, quando hujusmodi declarationes referuntur ab aliquo Auctore, non censentur sufficienter propositae, neque habentur pro canonice publicatis, sed tunc semiplenam tantum habent fidem, nec major eis adhibenda fides est, quam illis Doctoribus qui eas referunt, ut de iis, quae a Gratiano referuntur in suo Decreto, docet Bonacina *de legibus tom. 2, disp. I, q. 1, punct. 3 in fine.*“

14. V. *Extensio.* Ex dictis de promulgatione jam deducitur ad quas personas, ad quos casus extendantur

1) Ex Responsis S. R. C. male intellectis, aliquando accidit ut ejusdem Decreta traducantur tanquam sibi repugnantia, vel doctrinae sibi oppositae perhibeantur tanquam definitae a S. C. *Cf. dicenda ad finem h. Art.*

2) Haec collectio incoepta fuit ab Aloysio Gardellini S. R. C. Assessore et sub-Promotore fidei. Constat octo voluminibus *in-4º*. Continet Decreta, saltem praecipua a S. R. C. emanata inde *ab anno 1588 ad annum 1847*. Plura Decreta notis illustravit collector. Sed hujusmodi adnotationes non gaudent, ut patet, nisi privata auctoritate. In eadem collectione refertur praeterea, cum commentario Gardellini, *Instructio Clementis XI de Oratione XL Horarum.* Ex hac Gardelliana collectione desumpta sunt Decreta fere omnia quae in hoc opere citantur; et ad utilitatem lectoris communiter indicantur collectionis numeri, sub quibus inveniuntur Decreta allegata.

Decreta. Hic igitur adnotandae sunt sequentes de extensione Decretorum regulae, quae ex dictis de eorumdem promulgatione fluunt. Quum vero duplicis sint generis Decreta, quae videlicet mere interpretantur Rubricam et quae Jus novum condunt, pariter duplicis generis datur regula.

15. *Prior regula* respicit ea Decreta, quae mere interpretantur Rubricam. Jam vero S. C. duplici modo dici potest interpretari Rubricam, nimirum *theoretice* et *practice*. *Theoretice*, quando vel declarat sensum alicujus textus qui minus clarus videtur aut de quo disputant Rubricistae [1], vel e textu eruit quod implicite seu aequivalenter continet [2]. *Practice*, quando Rubricam ad aliquem casum applicat [3], vel aliquem casum a Rubrica excipit utpote in ea non comprehensum [4].

Prioris regulae *prima pars*. Decreta, quae Rubricas *theoretice* interpretantur, aeque patent ac ipsa Rubrica cujus sensum auctoritative declarant aut confirmant.

Altera pars. Quae autem *practice* tantummodo valent pro similibus casibus, scilicet tanquam regulae interpretationis adhibentur quando eaedem occurrunt circumstantiae, illae scilicet quarum intuitu datum fuit Decretum, etiam si non fuerint expressae in dubio. *Cf. Cav. T. III, ad Dec. an. 1700, ord. 27, n. 1—4* et *cit. infra n. 17*, ac *dicenda de Anniversariis lectis in dup.* Item quae *supra n. 7 de vi Declarationum* exscribuntur cum Merati ex Turrino. Sic *v. g. ex Dec. cit. an. 1700* anniversaria defunctorum non permittuntur passim *legi* in duplicibus, sed tantum in casu Decreti aut simili.

16. *Posterior Regula* ad ea refertur Decreta quae *jus*

1) *Cf. Dec. 12 Mart. 1836, n. 4626 in Tridentina ad 3,* ubi declaratur Passionem nonnisi in Missa solemni legendam esse in Cornu Epist. — *23 Sept. 1848, n. 4980 in Vapincen. de Rub. 1, Tit. XXXV Rubricar. Breviarii.*

2) Item pertinent Decreta quibus Missae privatae votivae aut defunctorum prohibentur diebus, quae sunt aeque aut magis privilegiatae quam duplicia aut Dominicae.

3) *Cf. Ruremond. 27 Feb. 1847 ad 2* de officio Titularis Ecclesiae. Ibi scilicet ad casum propositum applicatur Rubrica vi cujus agendum est officium Patroni seu Titularis Ecclesiae a clero eidem adscripto.

4) *Cf. Decret. 19 Junii 1700 in curien. n. 3416*, juxta quod anniversaria *lecta* aliquando permittuntur in duplicibus.

novum condunt, quae videlicet vel generatim aliquid novi, saltem sub aliquo respectu, statuunt [1], vel spectatis peculiaribus circumstantiis aliquid contra Rubricam statuunt aut permittunt [2].

Regula autem est hujusmodi Decreta *a)* gaudere vi generali aut particulari prout ad Universalem [3] Ecclesiam aut ad quasdam tantum Ecclesias personasve diriguntur et *b)* eadem, ubi dantur intuitu circumstantiarum, non posse applicari nisi iisdem in circumstantiis, et nequaquam ultra extendi posse, quamvis expressa non fuerit trita limitatio: *in casu.* Haec enim limitatio, quando non exprimitur in casu particulari, satis ex circumstantiis intelligitur.

17. Porro ad Universam Ecclesiam diriguntur non ea tantummodo Decreta quae *Generalia* [4] inscribuntur, ut *cit.* de praef. S.S. Trinitatis, sed et plura quae hujusmodi inscriptione carent. Ad hanc classem referuntur quae Particularia ideo solum nuncupantur, quod data fuerunt ad privatorum petitiones, etsi reipsa generalem aut saltem pro quacumque simili circumstantia resolutionem exhibent [5].

1) *Cf. Decret. 3 Jan. 1759, n. 4126* de Praefatione S.S. Trinitatis dicenda in Dominicis per annum.

2) *Cf. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520 ad 21 et 32* de consuetudinibus quae, licet contra Rubricam, servari mandantur, et *22 Julii 1848, n. 4969* de peculiari gratia Episcopo Montis Politiani facta.

3) Rubricae et Sacrarum Congregationum Generalia Decreta *ubique vim legis habent,* ait Gardellini *t. VI, ad Inst. Clem. prooem. n. 12.*

4) Quare nonnulla Decreta *generalia* notentur, sic explicat Cavalerius *tom. I, dec. 71, n. 10.* »Id, inquit, ut plurimum evenit, quia Sacra Congregatio motu proprio ea edidit, et non ad petitionem alicujus particularis Ecclesiae; vel si ad petitionem particularium Ecclesiarum emanant, id unice fit ad importuna resecanda nonnullorum dubia, qui, cum jam decisa haud ipsis arrideant, continuis interrogationibus eamdem Congregationem lacessere numquam desinunt. Vel denique ut promulgentur, et cunctorum notitiae exhibeantur, qualiter non evenit in resolutionibus, quae ab Ecclesiis, ad quarum instantias editae fuerunt, nomenclaturam accipiunt, utpote quae solum in Ecclesiis iisdem assolent promulgari, licet postea ex hoc minime fiat, ut universali Ecclesiae, quoties innotescunt, non possint, imo non debeant in regulam deservire.«

5) Habent Sacrae Rituum Congregationis Decreta, ut licet ad particularium personarum instantias, aut quaesita emanata ea

Dictum fuit: *intuitu circumstantiarum*, quia aliquando vera Decreti ratio magis patet quam ea quae in dubio allegatur. *Cf. dicenda de anniversariis et exequiis pauperum lectis in duplicibus.*

Tandem animadvertendum est aliquando vix ac ne vix quidem discerni posse, an Decreta juxta hanc vel alteram regulam sint intelligenda. Et hoc quidem eo minus quod plura Decreta dici possunt et revera sunt mixta, quatenus scilicet partim sunt comprehensiva et partim extensiva, aut partim declarationem et partim dispensationem exhibent.

18. De quaestione, an dentur S. R. C. Decreta inter se pugnantia et quid juris in casu, satis erit sequentia exscribere, tum ex Gardelliana collectione tum ex Cavalieri desumpta. *a)* Gardellini in suo Monito ad *tom. I* haec scribit. „Neque vero me latet vetus illa querela, quod nonnulla ex Sacr. Rit. Congregationis Decreta tanquam inter se pugnantia aliquando videantur. At si modo sint, numero sane pauca haec sunt, imo etiam pauciora reperientur, ubi quis casuum, rerum, locorum, ac temporum rationes attente perpendat. Sint tamen; num idcirco S. Congregationem sibi non constare dicendum est? Nihil certe minus, sed tantummodo eamdem progressu temporis in aliam abiisse sententiam, quam potioribus rationum momentis suffultam comperiit. Caeterum si quando hujusmodi Decreta occurrunt, posterius semper praevalet, eique standum omnino est.“ Cf. S. R. C. 22 April. 1741 *ad 7, n. 3961.*

Quibus addenda videntur alia similia, quae paulo fusius adnotantur ad n. 4487 in *Patavina* tom. VIII ejusdem Gardellianae collectionis. „Antiqua — sunt adnotatoris verba — est nonnullorum querela, qui arbitrantur, et praedicant plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata,

sint, ad normam, et exemplum pro iisdem, et aliis similibus casibus in Ecclesia universali deserviant, nisi peculiaris aliqua adsit ratio, vel inspecta sit, aut circumstantia, quae Decreta penitus particularizet, et ultra personas, vel Ecclesias, pro quibus emanarunt, protendi ea non sinat. Talis est se in sacris ritibus dirigendi praxis omnium Ecclesiarum: Talis est sensus omnium Doctorum, qui de sacris ritibus, vel caeremoniis scripsere, et si talis non foret procedendi ratio, vel nulla, vel nimis inconstans, ac varia eorumdem sacrorum rituum, ac caeremoniarum extaret norma, ac regula, cum fere omnia eorumdem directiva Decreta ad instantiam particularium personarum sint emanata, et admodum perpauca sint Decreta generalia.“ *Caval. l. cit.*

quae sustinent sese inter adversa fronte pugnare. Hi autem errant quammaxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu; ignorant quandoque habendam esse rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductae, et difficillime sine offensione et scandalo abrumpendae; neque considerant in aliqualibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis a juris rigore consulto posse, vel debere recedi quoad ea, quae circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulae noxa inferatur. Quapropter si quis forte inveniatur, et sit, qui hujusmodi querelam instauret in praesenti casu; cum Sacra Congregatio *Patavinae Ecclesiae* illud negaverit, quod sub die 1 Maii 1688 *Augustanae Ecclesiae*, et sub die 26 Nov. 1696 *Beneventanae* indulserat (vide Decret. num. 3255). Iste certe haud discrimen attendens, quod casum inter et casum intercedit, falsa sua opinione deceptus a vero longissime aberrat. Sacra etenim Congregatio in *Patavina* Oratoris precibus abnuens generali regulae Pontificalis standum esse jure sancivit, legesque liturgicas, quae hac in re vetustissima et gravissima semper viguerunt, quasque servandas voluit, neque vel nulla, vel levissima admodum intercedente ratione, infirmandas est passa; quum ex instituto ritus omnes, et caeremonias in ritualibus Libris praescriptas (nisi rationabilis gravisque causa adducatur) eadem S. C. debeat protueri. Neque sibi adversatur, contradicitque si in *Beneventana* E^mi^ Archiepiscopi, qui postea in Petri Cathedra sedit *Benedictus XIII* appellatus, postulationibus annuens, rationabilibus de causis concedi posse sancivit, quod postea in *Patavina* negavit. Ne quis autem in posterum ea concessione abuteretur, clausulam addidit — *dummodo non transeat in exemplum.* — Hujusmodi autem clausula aperte significare voluit veterem hanc disciplinam, sacrosque Canones, qui eam praescribunt, in sua firmitate manere, Mentem vero Patrum Sacris Ritibus tuendis praepositorum fuisse et esse, ut nonnisi rationabilibus de causis dispensatio concederetur. Sane sibi hoc modo non adversatur, quippe quia, si tunc aliquid de hac veteri disciplina remisit, idipsum faciendum in *Patavina* non duxit, in qua similis satis valida non occurrebat, quae simili Indulgentiae viam aperiret, locumque dispensationi relinqueret. Qui enim aliquid quandoque vel ob validas gravesque circumstantias, vel etiam, si vis ex gratia, ex causis sibi notis,

concedere non renuit, nec semper ad idem concedendum tenetur, nec cogi potest, nec proinde sibi adversatur, nec ullam notam meretur, si aliis accedentibus de eadem re petitionibus illud ipsum deneget, quod alias putavit concedi posse.

Scite autem prudenterque clausulam illam in *Beneventana* addidit, ne scilicet plura dandi, ac afferendi possent dispensationis exempla, et ne ex concessionibus iteratis pedetentim abusus inducerentur, quibus eliminandis, si sint, vel praecavendis, si futuri praevideantur, eadem Sacra Congregatio adniti quammaxime debet.“ *Cf. quae de hac eadem re adnotantur tom. VI, n. 4392 ad 4.*

b) Cavalerius *tom. I, dec. 71, n. 13* supradictae querelae sic occurrit et respondet: „Sunt, qui irrident hujusmodi Decreta Sacrae Congregationis, quorum unum alteri contrarium est, ejusdem derogatorium. Verum isti irrideant, fas est, leges tam civiles, quam canonicas, irrideant statuta particularia, ac municipalia, ac constitutiones ipsas pontificias, quarum aliquae contrariae sunt, et derogatoriae priorum; cum enim in legum conditione tempus, locus, et quamplurimae aliae circumstantiae inspiciantur, mirum non est, si ad earumdem variationem oppositae quandoque leges prodeant, ac responsiones, ac priorum derogatoriae, quoniam quod bonum, ac utile est, tractu temporis, ac mutatis circumstantiis minus bonum, aut inutile non semel evadit; et licet Patres illi Eminentissimi sapientissimi sint, et non solum per se, sed etiam per viros peritissimos controversias, et difficultates sibi oblatas resolvant, ac decidant, adhuc posterioribus temporibus rationes efficaciores eisdem occurrere possunt, quae illos moveant ad concludendum oppositum, quae prioribus forsitan ignotae fuerunt; quando autem noxa, et efficax ratio occurrit, quae oppositum, ac firmatum est in prioribus Sanctionibus, congruentius esse evincat, aut suadeat, non inconstantis, sed sapientis est mutare consilium in melius, propria statuta derogando, et nova opposita statuendo.“

Haec subjungit *n. 14 seq.* „Si tamen verum fateri debemus, Sacrarum Congregationum responsiones quamplurimae e diametro contrariae circumferuntur, quae tamen authenticae minime sunt, sed apocryphae, et si quae germanae sunt, contrariae persaepe apparent, quia secundum verborum corticem tantummodo inspiciuntur, quae si bene, et profundius examinentur, facile conciliantur, et earumdem

omnis tollitur contrarietas. Ad hanc contrarietatem tollendam juvat etiam quammaxime petitionem, seu supplicationem exhibitam exacte examinare, ad quam responsiones per *l. De aetate ff. de interd. act.* solent conformari. Per haec tamen nos ire inficias nequaquam intendimus, nonnulla dari sibi invicem contraria Sacrae Congregationis responsa. Utique dantur, sed perpauca admodum sunt, et quae dantur, valida utique fundamenta habent, ut alibi pro opportunitate dictum venit, et nunc statim dicemus de praesenti Decreto quod praecedentibus derogare diximus."

19. VI. *Usus Decretorum.* Dicta de vi, promulgatione et extensione Decretorum S. R. C. jam satis ostendunt posse in eorumdem usu dupliciter peccari, videlicet, uti etiam in aliis disciplinis accidit, per defectum et per excessum. Volenti tamen morem gerere Sanctae Matri Ecclesiae non solum defectus, sed et excessus sedulo vitandus est. Quamvis enim obedientia Sanctae Sedi praestanda, *in se* nunquam excessiva esse possit, excedere tamen potest *in modo*, quatenus nempe ejusdem Decreta contra ipsius voluntatem aut mentem applicantur [1]. Porro *defectus* habetur, quando quis renuit Decreta observare, prout certo intendit Ecclesia; *excessus* vero, quando eadem applicantur ad casus aut circumstantias, in quibus Ecclesia vult aut velle censetur, sua Decreta vim non habere aut saltem ad tempus suspendi. Vid. dicenda de *consuetudine.*

20. In specie recensere juvat sequentes casus seu modos quibus committitur excessus.

1° Quando contra praxim receptam applicantur Decreta de quorum authenticitate aut sensu non satis constat.

2° Quando urgentur Decreta iis in circumstantiis, quibus ipsa Ecclesia ea applicare non vult, v. g. si quis privatus

1) Similiter et defectus et excessus committi potest quoad recursum ad S. R. C. Sane deficit qui ad eam recurrere detrectat, dum occurrit fundatum dubium cujus solutio ipsi reservatur. Sed excessus committitur, quando ad eamdem defertur dubium vel cujus solutio ita a circumstantiis pendet, ut certo praevideatur a Sacra Congregatione declinanda aut deneganda, vel quod aliud non habet fundamentum nisi interrogantis ignorantiam. Aliquando enim proponuntur quaestiones, quibus, ut scribit Gardellini *tom. VI, n. 4392 ad 5, nonnisi crassa rubricarum ignorantia causam praebere poterat.* Quod non animadvertere non poterit, qui nonnulla dubia S. C. Judicio subjecta legerit.

vellet, vi generalis Decreti, tollere vel consuetudinem immemorialem Dioecesis, inconsulto Ordinario, vel abusum, quem Ordinarius legitima de causa putat esse *ad tempus* tolerandum. Vid. dicenda *de consuetudine, n. 32.*

3° Quando ad factum applicatur Decretum quod de solo jure fuit datum, ut v. g. si Sacerdos in civitate Episcopali degens, dubitansque Ecclesiam Cathedralem esse consecratam, nollet hujus Anniversariae Dedicationis officium agere, allegando sibi non constare de ejusdem consecratione, etsi tamen dictum officium indicitur in Kalendario Dioecesano. Vid. S. R. C. *15 Maii 1819, n. 4409* et ea, quae ibi adnotat Gardellini. *Cf. cum Dec. 11 Aug. 1629, n. 679.*

4° Quando, tanquam *proprie* definitum a S. C., exhibetur quod nonnisi mediante ratiocinatione deducitur aut deduci videtur ex uno aut pluribus decretis. A quo vitio immunes non sunt Romsee *t. V, n. 170* et Deherdt *P. II, n. 33 fin.* ubi tanquam a S. R. C. definitum tradunt a celebrante recitari non posse aliquod Evangelium, psalmum aut orationem, ut v. g. *Miserere, de profundis,* nisi exutis vestibus sacris et recitato cantico *Benedicite.* Decreta enim ibi citata non agunt de aliquo psalmo aut oratione, sed de Passione D. N. J. C. post Missam legenda.

5° Quando Decretum quod datum fuit intuitu peculiarium circumstantiarum, ad dissimilem casum propria auctoritate extenditur, etc. — vel si Indultum particulare extenditur ad alium casum, quamvis sit similis, etc. Hinc S. R. C. *15 Sept. 1668, n. 2300* ad 5 rescripsit: „Verba Indulti intelligi prout jacent, nec ab alio quam a sede Apostolica explicari possunt, nec quispiam, nisi eadem Sedes facultatem habet extendendi Officium concessum de loco ad locum, ut ex d. Decretis Urbani VIII.“

§ II. DE CONSUETUDINE IN LITURGIO.

Consuetudinis seu usus, corruptelae seu abusus, notio et praecipua quoad rem divisio. — Ejus vis.

1. *Notio.* Consuetudinis vocabulum sumitur pro *assuefactione hominis*, pro *facto* et pro *jure.* — 2. Haec est *secundum, praeter* et *contra legem.* — 3. *Vis* consuetudinis secundum aut praeter legem. — 4. *Vis* consuetudinis contra legem duplex distinguitur, *indirecta* scilicet et *directa.* — 5. Utraque vis a legislatoris voluntate oritur. — 6. *Indirecta* probatur ex regula generali, ex praxi S. R. C. et ex ipsa rei natura. — 7. Quae tolerantia ad

tempus, limitanda non est ad solos casus a S. Sede definitos. — Judex de circumstantiis propter quas tolerandi sunt abusus. — 8. Clausula, *tollatur abusus*, non aufert ab Ordinario hujusmodi prudens arbitrium. — 9. Exceptio. — 10. Quaedam tamen Rubricae nulla consuetudine cessare possunt. — 11. *Vis directa* quibusdam consuetudinibus contra Rubricas tribuitur consensu legali aut personali. — 12. Conditiones generatim requisitae ut consuetudo praevaleat contra legem, ad duas reducuntur: ut sit *rationabilis* et *legitime praescripta*. — 13. Ut sit *rationabilis* duo requiruntur. — Legislatoris consensus est *legalis* aut *personalis*. — 14. Regulariter in casibus particularibus, solius Judicis seu Superioris est definire, an consuetudo sit rationabilis. — 15. Quod praesertim in Liturgia contingit, prout ex dicendis palam fiet. — 16. *Capitalis* quaestio de consensu legali aut personali praestito necne consuetudinibus quae sunt contra Rubricas. — 17. *Legalis* datur quibusdam consuetudinibus. — 18. *Aliis* denegatur. — 19. Probatur in specie de *Breviario*. — 20. De *Missali* probatio ex Bullis S. Pii V desumpta. — 21. et sqq. aliae recensentur probationes. — 25. Probatur de *Caeremoniali Episcoporum*. — 26. Item de Pontificali Romano — 27. et sqq. de Rituali Romano. — 31. Hucusque dicta explicantur et confirmantur, adductis quae hac de re scribit Gardellini ad n. 4470, 2 — 32. De *altera conditione*, seu de tempore requisito, ut consuetudo praescribere seu praevalere possit contra Rubricas, satis est duo adnotasse. — 33. Ex dictis duo fluunt corollaria practica, quorum unum ad *generales* seu Dioecesis, alterum ad *particulares* sive Parochiae usus pertinet.

1. I. *Notio*. Consuetudinis Vocabulum generatim sumitur in triplici sensu.

1° Pro *assuefactione hominis*. Hinc homo dicitur consuetudinarius.

2° *Pro facto* quod in frequentatione actuum vel morum alicujus communitatis consistit.

Et sic accepta, nempe pro ipsomet usu sive frequentatis actibus alicujus Populi seu Communitatis, dicitur esse *Facti*, et in *Facto* consistere. Et haec est via ad consuetudinem juris. Haec tamen non oritur ex quolibet usu, sed tantum ex usu undequaque rationabili. Si autem irrationabilis sit scilicet quia legi naturali aut divinae adversatur, vel quia lex humana ipsi resistit, dicitur *corruptela* aut *abusus*. Hinc formula *tollatur abusus*, qua S. R. C. declarare solet hunc vel illum usum, quamvis aliquando *in se* non sit malus, non habere vim abrogandi Rubricam cui adversatur et proinde eumdem esse abrogandum, nisi forte adsit sufficiens ratio illum, ad tempus, tolerandi.

3° Tandem Consuetudo sumitur *pro jure* quod ex ejusmodi diuturno usu, frequentatis actibus, nascitur.

2. Quoad rem nostram seu ratione effectus, Consuetudo, pro jure accepta, dividitur in eam quae est *secundum legem*, *praeter legem* et *contra legem*.

Consuetudo secundum legem est illa quae legem jam praeexistentem supponit, eamque vel deducit in usum, vel si ambigua est, interpretatur. Ad hanc referenda est Consuetudo quae determinat et introducit modum servandi hanc vel illam Rubricam.

Consuetudo praeter legem (quae et *juris constitutiva* dicitur), est illa quae reperitur in casibus illis qui a jure communi non sunt decisi. Ad hanc referenda est Consuetudo thurificandi SS. Sacramentum inclusum in Pyxide, cum defertur pro viatico infirmis. *Cf. S. R. C. 21 Jun. 1738, n. 3925.*

Tandem *Consuetudo contra legem* (quae et *Desuetudo* seu *Consuetudo legi contraria* appellatur) est illa qua lex scripta vel usu nunquam recipitur, vel jam recepta denuo contrariis moribus tollitur, usuque longaevo abrogatur. Ex Reiffenstuel *tom. I, lib. I, Decr. Tit. IV, a n. 3 ad 10.* Haec praemittenda erant ad definiendum an et quam vim habeat consuetudo in Liturgia.

3. II. *Vis.* 1° Circa vim consuetudinis, quae est *secundum*, imo *praeter Rubricam,* dubium non movetur. Etenim quae sunt juxta Rubricas laudabiliter, quin et non raro de praecepto erunt servandae. Quod idem fere dicendum venit de illis quae sunt praeter Rubricas. Nam *a)* saepe vix ac ne vix quidem distingui potest an consuetudo dicenda sit *secundum* aut *praeter* Rubricam, et *b)* insuper utriusque fere eadem est ratio, nimirum Sanctae Sedis voluntas praesumpta favore utriusque consuetudinis. Quae praesumptio inde oritur *a)* quod nulla datur ratio excipiendi hac in re Rubricas a regula generali, et *b)* hoc implicite docere videtur S. C., quando in casibus a Rubrica non decisis, remittit ad doctrinam Rubricistarum, si nulla allegetur consuetudo; et hanc si fuerit allegata, mandat servari, ut in cit. Dec. *21 Jun. 1738, n. 3925.*

Si dubitetur an aliqua consuetudo, quae in se spectata est rationabilis, sit praeter aut contra Rubricas, videtur posse servari. Nam „consuetudines laudabiles et rationabiles servari licite possunt, inquit adnotator ad *n. 4474, 1 collect. Gardell.,* quamvis plane non conveniant cum regulis

contentis in Caeremoniali Ep., Rituali Rom. aliisque liturgicis codicibus."

4. 2° De vi consuetudinis contra Rubricas paulo fusius dicendum. Praenotandum duplicis generis vim habere posse consuetudinem contra Rubricas, scilicet *indirectam* et *directam*. *Indirecta* est quae non ex ipsa consuetudine sed ex circumstantiis oritur, quando scilicet istiusmodi est consuetudo, ut non praevaleat contra Rubricam, cui adversatur, et tamen ea posita, necessarium sit ac proinde licitum ut ad tempus [1] toleretur. *Directa* autem est quae ex ipsa consuetudine legitima oritur.

5. Utraque vis, tam indirecta quam directa, ultimo repetenda est a voluntate legislatoris, qui nimirum consentit, ut lex sua, quibusdam in casibus, vel suspendatur seu non obliget cum tanto incommodo aut difficultate. *Cf. Dens de Legibus n. 72, IV,* vel cesset seu abrogetur accedente contraria consuetudine, quae fuerit rationabilis et legitime praescripta. *Cf. Bened. XIV, de Syn. l. XII, c. 8, n. 8.* In priori casu lex ad tempus tantum suspenditur, seu praxis contraria, quae etiam abusus dicitur, toleratur quousque perseverat difficultas. In posteriore autem casu lex omnino tollitur ubi viget legitima consuetudo contraria.

6. Rubricas aliquando suspendi propter abusus, seu hos ad tempus interdum tolerari, satis constat ex regula generali, juxta quam legislator quasdam leges non urget cum tanto incommodo. Siquidem ab hac regula generali gratis excluderenter omnes omnino Rubricae. Imo istiusmodi exceptio repugnaret praxi S. R. Congregationis. Etenim „novum non est, inquit Gardellini ad *n. 4444, dub. IX versus finem*, ut S. C. prudenti aliqua discretione utatur in iis quae in sacris ritibus quamdam possunt aut moderationem aut indulgentiam admittere, ad effectum evitandi admirationem offensionemve et scandala." Quia nempe, spectatis circumstantiis, Rubricarum observantia vel nobis nimis gravis, vel fidelibus aut aliis clericis offensiva evaderet. *Cf. dicta supra art. II, § 1* de abusu Decretorum et de eorumdem objecta repugnantia. Quod periculum non aderit ubi de usibus agitur, ad quos populus non attendit, ut est v. g. usus recitandi, in Missis quotidianis Defunctorum,

1) *Ad tempus,* quia tolerantia non facit, ut abusus contra Rubricam praevaleat. *Cf. Gardellini ad n. 4453, 1, § Rubrica, versus medium.*

primam orationem propriam defuncto aut defunctis pro quibus offertur. E contra timeri poterit respectu usuum, erga quos vehementi amore afficitur. Passim occurrunt S. R. C. Indulta, intuitu circumstantiarum hujus generis, data. Sic v. g. S. R. C. de quodam abusu consulta, Episcopo consultanti respondit *die 22 Julii 1848.* „Pro gratia speciali, non obstantibus Decretis, Episcopus, pro suo arbitrio et prudentia juxta particulares casus, et circumstantias indulgeat.“ n. 4969, in una *Montis Politiani.*

7. Attamen hujusmodi tolerantia limitanda non est ad solos casus a S. C. definitos. Nam judicium de necessitate hujus temporariae tolerantiae non excedit limites jurisdictionis ordinariae Episcopi, ubi de abusu generaliter introducto in sua Dioecesi agitur, nec ipse dubitat, quin adsint sufficientes rationes favore tolerantiae. Quinimo frequenter hisce in casibus Sancta Sedes rem committit prudenti arbitrio Ordinarii, ut pro circumstantiis ipse abusum permittat aut cohibeat. Illud commisit Episcopo Montis Politiani, ut refertur supra. Prae oculis autem habendum quod antea dictum est, scilicet sola tolerantia Rubricam non tolli, sed tantum suspendi ac proinde ad usum esse revocandam, ubi cessat ratio in contrarium, seu ubi abusus commode tolli potest. Excipe si magis expedire judicetur indultum petere a Sancta Sede.

8. Nec hujusmodi prudens arbitrium, de abusu tolerando necne, ab Ordinario aufertur hac vel simili clausula: *Tollatur abusus eliminandum abusum.* Nam hujusmodi formula declaratur usum, de quo consulta fuit S. C., istius esse indolis ut sit abusivus, nec proinde possit contra Rubricam praevalere, ac sit consequenter tollendus, positis tamen quae, attenta ipsius rei natura, supponuntur circumstantiis, illis scilicet, in casu, juxta quas aestimatur opportunum, ut toleretur aut tollatur abusus. Aliud enim est declarare aliquid esse abusum, ac proinde aliquando tollendum, aliud definire tempus et modum e medio tollendi corruptelam.

9. Excipiendus autem casus quo intelligi posset S. C., omnibus perspectis casus circumstantiis velle ut hic et nunc, statim removeretur abusus. Sed hoc communiter non definit S. R. C. et potius prudenti Ordinarii arbitrio committit examen et judicium de opportunitate, attentis locorum et personarum circumstantiis. In exemplum sit Dec. cit. supra *22 Julii 1848.*

10. Dictum fuit: *omnes omnino Rubricae,* quia certum est quasdam dari Rubricas quae nulla consuetudine tolli, nulla corruptela suspendi possunt, ut v. g. *Rub. I, Tit. XIX* de Planeta semper adhibenda super albam ad offerendum SS. Missae Sacrificium. *Cf. S. Lig. n. 377 de Euch.*

11. Pariter constat haberi consuetudines, quae utpote legitimae, Rubricam, cui adversantur, abrogant. Tales sunt tum illae quibus assistit consensus legalis, ut quae jam a ducentis annis vigebant tempore reformationis Missalis et Breviarii, tum illae quae, etsi hujusmodi consensu destituuntur, speciatim sive in individuo, sive in casu simili seu generico fuerunt approbatae. Sic v. g. S. R. C. *12 Nov. 1831, n. 4520, ad 32,* declaravit servandam esse cujusque loci consuetudinem quoad observantiam *Rub. 11, Tit. VII,* quae praescribit, ut Subdiaconus accedat ad Altare ad dicendum *Sanctus* cum Celebrante. Idem resolutum fuit de stola adhibenda ad concionandum. *Cf. etiam in Ordine canonic. Regul. Lateranensium 2 Dec. 1684, n. 2925, ad 13* de consuetudine immemorabili cantandi votivam B. M. V. in sabbatis, occurrente officio duplici. Et *in Lucionen. 12 Aug. 1854 ad XIV,* ubi approbatur usus celebrandi, in casu, Festum in die non natali. Itaque tota quaestio cohibetur ad conditiones requisitas, ut consuetudo praevaleat contra Rubricam.

12. Porro omnes conditiones requisitae ut consuetudo, quae est contra legem, sit legitima, commode ad duas reducuntur a Reiffenstuel *Tit. IV cit. § II, n. 30,* et Bened. XIV *cit.,* scilicet ut consuetudo sit *rationabilis* et *legitime praescripta.* Nam in his duabus comprehenduntur illae quatuor quas requirit Schmalzgrueber *h. t. IV, § 1, n. 7.* De his conditionibus agit *ex professo tractatus de legibus. Hic* ea tantum exponuntur quae magis proprie respiciunt Rubricas, vel omnino necessaria sunt ad praesentem materiam rectius intelligendam.

13. Ut consuetudo sit *rationabilis,* duo generatim requiruntur, scilicet *a)* ut, *in se* spectata, sit bona vel saltem indifferens, *b)* ut accedat consensus Legislatoris. Qui consensus duplex distinguitur: unus *legalis,* qui locum habet, quando lex permittit, ut consuetudo legitima ipsi derogare valeat; alter *personalis,* qui non exprimitur in lege, sed in specie datur particulari consuetudini, attentis plerumque circumstantiis. *Cf. Schmalzgrueber Tit. IV, P. I, § IV, n. 15,* et *Bened. XIV de syn. l. XIII, c. 5, n. 5.*

14. Priorem generatim tribuunt leges humanae. In casibus tamen particularibus, qui non sunt a Jure decisis, saepe non sufficit ille legalis seu generalis consensus, sed ordinarie prudenti Judicis arbitrio relinquitur definire, utrum haec vel illa consuetudo sit rationabilis necne. *Cf. Reiffenstuel Tit. cit. n. 41.*

15. Itaque in Rubricis, quae paucis consuetudinibus contra ipsas praebent consensum legalem, quarumque observantia commissa est vigilanti et sollicitae curae specialis Congregationis, raro omitti poterit recursus ad S. Sedem, ut sciatur, an consuetudo quae est contra Rubricas, sit rationabilis necne; ac ideo hic praetermittere licet regulas, quae generatim ab A A. traduntur ad discernendum, an consuetudo sit rationabilis aut corruptela. Statim igitur solvenda proponitur sequens capitalis quaestio:

16. An Rubricae, *sicuti aliae leges humanae,* tribuunt consensum legalem consuetudinibus quae ipsis adversantur, seu aliis terminis; an consuetudines contra Rubricas, has abrogare valeant sine personali Legislatoris consensu, scilicet sine speciali Sanctae Sedis approbatione data singulis aut saltem similibus casibus?

Not. Dicitur in quaestione: *sicuti aliae leges humanae,* quia cum pleraeque Rubricae sint leges humanae, respectu harum stat praesumptio pro sententia affirmativa, ac proinde sententia negativa non est praesumenda, nec admittenda, nisi et quatenus probetur.

17. Resp. 1° affirmative *a)* pro consuetudinibus [1] contra Rubricas Breviarii et Missalis quae jam a ducentis annis assidue fuerant observatae, quando S. Pius Papa V suas bullas edidit de adhibendis Breviario et Missali reformatis.

b) De consuetudinibus contrariis Libro Caeremoniali Episcoporum quae erant laudabiles ac immemorabiles, quando editus fuit ille Liber, idem videretur dicendum, si sola attenderentur duo S. R. C. Decreta quibus declaratum fuit, *11 Jun. 1605, n. 120,* Caeremoniale Episcoporum non tollere, etiam per totum Orbem Christianum, *17 Jun. 1606, n. 171,* laudabiles et immemorabiles consuetudines. Nam in his

1) Hic abstrahitur a quaestione, an omnes consuetudines, etiam quibus assistit generale privilegium, suppressae fuerint, in territorio Reipublicae Gallicanae, per Concordatum 1801. De hoc agit *tractatus de Legibus. Vid. Resp. Conf. Eccl. Dioec. Dec. 1854 de Jure canonico.*

Decretis, attento solo tenore prioris dubii n. 120, agi videtur de consuetudinibus Caeremoniali contrariis. At ne hoc admittamus, nos cohibent sequentia verba quae leguntur in Bullis *Clementis VIII, Innocentii X* et *Benedicti XIII* de Caeremoniali datis. „Per praesentes, aiunt, antiqua Caeremonialia in his, quae praedicto Caeremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus, sed illorum usum (salva reformatione praedicta) permittimus.“ *Vid. not. infra ad n. 25.* Confirmatur ex sequentibus quae scribit *Gardellini n. 4523 ad 1 in Pisana.* Ex Bullis hic citatis ita concludit et argumentatur. „Summi itaque Pontifices toti in eo sunt, ut quae in Caeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta, accuratissime serventur, ut Sacri Ritus et Caeremoniae juxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur, nec aut quadam aliquorum libertate, aut aliorum negligentia, aut aliquorum non recta interpretatione ex propria cujusque commoditate non semel orta, novitatibus inductis Ritus ipsi, et Caeremoniae Ecclesiae corrumpantur, et per mutationes ipsas, et novitates, externus cultus sancto studio, sancta sollicitudine, tam diligenti cura et labore ad Religionis ipsius majestatem statui penitus cum ipsius Religionis detrimento vilescant. His positis quidquid diverso modo, quo statutum est, peragitur, contra Caeremoniale peragitur et nulla unquam consuetudo, (si eas excipias quae ut legitimae, et conditionibus necessariis indutae ab Ecclesia ipsa sunt approbatae) contra illius legem potest praescribere, nullam potest constituere exceptionem, nullam normam aut regulam efficere, nec approbari unquam poterit, quin imo non summopere reprehendi. Aut enim consuetudo, quae profertur in medium, quamque nescio quis velit in casu protueri, est ante Caeremonialis correctionem, confirmationem et approbationem Summorum Pontificum, qui illud correxerunt, confirmarunt, approbarunt, aut postea: Si ante, jam consuetudines istae si peculiari modo non sint approbatae (neque enim approbari possunt quod directe Caeremonialis praescriptis adversantur) per genericam abrogationem, abrogatae censendae sunt: si postea inductae sunt, jam eo ipso contra Caeremonialis statuta ejusque leges sunt inductae et inobedientiam Ecclesiae legibus redolent, et novitatis notam merentur propriaeque commoditatis amorem prae se ferunt, ideoque reprobandae sunt ac rejiciendae, utpote Caeremoniali adversae.“

c) Affirmandum est pro quibusdam consuetudinibus quas permittit Rituale Rom. ut *v. g.* de officio Defunct. et Matrimonii celebratione. Hujusmodi tamen consuetudines potius referendae sunt ad eas quae sunt juxta aut praeter Rubricas.

d) Idem resolvendum de consuetudinibus quae fuerunt a Sancta Sede generatim approbatae, quamvis in responso ad dubium particulare ut *v. g.* consuetudo immemorialis adhibendi stolam ad concionandum.

18. 2° *quoad alias consuetudines contra Rubricas Breviarii, Missalis Pontificalis, Caeremonialis Episcop., et Ritualis Romani,* resp. *a)* Certum est denegari consensum legalem illis consuetudinibus quae repugnant Rubricis Breviarii, Missalis et Libri Caerem. Episcoporum.

b) Idem esse resolvendum quoad Pontificale Romanum, nullum dubium relinquere videtur Bulla Clementis P. VIII.

c) Videtur idem etiam tenendum de Rituali Romano.

Hae tres propositiones, prout ipsi termini prae se ferunt, non aeque certo probantur.

Primam propositionem extra omne dubium ponunt Bullae S. Pii V editae de Breviario et Missali, et S. R. C. Decretum de Caerem. Episc.

19. 1° S. Pius V in Bulla *Quoad a nobis*, data Romae septimo Idus Julii an. 1568, primum significat causam edendi novi Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem. Deinde postquam enarravit ea quae in hac re praestitere Paulus IV et Pius etiam IV et quam ipse operam adhiberi curavit, ex Decreto Tridentinae synodi tollit et abolet omnino Breviarium a Cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum, et ita prosequitur: „Ac etiam *abolemus quaecumque alia Breviaria* vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel *ab episcopis in suis dioecesibus pervulgata*, omnemque illorum usum de omnibus orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, ordinibus, et locis virorum ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit, aut debet. Illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione a Sede apostolica approbata, vel consuetudine, quae, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit, quibus, ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placeat, dummodo episcopus et universum capitulum in

eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus.

Omnes vero et quascumque apostolicas et alias permissiones ac *consuetudines et statuta* .. necnon privilegia, licentias et indulta precandi ... praedictis ecclesiis, caeterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus utriusque sexus, quacumque causa concessa ... omnino revocamus, volumusque *illa omnia vim et effectum de caetero* non habere.

Omni itaque alio usu, quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam ... praecipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum *nullo unquam tempore,* vel in toto, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse; ac quoscumque, qui horas canonicas ex more et ritu ipsius Romanae Ecclesiae, jure vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis poenis per canonicas sanctiones constitutis in eos qui divinum officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas *ex hujus Romani Breviarii praescripto et ratione omnino teneri,* neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est *nisi hac sola formula satisfacere posse.*"

20. 2° De Missali placet hic exscribere in extenso Bullam ejusdem S. Pii V *Quo primum,* editam *pridie Idus Julii* ***1570.***

„Quo primum tempore, inquit S. Pontifex, ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum viresque nostras intendimus, et cogitationes omnes direximus, quae ad Ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent, eaque parare et, Deo ipso adjuvante, omni adhibito studio efficere contendimus. Cumque inter alia sacri Tridentini Concilii decreta, nobis statuendum esset de sacris libris, Catechismo, Missali, et Breviario, edendis atque emendandis: edito jam, Deo ipso annuente, ad populi eruditionem Catechismo, et ad debitas Deo persolvendas laudes Breviario castigato, omnino, ut Breviario Missale responderet, uti congruum est et conveniens (cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missae celebrandae ritum esse maxime deceat), necesse jam videbatur, ut quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo, quam primum cogitaremus. Quare eruditis delectis viris onus hoc demandandum duximus, qui quidem diligenter

collatis omnibus cum vetustis nostrae Vaticanae Bibliothecae, aliisque undique conquisitis, emendatis atque incorruptis codicibus, necnon veterum consultis ac probatorum auctorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam Missale ipsum sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt. Quod recognitum jam et castigatum, mature adhibita consideratione, ut ex hoc instituto, coeptoque labore, fructus omnes percipiant, Romae quam primum imprimi, atque impressum edi mandavimus: nempe ut sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus, quasve caeremonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant. Ut autem a sacrosancta Romana Ecclesia, caeterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita *ubique amplectantur omnes et observent, ne in posterum perpetuis futuris temporibus in omnibus* Christiani orbis provinciarum Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus, saecularibus, et quorumvis Ordinum, Monasteriorum, tam virorum, quam mulierum, etiam militiarum regularibus, ac sine cura Ecclesiis, vel Capellis, in quibus Missa conventualis alta voce cum choro, aut demissa celebrari juxta Romanae Ecclesiae ritum consuevit, vel debet, *alias quam juxta Missalis a nobis editi formulam* decantetur, aut recitetur, etiamsi eaedem Ecclesiae quovis modo exemptae Apostolicae Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam juramento, confirmatione Apostolica, *vel aliis quibusvis facultatibus munitae* sint: nisi ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quae, vel ipsa institutio, super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidue observata sit: a quibus, ut praefatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus, sic si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curavimus, iisdem magis placeret, de Episcopi, vel Praelati Capitulique universi consensu, ut quibusvis non obstantibus, juxta illud Missas celebrare possint, permittimus: ex aliis vero omnibus Ecclesiis praefatis eorumdem Missalium usum tollendo, illaque penitus et omnino rejiciendo, ac huic Missali nostro nuper edito, *nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostrae poena,* hac nostra *perpetuo* valitura constitutione statuimus et ordinamus. Mandantes, ac districte omnibus et singulis Ecclesiarum praedictarum Patriarchis, Administratoribus aliisque personis quacumque

Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiamsi S. R. E. Cardinales, aut cujusvis alterius gradus et praeeminentiae fuerint, illis in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut caeteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus quantumvis vetustis hactenus observari consuetis, *in posterum penitus omissis,* ac plane rejectis, Missam juxta *ritum modum ac normam,* quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent, ac legant: neque in Missae celebratione alias caeremonias, vel preces quam quae hoc Missali continentur, addere, vel recitare praesumant. Atque ut hoc ipsum Missale in Missa decantanda, aut recitanda, in quibusvis Ecclesiis absque ullo conscientiae scrupulo, aut aliquarum poenarum, sententiarum, et censurarum incursu posthac omnino sequantur, eoque libere et licite uti possint et valeant auctoritate Apostolica, tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. Neve Praesules, Administratores, Canonici, Capellani, et alii quocumque nomine nuncupati Presbyteri saeculares, aut cujusvis Ordinis regulares, ad Missam aliter, quam a nobis statutum est, celebrandam teneantur: neque ad Missale hoc immutandum a quolibet cogi et compelli, praesentesve litterae ullo umquam tempore revocari, aut moderari possint, sed firmae semper et validae in suo existant robore, similiter statuimus et declaramus. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus: necnon Ecclesiarum praedictarum usu, longissima et immemorabili praescriptione, non tamen supra ducentos annos, roborato, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Volumus autem, et eadem auctoritate decernimus, ut post hujus nostrae constitutionis ac Missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia Presbyteri, post mensem; qui vero intra montes, post tres; et qui ultra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, juxta illud Missam decantare vel legere teneantur. Quod ut ubique terrarum incorruptum, ac mendis et erroribus purgatum praeservetur, omnibus in nostro et sanctae Romanae Ecclesiae dominio mediate vel immediate subjecto commorantibus impressoribus, sub amissionis librorum ac centum ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto applicandorum; aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus

sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrii nostri poenis, ne sine nostra, vel specialis ad id Apostolici Commissarii in eisdem partibus a nobis constituendi licentia, ac nisi per eumdem Commissarium eidem impressori Missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impressore erit accipienda norma, cum Missali in Urbe secundum magnam impressionem impresso collatum fuisse, et concordare, nec in nullo penitus discrepare prius plena fides facta fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere ullo modo audeant vel praesumant, auctoritate Apostolica et tenore praesentium similibus inhibemus. Verum, quia difficile esset praesentes litteras ad quaeque Christiani orbis loca deferri, ac primo quoque tempore in omnium notitiam perferri, illas ad Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae de more publicari et affigi, ac earumdem litterarum exemplis etiam impressis, ac manu alicujus publici tabellionis subscriptis, necnon sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus indubitatam fidem ubique gentium et locorum haberi praecipimus, quae praesentibus haberetur, si ostenderentur, vel exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae permissionis, statuti, ordinationis, mandati, praecepti, concessionis, indulti, et declarationis, voluntatis, decreti, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo, septuagesimo, pridie Idus Julii, Pontificatus nostri anno quinto."

Vel legenti has Bullas satis manifestum fit eas resistere consuetudinibus ibi non exceptis, etiam futuris. Hoc enim eruitur:

a) Ex ipsis Bullarum verbis, scilicet quoad Breviarium ex sequentibus. „Volumus consuetudines... *Vim* et *effectum de caetero* non habere, statuentes Breviarium ipsum *nullo unquam tempore* vel in toto *vel ex parte mutandum*, etc... *nisi hac sola formula satisfacere* posse." —

Circa Missale: „huic Missali nostro *nihil unquam detrahendum aut immutandum,* etc. — ut caeteris rationibus, etc. *in posterum penitus omissis ac plane rejectis*, Missam juxta ritum, modum ac normam, etc."

21. Aliae insuper probationes, si cui hae non sufficiant, sunt in promptu, quae videlicet desumuntur ex limitatione in Bullis facta, ex fine, ob quem reprobantur consuetudines, ex declarationibus Apostolicae Sedis atque ex ejusdem praxi. Auctoritas autem Doctorum hic silentio praetermittitur. Cui vero hanc auçtoritatem probationibus allatis, quae nulli sane, ne levissimo quidem, dubio relinquunt locum, superaddere placuerit, multos et magni nominis Auctores hac de re citatos reperiet in *Tractatu de Jure Liturgico D. Bouix, P. 4, c. II, § 3, prop. 6a*, et *§ 1*.

Dictae probationes desumi possunt *a) Ex limitatione, quae aliquas excipit consuetudines;* siquidem exceptio firmat regulam, seu unius affirmatio est alterius negatio.

b) Ex ratione seu fine propter quam abrogantur consuetudines existentes. Eadem scilicet ratio militat pro abroganda quacumque consuetudine, praeter exceptas, cujuscumque sit temporis. Nam illa ratio eadem est ac ipse finis Rubricarum, ad quem non parum conducit unitas, et cui e contra maxime adversantur consuetudines Rubricis contrariae. At quando ratio, ob quam abrogatur aliqua consuetudo, militat etiam contra alias, hae censentur pariter abrogatae. *Cf. Reiff. l. c. n. 191;* quia, inquit Schmalzgrueber *l. c. n. 23,* quamdiu manent illae circumstantiae propter quas consuetudo adversa legi reprobatur per legem, lex est et perseverat esse rationabilis, et consequenter consuetudo illi contraria est irrationabilis.

22. Objicitur. Argumentum nimis probat. Namque S. R. C. aliquando praebet consensum expressum consuetudinibus contra Rubricas, et ita quidem, ut illis tribuatur vis directa. Atqui hoc fieri nequaquam posset, si semper eadem obstaret ratio. Ergo.

R. Dist. minorem probationis. Si aeque obstaret eadem ratio respectu cujusque consuetudinis et ita quidem, ut nunquam, etiam omnibus adjunctis perpensis, dari posset ratio potior favore adversae consuetudinis, concedo minorem; atqui res ita se habet, nego, ut constat ex praxi S. C. *de qua ad d).*

Inst. Si eadem ratio non aeque militat in omni casu, ergo nihil probat argumentum, cum legislator censeatur, ex hoc capite, consentire in casu ubi reperitur ratio sufficiens.

R. Nego consequens ejusque probationem. Exinde enim quod illa ratio, generatim loquendo, semper et cuicumque

adversae consuetudini obstat, sed minus urget in uno quam in altero casu, sequitur nullam consuetudinem contra Rubricas praevalere posse nisi, omnibus circumstantiis pensatis, judicetur adesse sufficientem causam non servandi Rubricam, cui opponitur, scilicet jam mutatas esse circumstantias. At hoc judicium sibi reservasse censenda est Sancta Sedes propter allatam rationem, ob quam scilicet maxime interest, ut a Rubrica non recedatur nisi, omnibus circumstantiis ab ipsa rite et in specie pensatis. Quod confirmatur tum *ex dictis supra II, a) cum Reiff.* tum *ex dicendis de praxi Ecclesiae* hic ad *d)*, et *n. 31.*

23. *c) Ex declarationibus ipsius Apostolicae Sedis,* quibus tanquam irrationabilis reprobatur consuetudo tum Missali, tum Breviario adversa. Quando enim aliqua consuetudo fuit reprobata veluti irrationabilis, tunc nunquam potest, iisdem saltem manentibus circumstantiis, contra legem praevalere. *Vid. Reiff. l. c. n. 186.*

Jam vero quod ad *Missale* attinet, S. R. C. Decreto, quod *initio Missalis* legitur, declarat esse abusum consuetudinem Missali contrariam. Idem respondit *die 16 Martii 1591, ad 10.* „Consuetudines, ait, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam Pii V in principio ipsius Missalis impressam, et dicendae sunt potius corruptelae, quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant per Episcopum ad observantiam Rubricarum, et Regularum Missalis.“ *Apud Gardellini, tom. VII, supplem. n. 15.* Et *die 14 Junii 1845, n. 4873.* „Omnibus mature consideratis, praesertim quod juxta alias decreta, nulla consuetudo praescribere valeat Rubricarum dispositioni, E.E. et R.R. P.P. S.S. Ritibus tuendis praepositi rescribendum censuerunt: *Capite cooperto juxta Rubricas.*“ Dubium erat de Sacerdote procedente ad celebrandum.

De *Breviario* non quidem datur Generalis declaratio qua veluti abusus reprobentur omnes consuetudines ei adversae. Sed cum Decreta data de Missali sint merae declarationes et eadem militet ratio pro Breviario, atque utriusque Bullae Pianae, de Missali scilicet et Breviario, iidem aut aequivalentes sint termini, jam citata Decreta applicanda sunt etiam consuetudinibus contra Breviarium. Quod caeterum confirmatur,

d) ex praxi S. R. C., quae non raro reprobat veluti corruptelas seu abusus consuetudines Breviario adversas,

quamvis tamen sint immemoriales et in se bonae aut indifferentes. Sic *die 16 Martii 1658, n. 1721* respondit: „servandas esse Rubricas (nempe Breviarii) et contrariam immemorabilem esse abusum.“ — *Die 17 Nov. 1674, n. 2567* rescripsit: „servandas esse Rubricas de Translatione Festorum.“ — Et *die 28 Sept. 1675, n. 2597, ad 5*, ubi tamen allegabatur immemorialis, respondit: „Servetur Bulla Pii V impressa in Breviario.“ Conferri etiam possunt responsa ad alia dubia ibi proposita. Ex hac praxi, quae confirmari potest pluribus Decretis, satis eruitur Apostolicam Sedem denegare consensum legalem ipsis consuetudinibus immemorialibus, eo ipso quod Rubricis Breviarii repugnant. Quod autem a fortiori dicendum de aliis consuetudinibus, siquidem immemoriales, non aliae, eo gaudent privilegio, ut ipsae generatim non abrogentur per illam generalem clausulam revocatoriam: *non obstante quacumque consuetudine. Vid. Reiffenstuel l. c. n. 189.* Posset etiam a fortiori argumentari ex *Dec. 11 Sept. 1847, n. 4941, ad 16* supra *cit. § 1, n. 4,* juxta quod Decreta quaecumque S. R. C. derogant ipsis immemorialibus.

24. Addi potest, jam manifestum esse Sedem Apostolicam maxime in votis habere, imo et velle, ut Ecclesiae latinae, relictis peculiaribus liturgiis, quae apostolica approbatione destituuntur, liturgiam Ecclesiae Romanae seu Catholicae, non neglectis tamen prudentiae opportunis mediis, reassumant. Quod videre est in Litteris quas hac de re recenter dederunt multi Galliarum Episcopi. Inter alia *cf. Litt. Archiep. Rothomag. infra ad n. 32 cit.*

25. 3° *Consuetudinibus Libro Caeremoniali Episcoporum contrariis* resistere Legislatorem, clare docetur in Decreto S. R. C. *12 Decemb. 1832, n. 4547,* ubi S. Congregatio sui Decreti hanc affert rationem, videlicet „Caeremonialis Episcoporum legem a Summis Pontificibus *Clemente VIII* [1],

1) „Caeremoniale Episcoporum hujusmodi — inquit hic Pontifex — jussu nostro emendatum et reformatum motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus, et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse praecipimus, et mandamus; ac Caeremoniale hujusmodi sic emendatum, et reformatum *nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse,* ac quascumque personas praedictas, quae sacer-

Inn. X, et *Bened. XIV,* latam et confirmatam, hujusmodi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat, accedentibus praesertim non paucis S. R. C. Decretis."

Decreta, *supra cit. ad n. 17 b),* non officiunt. Attentis enim Bullis citatis, ea intelligenda sunt de consuetudinibus Caeremoniali conformibus, quatenus hae solae haberi possint *laudabiles.* Caeterum si quis aliter ea voluerit intelligere, fateri cogetur eadem hoc ultimo fuisse revocata, saltem quoad consuetudines dictis Bullis posteriores.

26. 4° De *Pontificali Romano* haec decernit *Clemens VIII, in Bulla Ad perpetuam rei memoriam,* „*Ex quo in Ecclesia Dei,*" quae initio Pontificalis legitur. „Statuentes, ait, Pontificale praedictum *nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum,* vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quascumque personas, quae Pontificalia munera exercere, vel alias, quae in dicto Pontificali continentur, facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda, ex hujus Pontificalis praescripto et ratione teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse."

In confirmationem adduci possunt plura ex argumentis supra allatis.

27. 5° Bulla Pauli P. V, de *Rituali Romano,* quae incip. *Apostolicae Sedi,* et initio ejusdem legitur, non quidem ita expresse reprobat consuetudines eidem contrarias. Hoc tamen non obscure eruitur ex ipsius Bullae tenore, unde fluit sequens argumentum, quod caeterum aliis confirmabitur.

a) Ex ipsa Bulla non obscure eruitur legislatorem resistere consuetudinibus Rituali Romano contrariis. Pontifex enim circa Rituale Romanum, idem intendit quam ipsius praedecessores intenderunt de Breviario, Missali, Pontificali

dotalia munera exercere, aut alia quaecumque in ipso Caeremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, et praestanda juxta hujus Caeremonialis formam, et praescriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quae hoc Caeremoniali continentur, servatis satisfacere posse, perpetuo statuimus, et ordinamus.

Per praesentes autem antiqua Caeremonialia in his, quae praedicto Caeremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censeri volumus, sed illorum usum (salva reformatione praedicta) permittimus."

et Caeremoniali Episcoporum, hocque non minus efficaciter vult procurare. Ergo media aeque efficacia, nimirum fini intento proportionata, censendus est adhibere.

Antecedens manifestum fit legenti Bullam. Vult enim, ut religiose observentur, Apostolicis traditionibus et Sanctorum PP. Decretis constituti, Ritus et Caeremoniae, hacque ratione quoad Sacramenta et alia, quae ad Rituale spectant, constituantur quae antea praestita sunt de Breviario, Missali, Pontificali et Caeremoniali Episcoporum. Caeterum en ipsius Bullae verba.

28. „Apostolicae Sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis, praepositi, Nostrae sollicitudinis esse intelligimus, super universam Domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste, et secundum ordinem fiant, praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari Apostolicis traditionibus, et S.S. Patrum Decretis constitutos Ritus et Caeremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur. Quamobrem fel. rec. Pius Papa V Praedecessor noster, hujus nostri tunc sui officii memor, ad restituendam sacrorum Rituum observationem in sacrosancto Missae Sacrificio, divinoque Officio, et simul ut catholica Ecclesia in Fidei unitate, ac sub uno visibili capite B. Petri Successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterit, teneret, Breviarium primum, et deinde Missale Romanum, multo studio et diligentia elaborata pastorali providentia edenda censuit. Cujus vestigia eodem sapientiae spiritu secutus similis memoriae Clemens Papa VIII, etiam Praedecessor noster, non solum Episcopis, et inferioribus Ecclesiae Praelatis accurate restitutum Pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus et inferioribus Ecclesiis caeremonias promulgato Caeremoniali ordinavit. His ita constitutis restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri et sinceri catholicae Ecclesiae Ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent, ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis praescriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria tamquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede

ambularent cum consensu." Deinde narrat Pontifex quid praestiterit, ut opus ad felicem exitum perduceretur, et quomodo demum, divina aspirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confectum sit. „In quo, prosequitur, cum receptos et approbatos Catholicae Ecclesiae Ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Ecclesiae Dei bono judicavimus. Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii, ejusdem Ecclesiae omnium matris et magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent."

29. Nec quis opponat ibi adhiberi verbum *adhortamur* quod consilium, minime autem praeceptum importat. Praeceptum enim non ex illo verbo sed ex tenore Bullae aliisque adjunctis eruitur. Huic autem praecepto nulla ratione officit adhortatio Pontificis. Siquidem novum non est, ut superior subditos ad servanda praecepta adhortetur. Sic v. g. Divus Paulus *II Cor. 6, 1,* ad id quod est praeceptum Corinthios adhortatur, ne videlicet in vacuum gratiam Dei recipiant.

30. *b)* Scopus seu finis Rubricarum Ritualis idem est quam aliarum Rubricarum, ac proinde non minus urget. „Summi itaque Pontifices, inquit Gardellini *ad n. 4523 in Pisana ad 1,* toti in eo sunt, ut quae in caeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta accuratissime serventur, ut sacri Ritus et Caeremoniae juxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur.

c) Voluntas S. Sedis, ut liturgia Romana, seu Ecclesiae Romanae id est catholicae, reassumatur, procul dubio comprehendit Rituale Romanum aeque ac alios libros liturgicos.

d) Praxis Apostolicae Sedis id ipsum confirmat. Nam ex Declaratione S. R. C. *7 Apr. 1832, n. 4532, ad 5* „illi soli libri adhibendi, et in illis tantum Benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes." „Nec aliae, inquit Dec. *23 Maii 1835, n. 4599, ad 9,* adhibeantur (formulae Benedictionum), dummodo non constet ab hac S. C. fuisse approbatas." Quinimo *§ IV* Decretorum de libris prohibitis,

initio indicis, recensentur: 1. Benedictiones omnes Ecclesiasticae, nisi approbatae fuerint a S. R. C. — 2. Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendae post reformationem Pauli V, sine approbatione S. R. C.

Praeterea eadem S. C. non raro ad casus propositos respondet: *Servetur Rituale Romanum,* ut *1 Dec. 1742, n. 3984. Cf. 23 Maii 1835, n. 4399, ad 1,* etc. — Vel *juxta Rituale Romanum,* ut *12 Martii 1838, n. 4628, ad 13,* ubi de colore stolae pro ministranda S. Euch. in Ecclesia extra Missam hoc dedit responsum: „*Juxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris officio convenientis.*“ Insuper usus qui eidem Rubricae adversantur aliquando permittit, aliquando autem prohibet. *Cf Dec. 12 Nov. 1831, n. 4523, ad 22,* cum una *Marsorum 12 Nov. 1831, ad 26.*

e) Adde rationem Decreti *14 Jun. 1845* supra *n. 23, circa Missale* quamvis de casu qui ad Missale attinet, esse tamen generalem, quod scilicet *nulla consuetudo praescribere valeat Rubricarum dispositioni.*

31. Tandem ad ea, quae hucusque exposita sunt de Legislatoris resistentia consuetudinibus contra Rubricas et proinde de reservato sibi Judicio, utrum istiusmodi consuetudo aliquando possit admitti necne, addere juvat, explicationis et confirmationis gratia, sequentia quae *Gardellini ad n. 4470, 2,* scribit de Caeremoniali Episcoporum. Quadrant enim aliis liturgicis Codicibus.

„Sacra enim Congregatio, dum servandum jubet Caeremoniale Episcoporum, haud intendit approbare, vel reprobare peculiares Ecclesiarum consuetudines, sed sibi reservat earumdem examen in casibus particularibus, ut cognoscere possit, num rationabiles et laudabiles sint, vel potius habendae ut corruptelae et abusus, ac tales propterea sint, ut reprobari et eliminari omnino debeant. Equidem in dubio [1] de consuetudinibus res esse videtur, quae nulli Ecclesiae Statuto opponuntur: sed id privatorum judicio non est relinquendum. Multae quippe consuetudines quae laudabiles privato aliquorum Judicio videri possunt, tales revera non

1) Dictum 2 dubium sic sonat: An veteres hujus (Alexandrinae) Ecclesiae consuetudines, quae scilicet nulli Ecclesiae Statuto opponuntur, abrogatae sint per ea Rescripti verba „semper et a quocumque servetur Caeremoniale“?

Responsum fuit: Recurrendum ad hanc S. C. in casibus particularibus.

sunt, idcirco vel ad debitam formam ab locorum Ordinariis reducendae sunt, vel in dubio Sac. Congregationi exponendae, ut eadem definiat: utrum necne queant retineri. Si ita est, poteruntne consuetudines omnes, ut in dubio, ac veluti in unum collectae, quaeque ignorantur, probari vel rejici unica responsione negativa vel affirmativa? Quis non videt quot quantaque incommoda, quotque in probatorum rituum perniciem induci aut invalescere possent corruptelae ex nimis generico illimitato responso. Prudens ideo et omnino necessaria est illius regulae observantia, quam constanter servat Sac. Congregatio, dum generica haec dubia proponuntur, respondens, prout in casu, *recurrendum in casibus particularibus.*"

Haec sufficiant de priore conditione, quae exigit, ut consuetudo sit *rationabilis.* Res enim ita clara atque probata apparet, ut omnino supervacaneum existimetur alios adducere Auctores pro vel contra.

32. De posteriore autem conditione, seu *de tempore necessario ad praescribendum contra Legem,* duo hic observasse satis erit. *Unum* est, nullum tempus, etsi immemoriale, *per se* sufficere. Exinde enim quod consensus legalis, ut probatum est, denegatur consuetudini contra Rubricas, omnino sequitur nullum esse a Legislatore tempus definitum per quod usus praevalere posset contra Rubricam. *Cf. S. R. C. 11 Sept. 1847, ad 16 supra § n. 4. Alterum* est, ipsam S. C. de facto aliquando rejicere ipsam immemorabilem ut in *Pisana 12 Nov. 1831, n. 4523, ad 1,* et *Dubiorum 17 Sept. 1822, (4440) ad 4;* aliquando admittere solam immemorialem ut *in Marsorum 12 Nov. 1831, ad 21, n. 4520,* et quandoque, sed rarius, consuetudinem simpliciter dictam ut in cit. *Marsorum ad 32.* En dubium hoc 32, cum responso. Rubrica Missalis *Tit. VIII,* postquam n. 9 dixit quod Subdiaconus ante medium altaris sustinere debeat Patenam, n. 11 praescribit, ut ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad Altare ad dicendum *Sanctus,* etc. An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non accedit?

Resp. S. C.: *Servetur cujusque loci consuetudo.*

De consuetudinibus tria stabilita sunt, unde fluunt duo corollaria practica.

1°. In materia Rubricarum, prout in aliis disciplinis, quandoque tolerandi sunt abusus, si hoc nempe suadeant circumstantiae, pensatis et gravitate Rubricae cui adver-

satur abusus, et difficultate seu incommodo ex illius suppressione oriundo. Judicium autem de his circumstantiis communiter relinquitur non subditorum sed superiorum arbitrio.

2°. Consuetudines nequeunt contra Rubricas, sicuti seu eodem modo ac contra alias[1] leges praescribere, defectu scilicet consensus legalis.

3°. Datur tamen quandoque consensus personalis consuetudinibus contra Rubricas.

33. Ex his tribus propositionibus duo, quae sequuntur, fluunt corollaria.

1°. Usum, etsi alicui Rubricae repugnantem, qui generaliter viget in aliqua Dioecesi[2] privatus nequit e medio tollere, inconsulto Superiore, siquidem Ordinarius potest sufficientem habere rationem illum ad tempus tolerandi[3]

1) Sub his legibus non comprehendo leges Tridentinae Synodi. Docet enim Bened. XIV, *Inst. 60, n. 7,* reprobatas fuisse consuetudines quae huic Concilio adversantur. Cf. Devoti, *Prolegomen. ad Jus canon. c. 16, § 6.*

2) Non obliviscatur lector hic agi de usu ita sensibili, ut possit a fidelibus animadverti. *Vid. supra n. 6.*

3) Archiepiscopus Rothomagensis in suis Litteris, *de Liturgia Romana in suam Dioecesim introducenda*, ad clerum *datis 10 Julii 1856*, duo commendat et, quantum opus est, praecipit, quibus hic dicta apprime confirmantur. Postquam suo Clero indixit se, ut morem gerat Sanctae Ecclesiae Romanae, caeterarum Ecclesiarum Matri et Magistrae, Liturgiam Romanam pro sua Dioecesi recipere, opportuno tamen tempore introducendam, haec duo subjungit, quae, ut legenti patet, jure communi nituntur et pariter applicanda sunt ad usus Rubricis adversos, qui generatim vigent in Dioecesi ubi jam servatur Liturgia Romana. „Provisoirement, *inquit,* je recommande, et au besoin j'exige deux choses: la première, qu'on s'abstienne de toute manifestation irritante, qui serait plus propre à compliquer la question qu'à la faire marcher et à la résoudre; le Seigneur n'est point dans le trouble ni le bien dans la division; la seconde, qu'on ne change rien avant le temps, c'est-à-dire avant que je le prescrive, aux usages publics et aux pratiques religieuses d'un pays en qui l'on doit reconnaître que ce n'est pas un petit mérite que de tenir, comme il le fait, à ses vieilles traditions et de les réduire pieusement en actes. Rien n'est plus digne de ménagement et de respect.

„Je dis les *usages publics;* car, quant aux usages particuliers, c'est-à-dire le Bréviaire et les messes privées, chacun peut suivre, à cet égard, son attrait pour la liturgie romaine. . . .“ Ap. *Ami de la Religion 12 Août 1856, n. 6035, tom. 173, pag. 366.*

aut de eodem Sacram Congregationem interrogandi aut ab eadem privilegium petendi. Sic v. g. quamvis consuetudo *promiscue* omittendi unctiones renum et pedum sit contra Rituale Romanum, nihilominus eadem in Ecclesiis ubi viget, omnino servanda est, ut dicunt AA. quos S. Lig. *n. 710 § certum est* citat et quibus adhaerere censendus est. Consentit Giraldi cum Barbosa *De officio et potestate Parochi P. II, c. 22, n. 29.* — *Cf. ibidem n. 32* de modo ungendi manus Sacerdotum.

Confirmatur ex illis quae reflectit Gardellini *ad § XXXI Instruct. Clementinae de Or. XL Hor.* Ibi enim postquam, *n. 16, 17 et 18,* ostendit Rubricas prohibere, ne quid cantetur, dum Episcopus, vel Sacerdos benedictionem cum Sacramento populo impertitur, hujusque silentii rationem attulit, sequentia subjungit *n. 19.* „Eruntne igitur omnino proscribendae breves quaedam cantiunculae, quae apud quosdam Missionarios in more sunt, et forte aliae, quae in una, alterave Ecclesia cantari solent eodem actu, quo a Sacerdote cum Sacramento benedicitur populus, veluti sunt: *Lodato ogni momento sia il Santissimo Sagramento: sia lodato ogni momento Gesù figliuol di Dio e di Maria nel Sagramento: vi adoro ogni momento o vivo Pan del Ciel gran Sagramento: Gesù, Giuseppe, Maria vi dono col mio cuor l'anima mia:* et aliae hujusmodi? Si spectemus Decreta, ac Ritualium

Pariter ad rem facit quod docet Catalanus *Tit. I, § 16, ad Rituale Rom.* ubi Parocho indicitur, ut Ritus et Caeremonias in dicto Rituali praescriptas diligenter servet, nihil scilicet, inquit Catalanus, iis addendo, nihil detrahendo, ne alicujus quidem privatae devotionis nomine, uti jam diximus supra in Commentaria ad § XI. Ad quae statim subjungit eruditus Auctor: „Sane quamvis non omnes Ritus, seu Caeremoniae in Libris Ritualibus singularum Dioecesum praescripti ex Apostolica disciplina, et traditione descendant, sed plures postremis temporibus sint introducti, imo nec omnes, et singuli haberi debeant tanquam ab Ecclesia Catholica probati, nihilominus Parochis, aliisque inferioribus Ministris fas non est citra necessitatem privata auctoritate in Sacramentorum administratione, aut Divinorum Officiorum persolutione, a Ritibus in Rituali, aut Pastorali suae Dioecesis praescriptis recedere, eo etiam titulo, quod ritus contrarius puriori primitivae Ecclesiae disciplinae videatur conformior; ne alias haec licentia paulatim latius serpens confusionem, aliaque incommoda in ipsos sacros ritus, et Sacramentorum administrationem inducat, uti notat Van Espen, Parte II. *Juris Ecclesiastici universi, Tit. I, de sacram. in gen. cap. II, n. 12.*“

Rubricas, etsi tales, similesque cantilenae vere piae et laudabiles sint, et dignae etiam approbatione; haud tamen essent ea occasione modulandae, quia, ut supra notavi, in ea actione ad recolligendos, dirigendosque pios animi affectus, plurimum confert devotum universale silentium. Nec propterea credas, meum esse sensum, quod omnino eliminentur. Usus invaluit, eum tolerant Ecclesiastici Praesules, forte sine populi offensione nequiret intercipi. Equidem ei non assistit antiqua, et universalis praxis, quae juris dispositioni innititur: absolute tamen dici nequit, quod probatae non sint; nam, si non expresse, quadam tamen aquiescentia, et tolerantia cantari hujusmodi cantiunculae permittuntur. Quid igitur dicam? Facilem arbitror modum simul conciliandi inductum morem, ubi nequeat abrumpi, cum dispositione juris. Eum praebet *Instructio Innoc. XII*, confirmata a *Clementi XII*, servanda in delatione Sanctissimi Viatici ad infirmos. Siquidem alia ex praescriptis regulis ea est § 52, quod in reditu ad Ecclesiam Parochus benedicat populum cum Sacramento nihil dicens; reposita vero Sacra Pyxide intus tabernaculum, *prima di chiudere il finestrino, dirà a voce alta, e divota, e profondamente inchinato queste parole:* Sia lodato, e ringraziato ogni momento, *e tutti gli altri risponderanno*, il Santissimo, e Divinissimo Sagramento. Ita fieri posset quoad versiculos, et cantilenas, quae immediate ad Eucharistiam referuntur. Nam, si quae sunt aliae, in quibus Deipara, et Sancti invocentur, magis expediret eas canere, clauso jam Tabernaculi ostiolo, antequam populo discedat."

2°. Ubi e contra de usibus particularibus alicujus parochiae agitur, qui Rubricis adversantur, potest imo debet[1] Parochus illos tollere, nisi omnibus adjunctis mature libratis, sufficientem habeat rationem vel illos ad tempus tolerandi, vel superiorem adeundi, vel indultum petendi.

Tandem hic animadverti meretur quod supra notatum est de duplici vitio, ab Ecclesiae mente alieno, vitando in applicandis necne Decretis S. R. C. Hic etiam cavendus est tam defectus, quam excessus. Alteruter committitur quando sine delectu servantur aut tolluntur consuetudines quae circa Rubricas versantur.

1) *Cf. dicta de scopo, excellentia et obligatione Rubricarum.*

§ III. DE AUCTORITATE RUBRICISTARUM.

1. Plus minusve auctoritatis habent Rubricistarum sententiae. — 2. In quantum Ecclesiae voluntatem aut mentem exhibent. — 3. Regulae quibus hoc aliquatenus dignosci valeat. — 4. Electio, quoad monita *de se* libera, debet esse rationabilis, attentis omnibus adjunctis. — Monitum.

1. Cum sententiae Auctorum nobis exhibent doctrinam et monita Virorum peritorum, attendi certo merentur. Hinc aliquando S. R. C. ut *12 Nov. 1831, n. 4520, ad 53,* resp.: consulantur Rubricistae. Non autem omnia quae tradunt vim habent legis aut melioris consilii, ac proinde eorumdem dicta nunc plus nunc minus habent auctoritatis.

2. Generatim dici potest Rubricistarum placita eatenus et tantum valere, quatenus et quantum Rubricae sensum aut Ecclesiae mentem declarant, vel aliquid continent quod videtur ratione fundatum aut magis congruere. Sensum Rubricae praesertim declarare habendi sunt, quando aliquam Rubricam minus claram interpretantur aut Rubricae defectum supplent ex ipsarum Rubricarum mente, per deductionem et analogiam. Sic v. g. auctores communi consensu nonnullas exigunt genuflexiones sive infra Missam sive in distributione S. Eucharistiae quas tamen nulla Rubrica praescribit in specie. Sed rationem meri consilii plerumque non excedunt, monita quae tradunt quo magis congrue, rectius aut facilius observentur Rubricae.

3. Ad discernendum quousque servanda sint quae tradunt Auctores, juvabunt Regulae sequentes.

I. Cum sententia communis censeatur menti Ecclesiae rationique consentanea, *per se* temerarium est ab ea recedere.

II. Statim ac Ecclesia aliquam solvit quaestionem, ruit omnis probabilitas oppositae sententiae. Sic v. g. omni fundamento destitueretur sententia quae negaret Decreta a S. R. C. edita eamdem vim habere ac si a S. Sede fuissent emanata. *Vide supra § I, n. 3.*

III. Sententia propugnata simul et impugnata ab Auctoribus bonae notae, quaeque nulli Rubricae aut Decreto certo aut quasi certo repugnat, legem *per se* non facit, potestque teneri aut relinqui.

Hic et ad regulam I, dicitur *per se*, quia potest quis teneri uni potius quam alteri sententiae se conformare, ratione praecepti superioris aut consuetudinis.

IV. Quando aliqui, tacentibus aliis, monita tradunt circa modum, quem Rubricae in arbitrio relinquunt, ea tantum valent quantum ratione fundantur. Tunc enim unusquisque eligere potest hunc vel illum modum, dummodo tamen ipsius electio sit rationabilis.

4. Ad hoc autem, ut sit rationabilis aliquando requiritur, ut quis se conformet aliis. Quod agendum venit, quando agitur de re aut praxi, per se quidem libera, sed ita apparente seu conspicua, ut dedeceat, imo non liceat a communi praxi recedere. Quare consultum est hisce in rebus ad ea praesertim attendere quae observantur a Sacerdotibus ejusdem Ecclesiae, imo et Dioecesis. Itaque ut haec uniformis praxis in rebus vel liberis obtineatur, *per se* congruit; ut sacerdotes Nostrae Dioecesis illis adhaereant sententiis, quas amplectitur Romsee, ex quo plerique, hisce in regionibus, et scientiam et praxim liturgicam didicerunt. Propterea, data occasione, mentio de ejusdem sententia non praetermittetur in decursu hujus operis.

Dictum fuit: *per se,* modo scilicet dictae sententiae sint vere probabiles, nec in contrarium militet vel consuetudo, vel alia praevalens circumstantia.

PARS II.

DE RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

Praenotanda. 1. Rubricistae communiter a Rubricis Missalis suos commentarios ordiuntur. Ab hac communi methodo recedendum putamus, Cavalerii [1] vestigiis inhaerendo. Postulat enim ordo naturalis, ut Clerici Rubricas primum Breviarii et deinde Missalis addiscant. Siquidem ipsis Divinum Officium prius est recitandum quam SS. Missae Sacrificium celebrandum. Et praeterea Officii recitatio est quaedam praeparatio ad Missam [2], haecque illi conformis esse debet.

1) Cum vero Missa sequatur officium, Decreta Breviarii priorem, Missalis posteriorem, et Ritualis, quod est veluti supplementum quoddam Breviarii, et Missalis, postremam nostram sibi vindicabunt considerationem. *Caval. tom. I, pag. XII.*

2) Vid. infra *Tit. XV, ad rub. 1.*

2. Haec secunda pars exponit et commentatur Rubricas Breviarii Romani. Utile autem videtur quaedam commentario praemittere per modum introductionis. Compertum enim est non raro inveniri sacerdotes qui, non sine ipsorum praejudicio, multa, scitu quidem utilia, imo et necessaria, ignorent ex eis quae Ecclesia sedulo curat imprimi initio Breviariorum.

3. Porro Breviario Romano communiter sequentia praefiguntur:

1. Bullae Summorum Pontificum pro hujus Breviarii editione, aut saltem earumdem summa, cum nonnullis S. R. C. Decretis.

2. Brevis expositio de anno et ejus partibus.

3. Tabula Paschalis antiqua et nova reformatae, necnon Tabula temporaria Festorum mobilium.

4. Calendarium Romanum.

5. Rubricae generales, si de I. Parte Breviarii, scilicet Hiemali agatur.

6. Duae Tabellae et explicationes ex Rubricis generalibus excerptae quarum una ad occurrentiam, altera ad concurrentiam spectat.

7. Duplex Oratio: *Aperi, Domine,* et *Sacrosanctae.*

8. Tandem absolutiones et benedictiones dicendae ante lectiones in Officio novem et trium lectionum.

De recensitis *n. 2* et *3*, nihil hic dicetur. De tabellis et explicationibus, indicatis *n. 6,* agetur in propriis Rubricarum generalium Titulis, nempe I, X et XI. Pariter ad proprium Tit. XXV referentur absolutiones et benedictiones de quibus n. 8. De aliis hic in posteriore sectione agetur.

Praesens enim introductio, in I. sectione tractabit de Officio Divino, et in II. de Breviario ac nonnullis quae jure dicuntur ad hoc praeludia.

SECTIO PRIOR.

DE NOMINE OFFICII DIVINI ET HORARUM CANONICARUM. — DE EJUSDEM ORIGINE ET PARTIBUS [1].

§. I. DE NOMINE OFFICII ET HORARUM CANONICARUM.

1. Nomen Officii Divini ita explicat Bened. XIV *in sua*

1) De variis nonnullarum Ecclesiarum Ritibus cf. quae *infra ad sect. II, art. 3, § 1,* referuntur ex Fornici *Inst. liturg. P. II, cap. 4.*

Inst. XXIV, 2[1]. *Officium Divinum*, ait, *Breviarium*, *Horae Canonicae*, diversis olim Nominibus, *Cursus Divinus, S. Synaxes*[2], *opus Dei* nuncapabantur. Ac primum Officii Divini nomen ex vocabulo *Officium* desumptum fuit, quod juxta Latini sermonis interpretes id munus significat, quod habita locorum, temporum, hominumque ratione a singulis obeundum est. Ob eam causam, cum divinis laudibus contineatur, quod Deo potissimum persolvere debemus, et cum per eas Summam Dei Majestatem humili cultu prosequamur, hinc Divini Officii nomen derivatur[3].

Eamdem rem ita exponit Gavantus *tom. 2, sect. 1, n. 1 sqq.* „*Officium* est quasi officium *secundum Hieronym. in lib. de Officiis:* unicuique enim convenit suum efficere Officium: vel *secundum Isidorum,* ut quisque illa agat, quae nulli officiant: vel *secundum eumdem,* est proprius et congruus actus cujusque personae secundum mores Civitatis, vel institutae professionis. *Divinum* dicitur, quia est proprius actus eorum, qui Deo sunt dicati.

In Regula S. Benedicti inquit Merati *h. l. sect. 2, n. 1, opus Dei* appellatur, quod propter Deum laborem illum Sanctum subeamus; et ab aliis *Pensum servitutis* dictum fuit, tamquam Deo debitum ab hominibus servituti ejus devictis.

„Quotidiana, ait Gavantus *h. s. cap. V, n. 1*, recitandi Officii Divini obligatio coepit anno Domini 540, *ex Sigiberto in Chronicis.*“

2. De Horarum Canonicarum nomine sequentia scribit Gavantus *num. 2 sqq.* „*Horae* dictae sunt, vel ab orando (nam ora idem videtur esse, ac hora, cum aspiratione)

1) Quarum institutionum, quae clero satis commendari non possunt, nova editio anno 1855 prodiit ex typis J. Casterman et Filiorum. Haec aliis editionibus antecellit, tum elencho Institutionum, tum adnotationibus ad calcem tomi IV positis.

2) Graecis divinum Officium est *Canon*, *Synaxis*, vel ex eo quod persolvendum sit juxta regulam ab Ecclesia statutam, vel quod juxta Cassianum ad psallendum colligantur in unum et congregentur religiosi. Eodem sensu in regula S. Pacomii *Collecta* dicitur; in compluribus conciliis *Agenda,* quasi unum esset e gravioribus Ecclesiae muneribus. In Concilio Agathensi sub Papa Symmacho anni 506, *can. 30*, vocatur *Missa*, quia, eo absoluto, uti nunc fit persoluto Sacrificio, facultas abeundi dabatur.“ Fornici *op. cit. P. II, cap. 2.*

3) Cardinal Bona, tract. de Divina Psalmodia cap. 2, § 1.

Deum, vel melius quia definitis horis ex instituto Ecclesiae recitantur. *Azor. part. 1, lib. 10, cap. 1, quaest. 1.*

3. *Canonicae* appellantur, id est Regulares, quia juxta Regulam Ecclesiasticam; alii dixerunt, quia Canonicorum Choro addictorum sunt preces: *Azor. ubi supra;* alii, quia Canonicum et Ecclesiasticum sunt idem, quod probat *Steph. Duranti lib. 3, de Ritibus cap. 1.*

4. Horae Canonicae dictae sunt aliquando, *cursus,* ut in vita S. Germani Episcopi Parisiensis scribit Fortunatus Pictavorum Episcopus *cap. 74* et *79*, apud Sur. *tom. 3* [1]. De nomine Breviarii *vid. infra sect. II.*

§. II. DE OFFICII DIVINI ORIGINE EJUSQUE PARTIBUS.

I. „1. Apostoli, ait Gavantus *l. c. cap. 2, n. 1 sqq.* ab Hebraeis [2] accepere horas orandi, et hora Tertia erant orantes

1) „Quod pertinet ad horas Canonicas, ait Bened. XIV, *l. c. n. 6 sq.,* cum fideles universi, ac praesertim Clerici continuis ad Deum precibus occupari debeant, idque ob naturae humanae infirmitatem, hujusque vitae negotia perfici nequeat, statis saltem horis laudes Deo canendae praecipiuntur, ut hoc pacto per diei cursum Deo preces offerre, et nunquam omnino cessare videamur. Martene tract. de antiqua Ecclesiae disciplina in Divinis celebrandis Officiis, tom. 4, c. 1.

Igitur statutis ab Ecclesia temporibus Horae canonicae persolvendae sunt non solum a media nocte in alterius mediae noctis spatium, sed eo peculiari tempore, quod singulis horis recitandis indicitur."

2) „Oliverius Bonartius in suo Tractatu de Horis Canonicis *lib. 1, cap. 2,* ostendit fuse hanc veritatem, nimirum Apostolos ab Hebraeis accepisse horas orandi; et adeo certum esse adstruit precationum Canonicarum adumbrationem in veteri Testamento praecessisse, ut etiam Calvinus ipse, quamvis Catholicorum Dogmatum infensissimus hostis, hanc veritatem fateri cogatur in suis Commentariis *ad cap. Actor. Apostolic.* Et equidem ex Sacris Paginis aperte colligitur prophetas, et alios verae Religionis cultores praeter matutinum, et vespertinum tempus impendisse horam Tertiam, Sextam, et Nonam in precibus Deo fundendis. Laudatus Bonartius *cap. 3* procedit ad comprobandam originem nostrarum horarum Canonicarum ab Apostolis repetendam esse, et censet cum aliis prima fundamenta horariarum precationum jacta fuisse in ipso exordio nascentis Ecclesiae, statim ab Ascensu Christi in Coelum illo die, quo ingressi in Coenaculum praefati Christi Discipuli perseveraverunt unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre JESU, et fratribus ejus; contenditque idem Auctor orationem hujusmodi fuisse non

in Pentecoste, *Act.* 2; hora Sexta Petrus orabat, *Act.* 10; ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus, et Joannes, *Act.* 3; media nocte orabant Paulus, et Silas, *Act.* 16. Quare easdem horas praescripsere Fidelibus, *Ex Clement. lib.* 8. *Constitut. cap.* 40. Non ergo Pelagius I. ut ait *Maurolicus*

pure mentalem, sed et vocalem. Denique luculentis SS. PP. auctoritatibus ostendit in Ecclesia morem Psalmos et Hymnos recitandi, non aliunde, quam a Christo Domino, et ab Apostolis ad nostra usque tempora pervenisse. Divinam Psalmodiam ab ortu Ecclesiae, et deinceps temporum serie servatam ostendit pariter priscorum PP. auctoritatibus more suo doctissimus Card. Bona in suo Tractatu Divinae Psalmodiae *cap.* 1, § 4.“ *Mer. h. l.*

„Nec solum inquit Fornici, *Inst. Liturg. p. II, c.* 1, ab Apostolorum temporibus publicae orationes in psalmis, hymnis et canticis, prout de his constat quotidianum officium, versabantur, sed antiquum quoque certis horis illud recitandi ritum ab Apostolis ipsis ad Ecclesiam deductum fuisse, ait Baronius ad annum Christi 34. Conscripta enim a Luca Apostolorum historia discipulos omnes narrat ad communem habendam orationem *tertia* diei hora convenisse; Petrum circa horam *sextam*, ipsumque Petrum, atque Joannem ascendisse in templum ad horam orationis *nonam;* Paulum et Silam ab his etiam qui erant in custodia, auditos fuisse *media nocte* Deum precibus laudare. Apostolorum ergo vestigia gloriam Dei per preces reddentium certis diei horis sequenda sibi esse duxit Ecclesia, atque ab ipso sui exordio, quae in orando fuerant Apostolis solemniores horae, has eidem dicavit exercitio, prout evincunt Tertulliani aliorumque Patrum testimonia. Tertullianus enim I, *de jejun. cap.* 10 *Apostolicas* vocat Horas ab Ecclesia Officio designatas, quia ex quo in rebus humanis insigniores erant, Apostolorum precibus fuerunt consecratae, et clarius in Opusculo *de Orat.*: *Exceptis,* inquit, *legitimis orationibus, quae sine ulla admonitione debentur ingressu lucis et solis, horas Tertiae, Sextae, et Nonae solemniores in Scripturis invenire est.* Eadem, et aperte, ut refert Macchietta in suo commentario de divino Officio *cap. III, p.* 23, occurrit mentio de divino Officio apud Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, aliosque Patres, qui antiquissimum psalmodiae institutum agnoscentes, dum vel ejus persolvendae ritum posteris manifestare, vel ejusdem studium majori religione inter suos promovere elaborarunt, satis produnt originem divinarum orationum statis Horis ab apostolica aetate esse repetendam. Tandem in Constitutionibus Apostolicis statis horis orare jubentur Christiani: *Precationes facite, mane, tertia, sexta, et hora diei nona, vespere, atque ad galli cantum.* Ex quibus indubium est publicam orationem, quam statutis horis persolvere tenentur ecclesiastici et religiosi viri, ab ipsis Apostolis suam traxisse originem et antiquitatem.“

in Martyrolog. 27 Aug., neque Pelagius II, *ut voluit Polidor. Virgil. lib. 6, de invent. rerum cap. 2*, neque Damasus, *ex Pontificali cap. 39, in ejus vita*, dicendi sunt auctores, sed ii, vel formulas Officii Decretis firmaverunt, vel Ritus amplificaverunt.

2. Certe Gelasius I et duo Gregorii I et VII formulae Officii, qua nunc utimur, dicuntur Constitutores, et Reformatores a Pio V *in Bulla sua, initio Breviarii edita,* et non alii.

3. Praeterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam, et Completorium ultimo fuisse additas docet *Radulphus Tungrensis prop. 14*, et nos dicemus cum de singulis Horis agemus *Sectione quarta.*"

4. Ejusdem Officii tria tempora seu tres status, usque ad reformationem Pianam, distinguunt Strabo et Durandus, scilicet: *Primum* ab exordio Ecclesiae ad annum 420; *Secundum*, ab anno 420 ad Gregorium VII, qui anno 1073 S. Pontifex electus est; *Tertium*, ab hoc tempore ad reformationem Pianam. Cf. Merati *infra citand. sect. II, art. 1.*

II. *De partibus Officii Divini et Horarum numero* haec tradit Gavantus *l. c. cap. 3, n. 1 sqq.*

„1. Septem horae sunt vel octo, de quibus forte mandatum accipis, ut des illis partem, *Eccl. II.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium, ita *in Concilio Cabillon. 2, can. 59,* juxta illud *Psalm. 118*: Septies in die laudem dixi tibi. *Fuse Azor. cap. I, quaest. 2.*

2. Qui volunt esse octo, dividunt Laudes a Matutino, et deducunt ab *Esdra lib. 2, cap. 9.* Qui quater in nocte, et quater in die jussit laudari Deum, *lege Navarr. de Orat. c.* 3.

3. Romae nullum fuit interstitium inter Matutinum et Laudes, ut testatur *Amalar. in prolog. de ord. Antiphonarii.*

4. Ordo Horarum patet *ex citato concilio Cabil.* quamvis *Rabanus lib. 2 de instit. Cleric. cap. 3*, easdem numeret incipiens a Laudibus, quas vocat matutinas preces, et eas terminat in nocturnas Vigilias; sed hae certe, hoc ordine posito spectarent potius ad sequentem, quam ad praecedentem diem.

5. Non caret mysteriis hic numerus Horarum septenarius; et primo respectu creationis, ut agamus Deo gratias

pro rebus creatis in septem diebus. *Ita Cassianus de instit. Mon. lib. 3, cap. 3.* Secundo, Redemptionis nostrae mysteria his horis operata fuere; nam media nocte natus est Christus, et resurrexit. Hora prima ductus ad Pilatum, Tertia linguis Judaeorum in Crucem actus, flagellis caesus, spinis coronatus. Sexta vero Cruci affixus. Nona exspiravit, et ad Inferos descendit. Vespertina de Cruce depositus est; eadem hora coenavit, pedes lavit, Eucharistiam confecit. Hora Completorii oravit in horto. Tertio respectu nostri, septies in die cadit justus. *Proverb. 24,* et nos septies orando resurgimus. Quarto numerus universitatis est septenarius, *ex S. Gregorio Papa,* et in multis a Sanctis Patribus commendatur. Quinto, septem assumit Daemon nequiores spiritus contra nos, quae ratio est *Mich. Timothei in spec. ordinandi 3. part. tract. 6, cap. 4,* ubi et addit Sextam causam, ad septiformem Sancti Spiritus gratiam obtinendam. Denique septem fuere partes Orationis Dominicae, a Christo traditae.

6. Adhuc in unaquaque hora septem, vel octo particulae numerantur *a Rupert. lib. I, de Divin. Offic. cap. 2,* hoc est, Deus in adjutorium, Hymnus, Psalmi, Antiphona, Capitulum, Responsorium breve, Oratio completiva. In Laudibus autem, Vesperis, et Completorio adduntur cantica Evangelica, quia, *inquit Rupert.,* canuntur pro Octava, et spectant ad beatitudinem; de quibus et nos dicemus infra *Sectione quarta.*"

Quod officium sit unicuique agendum, et quid in casu erroris, dicetur infra *Sect. 2,* post ea quae statim exponenda veniunt de breviario ejusque adjunctis. De dictis in hac priore sectione, cf. Caval. *tom. 2, c. 41.*

SECTIO ALTERA.

DE PRAELUDIIS BREVIARII ROMANI.

Quaestiones, quae in hac sectione tractantur, dicuntur a Gavanto *h. l.* Praeludia Breviarii Romani. Agitur 1. de *Computo et Calendario,* — 2. *de Titulo Breviarii Romani,* — 3. *de Bulla S. Pii V et usu Breviarii Romani,* — 4. *de Bullis Clementis VIII et Urbani VIII, et quibusdam Decretis circa has Bullas editis,* — 5. *de Festis et Officiis ad quae clericus aut Religiosus tenetur,* — 6. *de Oratione Sacrosanctae.*

ARTICULUS I.

DE COMPUTO ET CALENDARIO.

§. I. DE COMPUTO ANNI.

1. Duplex, *Civile* et *Ecclesiasticum*. — 2. Hoc olim a Pascha numerabat. — 3. Nunc ab adventu. — 4. Sed Festa mobilia adhuc a Paschate. — 5. Paschae celebrandae dies.

1. *Computum anni* duplex distinguitur. Unum *civile*, alterum *Ecclesiasticum* dicitur, prout de anno civili aut ecclesiastico aut de alterutrius diebus agitur [1]. „*Annus civilis* a mense Januario sumit exordium, et menses habet duodecim, hebdomadas quinquaginta duas, et diem unum; habet vero dies trecentos sexaginta quinque communiter, nisi sit intercalaris, seu bissextilis. *Annus* vero *ecclesiasticus* differt a civili non quoad menses, hebdomadas et dies, sed quoad initium et finem.

2. Olim computabatur a die Paschae, ut testatur Cujacius, et Scaliger apud Cassianum. Verum circa annum 540 placuit pernotare annorum tempora *ab incarnatione Domini, quatenus*, ut inquit Dionysius exiguus *ep. 2 ad Patronium, exordium spei nostrae notius nobis existeret, et causa reparationis humanae, id est, passio Redemptoris nostri evidentius eluceret.* Attamen hanc rationem praenotandi annorum tempora longe tardius invaluisse in ecclesiasticis rebus, imo introductam Eugenio IV Pontifice sub anno scilicet 1431, testatur Brandus Foroliviensis, qui collegio pontificio fuit a Secretis, ut probat Doujat in praenotionibus canonicis *lib. 3, cap. 15, 2. 8.*

3. Quoniam vero in divinis Officiis, sacrisque festivitatibus consuevit Romana Ecclesia Christi fidelibus repraesentare per annum vitam, seu divina exempla virtutum Jesu Christi, necnon regni ejus constitutionem et directionem per Spiritum sanctum, hinc ex ordine Officiorum ecclesiasticorum *annus ecclesiasticus* exorditur *initio Adventus*, et desinit *ante Adventum*. Dominica prima Adventus est illa propinquior Festo S. Andreae Apostoli, vel quae venerit in ipso Festo, quod celebratur die ultima Novembris. Initium ergo anni ecclesiastici non habet primum diem certum, sicuti sunt Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Qua-

1) Computum Ecclesiasticum, quoad primam Dominicam mensis, exponetur suo loco, *infra Tit. IV, rub. 7.*

dragesima, quae Festum Paschatis praecedunt, Ascensio, Pentecoste, Festa Trinitatis et Corporis Christi, quae praedictum Festum sequuntur.

4. Verum sicuti initium Adventus Romano more desumitur, ut vidimus, a Dominica propinquiore Festo S. Andreae, ita recensita *Festa mobilia,* quae moventur ad nutum Paschatis, quolibet anno decernuntur a die Paschatis constituto. Pascha Hebraica vox est quae transitum significat, et ex praecepto Dei hoc Festum a populo Hebraeo celebrabatur ad recolendam maximi beneficii memoriam, cum ex Aegyptiorum servitute fuit ereptus, et exterminator Angelus primogenitos Aegyptiorum interfecit, Hebraeorum domos praeteriens, quae sanguine agni pridie ejus diei immolati essent respersae. Pascha Christianum a Judaico Paschate profecto distinguitur: hoc siquidem veluti figura erat, quae in Christi resurrectione complementum suum obtinuit, quando ad vitam rediens, triumphansque de diabolo, homines ab ejus servitute liberavit, et aeternae vitae aditum devicta morte reseravit.

5. Judaicum propterea fixum erat ad diem XIV lunae mensis primi, nempe Martii, a quo Judaei Annum sacrum auspicabantur. Christianum institutum est in ipso die Resurrectionis Dominicae, quae contigit in dominica sequenti[1] diem quartam decimam lunae ejusdem mensis.

Cum igitur in tota Ecclesia Pascha celebranda sit praedicta dominica post decimam quartam lunam, quae in aequinoctium vernum caderet, vel illud proxime sequeretur, et ecclesiasticum aequinoctium affixum sit justis de causis diei 21 Martii, prout in Calendario Gregoriano consideratur ad conservandam omnium Christianorum concordiam, et uniformitatem, licet, ab astronomico rigoroso aliquando dissentiat, ad praedictam dominicam quolibet anno cognoscendam regulae generales initio Breviarii apponuntur, ex quibus ecclesiasticum Calendarium confici debet.“ *Fornici l. cit. cap. V.*

1) Quare celebretur dominica sequenti, non autem *ipsa Dominica* quae est dies XIV lunae, habetis apud Merati *Sect. II, cap. IV, n. 1.* Praecipua ratio est, ne Christiani Judaeos imitari videantur. Conferri etiam potest Merati *l. c.* de origine, progressu et exitu controversiae hac de re bis agitatae, scilicet temporibus SS. Aniceti et Victoris PP.

§. II. DE CALENDARIO.

1. Calendarii seu kalendarii etymon. — 2. Notio. — 3. Dividitur in *Civile* et *Ecclesiasticum*. — 4. Laterculi notio. — 5. Discrimen inter Martyrologia, Fastos et Calendaria. — 6. Ad Calendarium ecclesiasticum duo pertinent: Festa mobilia et immobilia. Ordo divini Officii. — 7. Proprium Calendarium a Romano, seu Universali, non differt, nisi quoad particularia Festa et Officia. — In quo Festum ab Officio differat. — Electio Calendarii non relinquitur arbitrio. — 8. Ab Ordine Officii quem praecipit Ordinarius, recedere non licet, nisi aliquid contineat, quod Rubricis aut aliis Ecclesiae legibus *certo* adversetur.

1. „*Kalendarium* a Calendis dictum est: Calendae vero primus dies Mensis est *καλέω*, id est, voco; tunc enim Pontifex calato, hoc est, vocato populo, quot dies a Calendis ad Nonas superessent, pronunciabat. *Plut.* Calendaria quoque dicebantur Tabulae, ab observatione singulorum mensium, ut Diaria a singulorum dierum ratione, et nos in singulis mensibus observamus Festa Christi Domini nostri, et Sanctorum. *Durand. lib. 8, cap. 4,* explicat Calendas, quasi colendas; quia tunc erat semper Junoni festus dies primus: Ergo Calendarium et Colendarium erunt fere idem, a cultu Festorum dierum. Matriculam Sanctorum vocat *Radulph. propos. 17.*" *Gav. Sect.* 2, *c. V*, *n. 1.*

2. Calendarium est vox Latina, deducta nempe a Calendis, ut optime notat Gavantus, et nihil aliud est, quam mensium, dierumque, ex quibus annus constat, ac una Festorum coordinatio, imo non modo Festorum, sed aliorum etiam similium quae possunt dici dierum adjuncta; quoniam pleraque alia sunt, quae Calendariis plerisque adscribunt, siquidem praeter inscripta Civili, et Calendario Ecclesiastico praeter Festa adnotata, interdum addita leguntur eventa quaepiam illustriora, ut praelia, triumphi, inaugurationes, interdum solis, lunaeque ingressus in signa Zodiaci, ortus, occasusque stellarum fixarum, adspectus luminarium, stellarumque errantium, praetereaque aestus, algores, pluviae, fulgura, venti, et alia, quae Astrologi ariolantur.

3. Dividimus Calendarium in Civile, et Ecclesiasticum, quia adsunt Calendaria pure profana, in quibus non habetur nisi coordinatio dierum, hebdomadum, mensium, etc. ex quibus annus constat. Hujusmodi Calendarium civile (cum nihil fere Ecclesiastici admixtum habeat) appellarem illud quod doctissime concinnatum fuit a Domino Blondello

Regio Professore Mathematico Regiae Academiae Parisiensis Gallice exarato, et impresso Anno 1684. Calendarium vero Ecclesiasticum continet Sacrorum Festorum tum mobilium, tum immobilium coordinationem, et deinde Aureum numerum, litteras Dominicales, Epacta, et denique Calendas, Nonas, atque Idus mensium, et alia hujusmodi exhibet.

4. Praeter hujusmodi Tabellas, quas Calendaria Ecclesiastica nuncupamus, antiquitus reperiebantur etiam Laterculi, quo nomine indigitabantur Tabellae illae, in quibus adnotabantur Festa mobilia, ut sunt illa in Breviario apposita. Sic Sanctum Pascha secundum Laterculum Victoris ab omnibus Sacerdotibus, ut uno tempore celebretur, habetur in Concilio Aurelianensi 4, can. 1; diversa enim observantia Laterculorum, Paschalis Festivitatis interdum errorem parturit, ait Concilium Toletanum 4, can. 4; apud Tertullianum vero Laterculus significat etiam Tabellam, in qua Magistratus notabantur, ut notat Macrius verbo *Laterculus*.

5. Veteres pro eodem habuisse videntur Martyrologia, Fastos, et Calendaria. Verum quid discriminis sit inter haec, docet Henricus Valesius in sua eruditissima dissertatione super Martyrologia, quod edidit Rosuvyedus, et in hac asserit nobiliores Ecclesias suos semper Fastos habuisse, in quibus et Episcoporum nomina, et Martyrum, qui apud ipsas Martyrium subierunt, Natales dies descripti habebantur, de quo profecto dubitandum non est. Laudatus Valesius contendit Calendaria in hoc differre a Martyrologiis, quod singulae Ecclesiae sua habuere particularia Calendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum, et Martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; Martyrologia vero non unius loci propria, sed totius Ecclesiae fuere communia, quippe quae totius orbis Martyres, Confessoresque generaliter obtinerent; sed melius mihi arridet Valesius in sequenti discrimine, quod assignat inter Martyrologia, et Calendaria, nimirum, quod in Calendariis nomen Urbis, in qua Martyr passus est, et species Martyrii, quod subiit, numquam describitur, in Martyrologio vero nomina singularum Urbium, et Oppidorum consignantur, et tormenta, quae pertulit Martyr describuntur. Caeterum negari nequit quin singulae Ecclesiae nobiliores, sicut singularia Calendaria, sic etiam singularia Martyrologia habuerint, sed verissimum est, quod ex pluribus Calendariis, seu particularibus Martyrologiis unum

compositum fuit universale Martyrologium omnium Ecclesiarum.“ Haec a n. 2, ex Merati *h. l.* ubi praeterea enumerantur celebriora Calendaria Ecclesiastica.

6. Ad Calendarium Ecclesiasticum duo pertinent. „Unum est, et hoc servandum ubique terrarum, Ecclesiasticum Calendarium quoad festa mobilia; quo vero ad festa Sanctorum, cum Ecclesiae particulares Festa peculiaria celebrent, et suos habeant Sanctos, quorum memoria anniversario cultu, vel ex Rubricarum dispositione, vel ex approbatione et speciali S. R. C. indulto celebranda sit, propria etiam Calendaria habere debent, quibus se conformare tenentur in Officii divini recitatione ecclesiastici omnes eisdem Ecclesiis addicti.“ *Fornici Op. cit. Part. II, cap. 5.*

Calendarium etiam non raro dicitur ipse divini officii Ordo [1], qui, attentis et Computo ecclesiastico et Festis Calendarii, quotannis, mandato Superioris, editur ad exhibenda Clero officia quae ipsi persolvenda sunt decursu anni. Ad hujusmodi Ordinem annuatim conficiendum multum juvabit perpetuus Ordo, a Merati triginta sex tabulis editus, quique constituit secundam partem tom. 2, ipsius operis, *Thesauri Sacrorum Rituum.* A quibus tamen tabulis tradendis nos abstinebimus, quia non sunt Sacerdotibus usus frequentis. His enim communiter officia ordinanda non sunt, nisi quaedam propria. Ad quod praestandum sufficit Calendarium Dioecesis aut Ordinis, cum aliqua Rubricarum notitia.

7. *a)* Proprium Calendarium a Romano, seu universali, non differt, nisi quoad quaedam particularia Festa et Officia. „Calendarium Romanum, ait Gardellini ad n. 4392, 1, universale est, et ad totum catholicum orbem extenditur. Quapropter Calendaria particularia Dioecesium Ecclesiarum, ac Ordinum Regularium in eo tantum differunt ab illo, quia retentis Officiis, quae omnibus praeceptive communia sunt, alia his adduntur, quae particulariter pertinent ad Dioeceses, Ecclesias seu Religiones, ut illa sunt Titularis, Patroni principalis, Dedicationis, et alia, quae forte locum habent, vel ratione corporum, et Reliquiarum insignium, vel ex concessione Apostolica.“

b) Hic indigitandum venit discrimen inter *Festum* et *Officium. Festum* idem sonat ac dies qua Mysterium quoddam aut Sanctus ab Ecclesia colitur officio aut saltem com-

1) Hic ordo vocatur etiam *Directorium* et vulgo *Cartabelle.*

memoratione, abstractione facta, an officium sit proprium, aut de communi sumatur.

Officium vero, proprie sumptum, dicit ipsam Officii materiam seu Horarum canonicarum partes. Hinc dicitur: *Officium proprium* — *Officium de communi* habet tale Festum.

c) Calendarii electio seu assumptio non relinquitur cujusque arbitrio. „Neque — prosequitur Gardellini *cit. ad n. 4392,* — iis qui proprium Calendarium non habent, licet assumere Calendarium unius, vel alterius Dioecesis, quia, ut diximus, unum dumtaxat est Calendarium Romanum, quod universale sit. Id adeo verum est, ut supplicanti Clero *Civitatis, et Dioecesis Brugnaten.* pro facultate sese conformandi *Calendario Metropolitanae Januensis* cum proprium non haberet, Sac. Rit. Congregatio respondit, sub die 16 Sept. 1673: *Utantur Calendario Romano.* Vide hanc collectionem *tom. 2, num. 2502.*"

8. Sed nec Ordo, qui ab Ordinario praecipitur, potest, ad beneplacitum subditi, relinqui. Excipitur solus casus quo aliquid contineret quod *certo* Rubricis aliisve Ecclesiae legibus adversaretur. Quod jure communi et indubitato nititur. Etenim „Cum dubium — ait S. Liguorius cum Busembaum *Theol. mor. tom. I de Legibus n. 93* — est de justitia, teneris lege; quia legislator possidet jus praecipiendi, idemque regitur altiore consilio, ac potest habere rationes subditis occultas. Addit *Suarez,* etiam obligare, licet contra justitiam legis sint rationes probabiles, quia alias nimia daretur licentia legibus non parendi, cum vix possint esse tam justae, quin aliqua apparens ratio dubitationem movere possit." *Suar. l. 1, c. 9; Bon. p. 8, n. 11.* * *(Vide n. 99.)*

Ast „Cum iniqua lex est et contra rationem, non obligat, quia deficit a rectitudine. *Suar. Laym. Bonac. d. 1, p. 1, q. 1.*" *Ita S. Lig. l. c. n. 92 cum Busembaum.* A rectitudine autem procul dubio deficeret, ut *art. seq.* dicetur, quidquid contra Rubricas proprio jure attentaret Ordinarius in Ordine Officii divini.

Duplex hoc principium S. R. C. pluries applicavit ad casus particulares. *De priore* seu de dubio erroris, vid. Decreta S. R. C. *15 Maii 1819, n. 4409, 1* [1], et *23 Maii 1835 in*

1) Dictum 1. dubium sic sonat: „An Regulares utriusque sexus teneantur, vel possint recitare Officium Dedicationis, in Calendario Dioecesano assignatum, de illis Cathedralibus, quae

Namurcen. n. 4597, 2. — *De posteriore* autem seu de errore certo, vid. Decret. *27 Aug. 1836, n. 4638, ad VI, VII et VIII.*

certo non sunt consecratae, vel de earum consecratione prudenter dubitatur?

S. R. C. Resp. »Ad 1. *Si Officium Dedicationis Ecclesiarum Cathedralium in Calendario propriae Dioecesis est assignatum, illudque ab Episcopis, et Cleris Beticae Provinciae persolvitur, ad illius recitationem omnes etiam tenentur Regulares utriusque sexus, quibus permissum non est de illarum Consecratione dubia excitare.*"

Ad dictum dubium sequentia adnotat Gardellini. »Curnam, inquit, a Directore Calendarii pro Ordine Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Beticae inferioris hujusmodi excitentur Dubia, nec video, nec intelligo. Numquid ad Regulares pertinet inquirere de Ecclesiarum Cathedralium Consecratione? Numquid ab illis, ad quos non attinet, proponenda sunt hypothetica Dubia, quae licet in abstracto ad Regulae generalis normam exigenda sint, in casibus tamen particularibus, seu, ut Scholastici dicunt, in concreto, ob peculiares circumstantias, quae concurrunt, praesumptiones, illationes, et conjecturas, longe secus sunt enodanda? Ideo, si quis generaliter quaerat: num fieri debeat Anniversarium Consecrationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Dedicatione merito dubitatur, negativo responso erit dimittendus. Si vero quaestio sit: num Ecclesia N., de cujus Consecratione nullum habetur signum, nullaque superest scripta memoria, revera dedicata fuerit? Dubitandi rationes erunt expendendae, priusquam resolutio prodeat. Fieri enim potest, ut nullum prorsus in parietibus signum supersit, aut sculpta Epigraphes, aut in Tabulariis peractae Consecrationis memoria; nec tamen decidendum est consecratam non fuisse: nam negligi non debent, imo multi pendendae sunt praesumptiones, ex quibus infertur, quod factum revera id fuerit, quod factum fuisse ob temporum injuriam ignoratur. Si constanter in Calendariis fiat Consecrationis mentio; si quotannis Anniversaria dies cum Officio, et Missa celebretur, id satis superque erit, ut habeatur valida peractae Consecrationis praesumptio. Ideo S. Rit. Congregatio, licet sub *die 18 Aug. 1629* decrevisset: *Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est non fuisse consecratam, imo neque, si est dubium,* (vide hanc Collectionem num. 679) quod nuperrime eadem S. Cong. confirmavit *die 22 Apr. 1780* in una *Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis,* declaravit tamen: *quoad Ecclesias, de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine* (celebrandi scilicet Anniversarium cum Officio, et Missa) *nihil innovandum,* (vide num. 4247). Nam ex consuetudine celebrandi Anniversarium jure merito conjici poterat Consecratio illa, de qua dubitabatur, quod etiam clarius declaratum video in Ferentina *die 27 Nov. 1706.* Quamvis enim scripturae,

Cf. dicta P. I de usu seu rectius de abusu Decretorum S. R. C. — item de consuetudine in Liturgia. — Vid. etiam hic dicenda art. 5.

monumenta, signum Crucis in pariete, et alia similia Consecrationem indicantia nullibi haberentur de Ecclesia cathedrali, quia tamen Anniversarium *sub fide majorum recolebatur*, ideo responsum fuit: *Ecclesiam Cathedralem non indigere nova Consecratione* (vide num. 3606).

Cum itaque in propositis Dubiis quaestionem excitet de Consecratione Ecclesiarum Cathedralium Provinciae Beticae Director Calendarii Carmelitarum Discalceatorum, minime attendi debet generalis assertio; *an Regulares teneantur peragere Anniversarium Dedicationis Cathedralium, quae certo consecratae, non sunt, vel de quarum Consecratione prudenter dubitatur.* Satis enim est, quod in Calendario Dioecesano assignata sit dies Consecrationis Anniversaria, ut Regulares se illi conforment, et ad legum Ecclesiasticarum praescripta Dedicationis Festum celebrent. Etenim simul ac Calendarium Consecrationis notat diem, hoc sufficit, ne de Consecratione dubitetur; licet monumenta perierint, et circumstantiae temporis, Episcopi consecrantis, idque genus aliae lateant sub antiquitatis caligine. Quaero tamen: Ecclesiae, quas Carmelitarum Calendarista fidenter affirmat certo non esse consecratas, antiquis adnumerantur, vel novo molimine recenter fuerunt exstructae? Si primum dicit, haud poterit negativum argumentum adhibere contra praesumptionem, quae oritur ex Calendario Dioecesano, et Anniversaria Festi celebratione: Si alterum velit; in specie designet Ecclesias, quas ipse certo scit consecratas non esse. Quamquam id ad ipsum non pertinet. Siquidem poterunt Regulares excitare quaestiones de Ecclesiis ipsorum juri subjectis, ut sciant in Dubiis quid facto opus sit: non autem ciere turbas de Ecclesiis Cathedralibus, etc., de quarum Consecratione, ut Officium ab ipsis fiat, satis est, quod in Calendario Dioecesano dies Anniversaria notetur. Ad loci Ordinarium, ad Capitulum, ad Chori, Officiorum, et Ecclesiasticarum functionum Directorem attinet investigare: num revera Cathedralis Ecclesia sacris caeremoniis fuerit dedicata. Quatenus vero certa desint signa, ipsorum est inquirere, num tales concurrant circumstantiae, quae valeant praesumptionem inducere, et certitudinem illam, quam moralem dicimus. Sacra igitur Congregatio proposito dubio respondens, non recessit a sententia alias firmata de Officio omittendo Dedicationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Consecratione jure dubitatur; sed simul declaravit incompetentiam instantis pro resolutione Dubii, et praesumptionem, moralemque certitudinem, quae oritur ex more recolendi cum officio, et Missa Anniversariam memoriam, satis esse, ne de peracta Consecratione dubitandum sit, etsi nulla supersit scripta in tabulariis memoria, vel in pariete signum."

ARTICULUS II.

DE TITULO BREVIARII ROMANI.

1. „*Breviarium* vox est satis antiqua in re nostra, quam legi apud Micrologum *cap. 28, de Ecclesiasticis observat.*, qui vixit circa ann. 1080, apud antiquiores nondum legi. Radulphus Tungrensis utitur hac voce *propos. 22, et habetur in Conciliis Coloniensi, Moguntino, Trevirensi, et Generali Tridentino.* Horarium vocavere quidam, id est, precationum librum. *Cornel. Scult. tom. 1, cap. 34.*

2. Significat autem Compendium, sive Summarium [1], et concisum opus ex *Plinio lib. 18, cap. 26 et Sueton. in Au-*

Haec sapientis Adnotatoris, longa praediti experientia, nec parum gnari mentis Sanctae Sedis, sedulo perpendant qui, nescio quo *pharisaico spiritu* ducti, non raro, contra Sanctae Matris Ecclesiae mentem et sensum urgent in praxi aut urgenda praedicant Decreta, quae a talibus circumstantiis omnino sunt aliena. Quia nempe, uti adnotat Gardellini, et tradunt Theologi et Canonistae, in praxi regulariter attendendae veniunt circumstantiae a quibus legislator abstrahere potuit et de facto abstraxit, dum aliquam condidit legem aut resolvit dubium de aliqua lege generatim propositum. Tunc enim procedendum est juxta illud affatum: *Praxis differt a speculatione.* Cf. dicta *P. I, sect. II, de abusu Decretorum S. R. C.*

1) „Officium Divinum Breviarii nomen fortasse sortitum est, quod temporis successu idem Officium valde contractum fuerit, praesertim apud Monachos, ut notat Grancolas *Comment. historic. in Brev. Rom. lib. 1, cap. 3,* testatur siquidem S. Benedictum ad breviorem formam redegisse praefatum Officium, cum antea totum Psalterium recitaretur quotidie a Clero, ipse vero ita rem composuit, ut semel tantum in hebdomada absolveretur. Breviarium igitur dictum est officium Divinum, quasi *Breve Horarium,* sive *Precum Epitome,* quod quidem Breviarii nomen Micrologi Aevo, nempe anno 1080, pervulgatum fuit, et exinde semper usurpatum ad designandum Divinum Officium. . . In Monasterio Cassinensi reperitur Breviarium ad usum Chori, quod censetur exaratum anno circiter 1100, cum hac inscriptione: — Incipit Breviarium, seu Ordo Officiorum per totam anni decursionem. Ita refert Eminentissimus Cardinalis de Lambertin. in secundo volumine suorum Edictorum instruct. 4, num. 5. Hucusque dicta ostendunt nomen Breviarii libro Divinorum Officiorum appositum non fuisse, nisi post Micrologi aetatem, quia idem floruit circa ann. 1000. Quod si apud Grancolas in Commentario Historico Breviarii Romani lib. 1, cap. 6, legitur, Sanctum Augustinum Angliae Apostolum secum in ea Insula Breviarium tulisse,

gusto cap. ult. Item Indicem, *ut in 2. concilii Tomo,* Titulus cujusdam operis extat: Breviarium causae Nestorianorum, etc. Quae optime conveniunt Breviario Ecclesiastico, quod, ut ait Lessius *de just. et jure, de devot. et orat. dub. 8,* admirabile est mysteriorum Sacrae Scripturae compendium. Continet enim Psalmos, in quibus per modum laudis omnia mysteria clauduntur; tum selectissima quaeque veteris, et novi Testamenti; tum Patrum monumenta nobiliora; tum Praecipua Sanctorum; breves denique Orationes, seu collectas a Summis Pontificibus, ut plurimum compositas, et

non inde sequitur, quod tunc temporis praedictum nomen fuerit in usu, sed nomine Breviarii intellexit praedictus Auctor Librum Psalmorum, seu Divini Officii, cui applicuit illud nomen, quo impraesentiarum utimur." *Mer. h. l.*

Quibus sequentia addenda videntur ex Bened. XIV, „Si Radulpho Tungrensi Fides habeatur De Canonica observ. cap. 22, Breviarii nomen ad Patres Franciscanos referendum est, qui sacris expeditionibus implicati Divino Officio compendium statuerunt. Idem Radulphus ejusmodi compendium in Ecclesia Lateranensi ab illis receptum testatur, qui Pontificum Familiae cooptati plurimis negotiis distinerentur, ac postremo a Nicolao III jussas fuisse omnes Urbis Ecclesias eodem compendio uti; *unde hodie* (ait Radulphus) *in Roma omnes libri sunt novi, et Franciscani.*

Hanc sententiam tanquam veritati consentaneam Cardinalis Bona, in eod. tract. ac Thomassinus, de benefic. Part. I, l. 2, c. 84, n. 12 et 13, amplexi sunt. Contrarium tamen ex Epistola Apologetica Petri Abaelardi contra S. Bernardum deprehenditur, quae data fuit circa annum 1140, hoc est, centesimo anno priusquam Franciscanus Ordo ab Honorio III confirmaretur. In illa igitur epistola traditur Officii Divini compendium per omnes Romae Ecclesias jam tunc inductum, probatumque fuisse, ex quo satis conjicitur, Radulphum a veritate longe aberrasse, ut recte Franciscus Pagius expendit: De Rebus gestis Rom. Pont. t. 3, pag. 441.

Sed cum Breviarium in Magno Cassinensi Monasterio servetur ab anno 1100, quod inscribitur: *Incipit Breviarium, sive Ordo Officiorum per totam anni decursionem,* in quo ritus totius Ecclesiastici Officii, et pro ipsius recitatione, sacroque faciendo caeremoniae continentur, hinc a veritate non alienum videtur, quod Breviarii nomen ab hoc *ordine officiorum* dimanaverit. Du Cange in suo Glossario verbo „Breviarium". *Inst. 24, num. 3 sqq. Cf. Mer. h. l. n. 4.*

„Et Du Cange — ait idem eruditissimus auctor *lib. IV, p. II, de Beatif. et Canoniz. cap. 13, n. 2* — ex Breviario Cassinensi, circa an. 1106 scripto colligit Breviarii nomen solis olim Rubricis, postea toti Officio fuisse attributum."

indicat quotidie, quae preces adhibendae. *Romanum* dicitur, quia preces continet juxta Ritus S. R. E.

3. Usus tamen Breviarii, quocumque nomine [1] vocaretur, non fuit ante Lectionarium S. Hieronymi, inquit Cornelius loco citato, et ex dicendis magis patebit. Haymo General. Minister Ordinis Minorum S. Francisci sub Greg. IX anno 1241, *ut ex ejusdem Bulla patet,* Breviarium Romanum cum Missali reformavit, et est illud fere idem, quo nunc utimur, *ex Radulpho propos. 17,* lege *Wadingum in Annal. Min. an. 1244;* qui tamen Radulphus quam maxime dolet, fuisse receptum

1) „Amalarius noni saeculi Auctor Commentarios conscripsit in Breviarium Romanum, atque post illum Rabanus, Alcuinus, Walafridus Strabo, et alii. Horum postremus ait, Officii Romani originem a S. Petro repetendam esse; deinde ejusdem Officii Romani tria tempora, seu status distinguit, cui consonat etiam Durandus in Ration. lib. 5, cap. 2, pluresque alii. Primum constituunt ab Ecclesiae exordiis, usque ad annum 420, aiunt per ea tempora Officium Oratione dominica, Apostolorum Symbolo certoque Psalmorum numero absolutum fuisse, quae in Cleri, et Fidelium Conventibus recitabantur, ut innuere etiam videtur S. Paulus *I Cor. cap. 14, v. 26,* illis verbis: *Cum convenitis unusquisque vestrum Psalmum habet, Doctrinam habet, etc.*

Secundus Officii Divini status est ille, quem praedicti Scriptores asserunt evenisse post annum 420, aiunt enim, quod precum diversitas confusionem in Ecclesia pareret, et quod Haeretici Catholicorum Officium ludibrio haberent, hinc, instante Theodosio, Damasum Papam S. Hieronymo mandasse, ut Psalmorum in diei, et noctis horas distributionem institueret; hanc autem Psalmorum distributionem, necnon Lectionum digestionem ab Hieronymo factam, et a Damaso approbatam, ab universa Ecclesia receptam fuisse, sed revera hujus Officii Romani reformationis nulla habetur sufficiens probatio, nihilominus credibile non est Strabonem Scriptorem alioquin satis accuratum haec sine fundamento scriptis consignasse; unde dicendum est nono saeculo monumenta quaedam fortasse extitisse, ex quibus conjici potuit, praedictum Pontificem S. Hieronymo imposuisse onus distribuendi Psalmos, et concinnandi Lectiones in Divinis Officiis recitandas.

Postquam Officium Div. a S. Damaso, seu potius a S. Leone, S. Gelasio, S. Gregorio Magno, Hadriano I, Greg. III digestum fuit, et in meliorem ordinem distributum, Greg. VII postremam illi manum imposuit, et hic dici potest tertius Officii, seu Romani Breviarii status. Officium hoc, ita a Gregorio reformatum, a Micrologo ejusdem Pontificis Auctore contemporaneo describitur; idemque Pontifex, ut in Hispania Romanum Officium reciperetur, effecit.“ *Mer. h. l.*

a Nicola III ad usum communem, propter multitudinem Festorum in eodem Breviario cum diminutione ferialis Officii.

4. Restitutum dicitur Decreto Concil. Trid. *sess. 24 in fine,* ut intelligas non esse novum; editum autem a Pio V, et recognitum a Clemente VIII et Urbano VIII ea prorsus ratione, qua in Bullis eorumdem, de quibus nunc dicemus." *Ita Gav.*

5. Sub nomine Breviarii Romani tria nunc comprehenduntur, ejus nempe *a)* Calendarium seu Festa, *b)* Partes seu Officia, et *c)* Rubricae. Hinc Breviarium Romanum, *stricte* acceptum, est illud in quo sola et omnia habentur festa et officia Ecclesiae Universalis, quaeque ordinantur et peraguntur ad normam Rubricarum dicti Breviarii. Sed, ita stricte sumptum, vix alicubi est in usu. Communiter enim qui Breviario Romano utuntur, propria habent officia vel legitima consuetudine, v. g. ante Bullam S. Pii V introducta, vel a S. Sede approbata, quae ad dicti Breviarii formam recitant. Sic v. g. Ecclesia Romana, sumpta pro Ecclesia particularis Dioecesis, multa habet festa et officia propria, quae non recensentur in Calendario Ecclesiae Universalis.

ARTICULUS III.

DE BULLA S. PII V, ET USU BREVIARII ROMANI.

Praesens articulus exhibet summam Bullae S. Pii V pro reformatione Breviarii, illiusque textum, brevi subjecto commentario, ubi opus fuerit. Summa exscribitur quae apponitur initio Breviarii, et traditur a Gavanto *h. l.* Eidem adjicitur summarium commentarii, sed ita ut a priore distinguatur per hoc separationis signum.

Quod vero ad commentarium attinet, quo facilius conferatur cum ipso textu, ad hunc interponentur numeri iidem, quibus commentarius distinguetur. Quae methodus deinceps sedulo servabitur in exponendis Rubricis. Hac enim ratione lector, nullo negotio, secernere valebit doctrinam certam a controversa, ipsam Rubricam seu legem ab Auctorum opinionibus aut monitis. *Cf. dicta P. I, sect. II, art. 1, n. 8.*

Bulla S. Pii V hic dividitur in tot paragraphos quot habentur in Summa ejusdem Bullae. Quam quidem partitionem non reperi in exemplari, quod praefigitur Breviario, quo usus sum, ubi uno tractu, sine ullo numero legitur; neque in Magno Bullario, ubi Bulla exhibetur quidem divisa

in 12 §§, sed qui summae, hic praepositae, non correspondent. Itaque illam, non hanc adhibendam existimavi ad majorem claritatem commodioremque usum. Supervacaneum est praeterea monere textus verba, quae hic characteribus distinctis imprimuntur, in exemplari legi sine ulla distinctione.

Pius V Bulla, quae incipit *quod a nobis*, data Romae *septimo Idus Julii anno 1568*,

1. Significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

2. Enarrat ea, quae in hac re praestitere Paulus et Pius nomine Quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit ex Decreto Concilii Trid.

3. Tollit, et abolet omnino Breviarium a Cardinale Sanctae Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, et alia, quae ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. — Nomine Breviarii hic tria comprehendi videntur — Ad quos Bulla dirigitur — Duplex liturgia Romana — Varii nonnullarum Ecclesiarum Ritus.

4. Permittit tamen, ut antiquiora non Romana ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si Episcopus, et universum Capitulum consentiant. — Sine hoc consensu ne privatim quidem recitari posse videtur Breviarium Rom. in his Ecclesiis.

5 Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi, et psallendi more, et Ritu praedictorum Breviariorum suppressorum. — Consuetudines, etiam futurae, generatim reprobantur — Quaedam tamen, quae circa Festa versantur, fuerunt a S. R. C. exceptae vel approbatae; non autem quae sunt circa officia.

6. Praecipit observari hoc Breviarium in toto Orbe cum exceptione 200 annorum, de qua supra. — Legislativa potestas in Breviarium ablata fuit ab Ordinariis Ecclesiarum ritui Romano non addictarum.

7. Statuit nihil in eo mutandum, addendum, detrahendum — *Legislativa* potestas quoad Breviarium, scilicet Festa, officia et Rubricas, ablata est ab Ordinariis Ecclesiarum ritui Romano addictarum. — Eisdem vero remanet ordinaria seu administrativa potestas circa plura. — Corollarium practicum respectu officiorum de quibus dubitatur utrum sint legitima.

8. Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

9. Jubet omnibus Praelatis ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorum.

10. Tollit obligationem, quae erat sub mortali, recitandi extra Chorum Officium parvum Beatae Virginis, et Defunctorum, Psalmos Poenitentiales, et Graduales juxta Rubricas Breviarii.

11. Hortatur, ut recitentur eadem propositis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. V. et Defunctorum, quinquaginta recitantibus Psalmos Poenitentiales, et Graduales, quando Rubricae ea praescribant.

12. Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi Officium parvum B. V. in Choro, imo eamdem confirmat; et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem — Sub poenis prohibet, ne imprimatur sine licentia. — In Breviariis et in Magno Bullario, sequitur Testimonium factae publicationis, quod hic praetermittitur.

§ 1. Quod a nobis, inquit Pontifex, postulat ratio pastoralis officii, in eam curam incumbimus, ut omnes quantum Deo adjutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilii Decreta exequantur: ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cum ea quae in mores inducenda sunt, maxime Dei gloriam, ac debitum Ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, et gratias Deo persolvendas, quae Romano Breviario continentur.

§ 2. Quae divini Officii formula pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, praesertim Gelasio ac Gregorio Primis constituta, a Gregorio autem Septimo reformata, cum diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa res est, quae ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur. Alii enim praeclaram veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis et alienis [1] quibusdam commutatam deformarunt: plurimi specie Officii commodiores allecti, ad brevitatem novi Breviarii [2], a Francisco Quignonio titulo sanctae Crucis in

1) In Magno Bullario, pro *alienis* legitur *advenis.*

2) Breviarium Romanum a Fratribus Minoribus contractum, seu potius recognitum, et correctum; brevius adhuc reditum fuit hortatu Clementis VII a Francisco Quignonio Cardinali S. Crucis et inscriptum est hoc Titulo: Breviarium Romanum ex Sacra potissimum scriptura, et probatis Sanctorum historiis, etc. — Praedictum Breviarium editum reperio prius Romae Anno 1536 deinde Venetiis. *Mer. Sect. II, cap. 1, n. 4.*

„Sustulit S. Pontifex Pius V gravissimis ductus rationibus, ac potissimum, ne in materia Divini cultus, quidquam innovaretur, usum Breviarii Quignoniani, quod a praecedentibus Pontificibus Clemente VII et Paulo III erat quidem approbatum, sed non generatim, videlicet pro Ecclesiasticis in saeculo degentibus dumtaxat, ac dummodo specialem singuli super hoc ab Apostolica sede facultatem haberent, ut testatur Ludovicus Donius

Jerusalem Presbytero Cardinale compositi, confugerunt. Quin etiam in Provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut Episcopi in Ecclesiis, quae ab initio communiter cum ceteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quisque Breviarium conficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem formula preces et laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac pene cujusque Episcopatus proprio Officio, discerperent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus perturbatio: hinc summa in Clero ignoratio caeremoniarum ac rituum Ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, versarentur. Hanc nimirum orandi varietatem gravissime ferens fel. mem. Paulus Papa Quartus emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, totam rationem dicendi ac psallendi Horas Canonicas ad pristinum morem et institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, nondum iis quae egregie inchoaverat perfectis, de vita decedente, cum a piae mem. Pio Papa Quarto Tridentinum Concilium, antea varie intermissum, revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papae ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum a praedicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii relata est; qui illis ipsis Patribus

d'Attichis tom. 3 Florum Historiae Sacri Collegii ad annum Christi 1529, n. 14, ubi subnectit, quod si usum hujusce Breviarii abrogavit Pius P. non propterea Quignonii intentionem damnavit, imo meritus est unusquisque laudem suam apud Deum et homines tam Pontifex, quam Cardinalis, qui nunquam cogitavit inventum ullum novum in Ecclesiam inducere, nisi approbantibus, et annuentibus Summis Pontificibus, quorum censurae omnia sua dicta, scriptaque perpetuo subjecit, unde ad calcem Praefationis, quam Breviarii sui fronti praefixit Paulum P. III cui eam direxerit, sic affatus est: *Habes Pater SS. instituti nostri rationem, habes formulam Breviarii; superest, ut si tibi res, quemadmodum speramus, non improbabitur, ipse quoque faveas inceptis nostris, et labori publicae commoditatis gratia suscepto.* Haec Merati *l. c. n. 5.*

ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit. Verum eo etiam in viam universae carnis ingresso, Nos, ita divina disponente clementia, licet immerito ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maxime urgeremus, magna in nos Dei benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Breviarium vidimus absolutum. Cujus ratione dispositionis, ab illis ipsis, qui negotio praepositi fuerant, non semel cognita, cum intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breviariis nobilium Urbis Ecclesiarum, ac nostrae Vaticanae bibliothecae, non discessisse, gravesque praeterea aliquot in eo genere scriptores secutos esse, ac denique remotis iis quae aliena et incerta essent, de propria summa veteris divini Officii nihil omisisse, opus probavimus, et Romae imprimi, impressumque divulgari jussimus.

§ 3. Itaque ut divini hujus operis effectus re ipsa consequatur, auctoritate praesentium, tollimus in primis et abolemus Breviarium novum a Francisco Cardinale praedicto editum, et in quacumque Ecclesia, Monasterio, Conventu, Ordine, Militia, et loco virorum et mulierum etiam exempto, tam a primaeva institutione, quam aliter ab hac Sede permissum: ac etiam *abolemus quaecumque alia Breviaria* 1. vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis in suis dioecesibus pervulgata, *omnemque illorum usum de omnibus orbis* Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis virorum et mulierum, etiam exemptis, in quibus alias Officium divinum *Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit aut debet.* 2. Illis tamen exceptis, etc.

1. *Alia Breviaria.* Quaeritur quid hic veniat nomine Breviarii, an sub eo scilicet comprehendantur sola Officia et Rubricae, vel etiam Calendarium seu Festa, ita quidem ut haec habenda sint suppressa quae non sunt ducentis annis antiquiora Bulla Piana?

R. Affirmandum videtur 1° ex his Bullae verbis quae sub § 8 leguntur: *Ex more* et *ritu Romanae Ecclesiae* ... ex hujus Romani Breviarii *praescripto* et *ratione;* 2° ex decreto S. R. C. *infra citando ad* § *7,* ubi idipsum satis aperte declaratur hisce verbis: „Non potuisse *post Bullam Pii V* ... locorum Ordinarios ... addere *Kalendariis* etiam propriis, Sanctorum Officia.“ *Cf. Merati Sect. 2, n. 7 cum Guyeto ibi*

allegato. Videantur tamen dicenda *ad § 5,* de Festis et Officiis consuetudine immemoriali introductis.

2. *Romanae Ecclesiae ritu dici consuevit, aut debet.* 1° Itaque minime hic agitur de Ecclesiis quae propria non Romana liturgia tunc utebantur. Sed ad illas tantum spectat Bulla quae tunc temporis ritum Romanum sequi solebant aut debebant.

2° A tempore S. Pii V, duplex liturgia Romana distinguenda est, ut scite animadvertit Bouix in *suo Tract. de Jure liturgico P. IV, c. 2, § 2, prop. 7.* „Ex supra expositis, inquit, ante reformationem Pianam liturgiae totius Occidentis (excepto Ambrosiano et Mozarabico ritu) dici solebant *Romanae,* quia eaedem quoad substantiam cum liturgia Ecclesiae Romanae aliquando fuerant, et substantialiter tales remanserant. Diversae tamen in multis erant, tum inter se, tum a liturgia qualis tempore S. Pii V Romae vigebat. Ecclesias, quae aliqua, ex hujusmodi *Romanis* liturgiis, ducentis annis antiquiore utebantur, noluit S. Pius V suae reformationi subjicere. Potuerunt ergo cum suo breviario et missali remanere; et sic remanentes, *in liturgia Romana,* qualis ante Pium V in Occidente generaliter vigebat et intelligebatur, remanserunt. Aliae autem ecclesiae, quae breviario et Missali correcto sancti Pii V adstrictae sunt, in *liturgia* etiam *Romana* constitutae sunt; at noviter *correcta,* at valde diverso, ut patet, quia valde strictiori sensu. Pro duplici autem illa specie seu classe *liturgiae Romanae,* diversum jus liturgicum omnino, ut videbimus, agnoscendum erit. Dum ergo de *liturgia Romana* quaestio instituitur, nisi accurate praemoneatur utrum de priori, an vero de posteriori agatur, aequivocationi remanet locus. Quam aequivocationem ut in decursu tractatus devitemus, et simul unico verbo rem expediamus, prioris generis liturgiam Romanam *ante-Pianam* vocabimus, posterioris vero *post-Pianam.* Quae denominatio si cui minus arrideat, parcat tamen quod opportunior menti nobis non occurrerit." In hoc commentario de *post-Piana,* non autem de *ante-Piana* agitur, nisi forte per accidens quaedam de hac etiam adnotentur. Quod facile discernet lector.

3° Utile videtur hic, e Fornici *op. cit.,* exscribere sequentia de variis nonnullarum Ecclesiarum ritibus. Primo explicat originem illius varietatis et deinde in quo ea consistat exponit. „Et hae, inquit *op. cit. P. II, c. 4,* variae

rituum institutiones ab ipsis apostolorum temporibus derivarunt, prout jam vidimus cap. XVII *de Sacrificio Missae.* Divisis siquidem inter Christi discipulos ad evangelii praedicationem mundi provinciis, mutuo eos contulisse legimus de unitate fidei proponendae iis quos vocaturi erant ad evangelicum jugum, at nusquam certum suppetit monumentum idem praestitisse circa alia quae ad disciplinam spectabant. Quare unusquisque ritus eos disposuit, qui ad mores regionum et populorum, quos nova fide imbuerunt, essent magis accommodati. Ipsae quae apostolis, etiam apostolorum successoribus, causae fuerunt varios in suas Ecclesias introducendi ritus juxta nationum mores, ut ingenia quae varias in rebus politicis caeremonias sectantur, ita et varios in rebus ecclesiasticis ritus exigunt. Hinc igitur effluxit rituum divini Officii diversitas in pluribus provinciis et terrarum partibus, hac in re utentibus episcopi potestate sibi relicta decernendi rationem quae ad Deo laudes canendas optima visa fuerit. *Manente enim lege fidei,* inquit Tertullianus, *in lib. de veland. virgin., quae una omnino est, sola, immobilis, et irreformabilis, cetera ad disciplinae rationem admittunt novitatem, operante scilicet, et proficiente usque in finem gratia Dei.* Hoc pacto Nepos Aegypti episcopus, S. Hilarius, S. Chrysostomus, totque alii episcopi peculiaria Officia Ecclesiis suis praescripserunt. Hoc pacto Gregorius Magnus licentiam fecit Augustino eos diligendi ritus pro Anglicana Ecclesia, qui sibi magis viderentur expedire ad fovendam illorum populorum conversionem, et stabilitatem in fide.

Varii propterea fuerunt semper, et etiam nunc sunt post Breviarii Romani reformationem et publicationem, ritus quibus Horae Canonicae persolvuntur. *In Orientalibus Ecclesiis* haec olim erat officii distributio, ut e psalmis praecipue componeretur, qui in diei noctisque Horas divisi erant. Psalmis adjectae fuerunt Lectiones sacrae. Graeci, quorum primus S. Joannes Chrysostomus, referente Cassiano in ejus vita, orationes auxit in nocturnis hymnis, dividunt Psalterium in viginti quatuor stationes, ideo dictas, quia, dum bini et bini ad explendum Officium accedunt, illis stantibus, ceteri sedent. Singulis hebdomadis plerumque Psalterium absolvunt, nec plures, nec pauciores quam Latini admittunt Horas. Quaelibet Ecclesia, praecipua Patriarchalis, peculiarem suum habet divini Officii librum; et diversae

consuetudines, quae variis Graecorum liturgiis locum dedere, adeo sunt modici momenti, ut varietatem potius monasticarum constitutionum, quam sacrorum rituum referant.

Armeni Officium in octo dividunt partes, in Mediam Noctem sive Officium Nocturnum, in Diluculum sive Laudes, in Ortum solis sive Primam, in Tertiam, Sextam, et Nonam Horas, in Vesperas, et in Completorium.

Maronitae Psalterium non per hebdomadam, nec per totum annum recitant, sed quosdam psalmos semper, eosdem singulis Horis dicunt, quo quidem ritu plurimum a Graecis et Armenis distant.

Illyrici, seu *Sclavoni* vel Graecum, vel Latinum sequuntur ritum; namque in Dalmatica littorali, in Liburnia, et in Istris ecclesiastici tam saeculares quam regulares Romano ritu psallunt, habentque Breviarium Romanum, Illyrica lingua impressum. In ceteris autem regionibus ritu Graeco divinum peragitur Officium, translatis Graecorum liturgiis in sclavonicam linguam.

Aethiopes seu *Abyssini* Officium in septem Horas canonicas partiuntur, illudque lingua Aethiopica, quae tamen a populari diversa est, exsolvunt.

Caeteri Orientales, uti *Albanenses,* inter mare Caspium et Pontem Euxinum siti, Armenum ritum sequuntur in propriam linguam translatum. Graecum *Mengrelienses, et Iberi, sive Gorgiani,* suo tamen quisque idiomate.

Peculiares quoque suos sibi vindicant mores nonnullae *Occidentales Ecclesiae.* Prima sese offert *Hispania* ad fidem conversa Jacobi Apostoli praedicatione, uti constans eorum locorum traditio est. Cui ritui adhaeserint Hispaniarum Ecclesiae in Officiorum celebratione, temporum diuturnitas nobis invidet notitiam, licet ex Innocentii I epist. *ad Decent.* et Gregorii VII *ad Sancium regem* haud temere licebit conjicere ab antiquo Romano ritu vix primos Hispanos discrepasse. Illud indubium est, saeculo V novam Officiorum rationem invaluisse apud Hispanos ab Oriente facile profectam, et ab Hispanis episcopis in meliorem ac singularem ordinem redactam. *Gothici* hi Officiorum ritus nuncupati fuerunt, quia originem duxerunt eo tempore quo sub Gothorum ditione vivebant Hispani. *Toletanum* etiam dictum fuit hoc Officium, quod regni caput esset Toletum. Hodie tamen antiqui Officii Hispanici nomine *Mozarabicum* intelligitur, quod eam dominationem sortitum est, Mauris Hispanias

invadentibus. Alexander II et Gregorius VII nullum non moverunt lapidem, ut abrogato Gothico, Romanus in tota Hispania admitteretur ritus; sed diu infaustis avibus, reluctante semper populo, qui aegerrime ab avitis caeremoniis patitur divelli, donec Gregorius, voti compos factus, Navarrae et Castellae Ecclesiis abrogatum vidit antiquorum ritum. Reservatum fuit aliquibus post annis Urbani II curae et operae, quod ab Hispaniae moribus plane Mozarabicus ritus abscesserit, qui ita in desuetudinem abiit, ut ejus vestigia vix assequi licuerit cardinali Ximenio saeculo XV, qui, ne tantae vetustatis monumentum penitus intercideret, undique exemplaria Mozarabici ritus conquisivit, et missale ac Breviarium Mozarabum Toletanae editionis, et pretio et raritate memorandum, de novo exarare curavit, et sacerdotum collegium instituit, qui sacra Officia ex Mozarabico instituto absolverent quotidie, quemadmodum hactenus observatur in sacello majoris Ecclesiae Toletanae, et in quibusdam monasteriis, multisque paroeciis, quae vel continuo, vel statis temporibus solemnia Officia peragunt juxta praefatum ritum.

In divinis Officiis *Gallicanam Ecclesiam* ritus fovisse a Romano diversos, et Orientalibus aliquatulum accedentes, a multis antiquitatis monumentis compertum est, maxime ex iis, quae Carolus Magnus a patre suo, necnon a se peracta testatur, ut diversitatem Officiorum in suis regnis ad Romanum ordinem reduceret, ut scribit ipse *lib. 1 contra synodum Graecorum de imaginibus.* Idemque confirmat, Carolo Magno in Galliarum throno suffectus, Carolus Calvus *in epist. ad clerum Ravennatensen;* attamen post praedictorum regnum aetatem non ita Gallia Romanis ritibus assuevit, ut ad haec usque tempora plures non habeat Ecclesias, imo dioeceses, quae a Romanis in nonnullis discrepent. Suos peculiares habet ritus Lugdunensis, suos retinet Lemovicensis, atque suis adhaeret Parisiensis, Pictaviensis, Turonensis, Tolosana, et aliae de quibus propria cujusque missalia, et Breviaria sunt consulenda.

Germania nullum unquam Officium habuit praeter Romanum, illuc a Bonifacio Moguntino episcopo et Germaniae apostolo allatum, cum populos illos ad Christi fidem convertit.

Anglicani Officii nullum est monumentum quo cognosci possit, ante S. Gregorii aevum, qui Evangelii praecones ad christianam religionem restituendam illuc misit. Hic autem

sanctus Pontifex eisdem tradidit Officii Romani libros; atque in dialogis Egberti archiepiscopi Eboracensis ad an. 747 scriptum est, Pontificem ad eos deferre curasse *antiphonarium et missale,* illud scilicet quod S. Gregorius composuerat, et Augustino commendaverat, ut in iis locis servaretur.

Alii aliis Europae provinciis in usu fuerunt, sed parum vulgati ritus. Non ultimo loco habendum peculiare divinorum Officiorum ac liturgiae institutum, in quod metropoliticam, et patriarchalem olim *Aquileiae* dioecesim cum aliis consensisse a Walafrido Strabone habemus testatum, qui *cap. 15* Paulinum Aquileiensem episcopum ritu peculiari saepius tum Rem divinam, tum hymnos celebrasse affirmat, nihil definiens an Paulinus iste, novi ritus *Patriarchini* fuerit institutor, an potius mori in Ecclesia sua jam recepto adhaeserit. Ughellius pariter in sua Italia sacra *t. 5, p. 24 edit. rom.* hanc eamdem veritatem confirmat; et *pag. 325* enarrat: *Quod Comensis Ecclesia proprio canendi ritu, ut vocant honoris gratia Patriarchinum, quem postea Clemens VIII sustulit, romano indicto, usa est.*

Superest aliquid dicendum de liturgia *Mediolanensis Ecclesiae*, quam Walafridus Strabo ante annos octingentos *lib. de rebus eccles. cap. 22.* S. Ambrosio Mediolanensis Ecclesiae Antistiti adscribit his verbis: *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, tam Missae, quam ceterorum Officiorum dispositionem suae Ecclesiae et aliis liguribus ordinavit; quae et usque hodie in Mediolanensi tenetur Ecclesia.* Joseph vero Vicecomes *lib. 1 de ritibus Missae cap. 22* tueri conatur ritus Ecclesiae Mediolanensis a S. Barnaba Apostolo fuisse institutos; a B. Microlete juxta apostolicam institutionem auctos; a beato vero Ambrosio eosdem ritus illustratos, amplificatos, et meliorem in ordinem redactos; ideoque Ambrosianos post ejus obitum vocari coepisse. Attamen Strabonis sententiae consensit Mediolanensis Ecclesia, et totius Italiae traditio, a qua sine evidenti ratione, ut ait cardinalis Bona, recedendum non est. Verum quicumque talis liturgiae institutor fuerit, id pro certo habendum est ipsam fuisse mutationibus obnoxiam, ut colligi potest ex diversis liturgicis libris illius Ecclesiae diversis temporibus editis.

Tandem rituum discrepantiam videre etiam licet inter monachos tum antiquos, tum recentiores. Consonantibus in sancto Officii celebrandi instituto Aegypti, Thebaidis, Palaestinae, atque totius Orientis monachis, rituum tamen diver-

sitatem in hisce asceteriis observarunt viri doctissimi, inter quos Cassianus, et Gregorius Proto apud Leonem Allatium de Synodo Photiana *p. 531.* Eadem occurrit Officiorum dissonantia inter veteres et novissimos S. Benedicti discipulos: compertum est, Cistercienses, et Carthusianos nonnulla in divino Officio observare, quae Benedictino ritui minime congruunt; imo monasteria ejusdem professionis invicem discrepant in provinciarum diversitate. A monachis reliqui religiosorum Ordinum dissentiunt, et inter hos sua non desideratur varietas. Piano siquidem Breviario utentibus aliis, aliud multi sectantur, ut Carmelitae, et Dominicanae familiae alumni, necnon Praemonstratenses, qui Romanum ritum sequuntur quidem, sed in nonnullis et ipsi variant.

Quot autem, et quales sint in Horis canonicis persolvendis varietates recensitae tam nationum et provinciarum, quam regularium Ordinum, si quis cognoscere desiderat, consulat *de Azevedo exercitat. VIII* et *IX de divino Officio,* cum ad rem non pertineat nostram de hisce longiori calamo disserere.

§ 4. Illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione, a Sede apostolica approbata, vel consuetudine, quae, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedat, aliis certis Breviariis usa fuisse constiterit: quibus ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi *suum Officium* 3. non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, et universum Capitulum 4. in eo consentiant, ut id in Choro dicere et psallere possint, permittimus. Omnes vero, etc.

3. *Jus dicendi et psallendi suum officium*, id est sua materialia Officia, juxta sua Calendaria et suas Rubricas, non autem partim suum et partim Romanum. „Quoad illum autem, inquit Deherdt *P. 4, n. 1, not. 3°*, qui legitimo gaudet privilegio, alio Breviario quam Romano utendi, dicendum est, ipsum in officio publico Breviarium Romanum, etiam partialiter, assumere non posse, nisi omnes consentiant, et idem faciant juxta dec. *3 Mart. 1674*, *n. 2530*, *2,* in quo dicitur aut totum antiquum, aut totum novum:"

4. *Universum capitulum.* „Ut autem *universum* Capitulum consentire censeatur, non exquiritur, ut omnes de Capitulo, nullo discrepante, consentiant; id namque moraliter exspectandum non est, nec vis verbi hoc exposcit; sed solum quod consensu praestetur a Capitulo, ut Capitulum est, idest

per modum unius corporis mystici ad hoc congregati, et tunc *universum* consentit, quando major pars vincit, nisi jure expresso amplius requiratur, quemadmodum advertit Suarez *tom.* 2, *Relig. lib. de hor. can. cap.* 11, *n.* 4." Cav. *Tom. II, dec.* 366, *n.* 1.

Hic consensus requiri etiam videtur ut, relicto legitimo Breviario quod hic excipitur, Romanum in *ipsa privata recitatione* assumatur. Neque etiam — ita prosequitur Deherdt *cit. ad n.* 1 *praeced.* — hic (qui nempe Breviario non Romano legitime utitur) videtur privatim posse recitare Breviarium Rom. nisi omnes, qui debent, consentiant, et Breviarium Rom. assumant: nam licet quidam, nisi praeceptum alterius Breviarii extet, ex consuetudine contrarium probabile putent, ut videri potest apud s. Alph. de Lig. *lib.* 4, *n.* 160; Sanctus tamen Pius V in sua Bulla, sine distinctione inter publicam et privatam recitationem, non permittit mutari Breviarium proprium in Romanum, nisi Episcopus et universum Capitulum consentiant; praeterea privata haec mutatio sine confusione fieri nequit: insuper Clemens V, permittendo saecularibus et regularibus, servitio Cardinalium ac quorumcumque Pontificum addictis, ut recitare possint idem officium ac Cardinales aut Pontifices, utitur verbo *indulgemus*, quod evidenter supponit, eos sine hac facultate obligatos esse ad suae Ecclesiae aut Ordinis Breviarium. *Gav. sect.* 2, *c.* 2, *n.* 14. — *Cav. tom.* 2, *dec.* 366, *n.* 4.

Bouix, *Tract. de Jure liturgico P. IV, c.* 2, *§* 4, *prop.* 5, existimat hoc etiamnum controverti posse, secluso (ut hic supponitur) episcopi mandato adhibendi, etiam privatim, proprium Breviarium.

§ 5. Omnes vero, et quascumque Apostolicas et alias permissiones, ac consuetudines, et statuta etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi, *tam in Choro, quam extra illum*, more et ritu Breviariorum sic suppressorum, praedictis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis, necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Praelatis, ceterisque omnibus et singulis personis Ecclesiasticis saecularibus et regularibus utriusque sexus, quacumque causa concessa, approbata, et innovata, quibuscumque concepta formulis ac decretis, et clausulis

roborata, omnino revocamus, volumusque illa omnia 5 vim et effectum de cetero non habere. Omni itaque, etc.

5. 1° *Illa omnia,* quae ad Officium pertinent, scilicet Festa, Officia, mores et ritus seu regulae precandi et psallendi, undecumque originem traxerint, *vim et effectum de caetero non habere.* Haec verba et alia, quae leguntur *§§ 6, 7 et 8,* satis ostendunt (quod *supra P. I, sect. II, art. 2, n. 19 et sqq.* probatum est de Rubricis Breviarii) Legislatorem resistere consuetudinibus, in hac Bulla non exceptis, quae Breviario Romano adversantur.

Nec obstant Rubricae generales Breviarii *Tit. I, n. 1, Tit. II, n. 1, Tit. V, n. 1 et Tit. VII, n. 1.* Ibi enim ne unum quidem verbum dicitur de origine consuetudinum, quae supponuntur legitimae, sive quia antiquiores sunt Bulla Piana, sive quia a S. Sede fuerunt approbatae. Quod nequaquam pugnat cum data resolutione quae est de consuetudinibus quae et quatenus reprobantur per dictam Bullam. „Festa a Rubricis admissa, ait Gav. *Tom. II, dec. 384, n. 3,* esse festa consuetudinis inductae ante Bullam Pii V, seu ante editionem earumdem Rubricarum, et hac de causa in iisdem consulto positum fuisse verbum in sensu praeterito *consueverunt,* vel aliud simile, ut daretur nempe intelligi, non de consuetudine introducenda, sed ante easdem invecta dispositionem procedere.“ *Conferri potest ibid. decretum praeced. 384, n. 2 et 3.*

2° Cum supra *P. I,* satis dictum sit de consuetudinibus quae Rubricis Breviarii repugnant, ostensumque fuerit nonnullas ex istiusmodi consuetudinibus approbatas fuisse a S. R. C., cumque generatim dicta de consuetudinibus, quae Rubricis adversantur, quadrent etiam Festis et Officiis (Festum enim et Officium quae respective non sunt in Calendario aut Breviario, nec aliunde sunt legitima, sunt etiam contra Rubricas Breviarii Romani), hic quaedam tantum adnotanda veniunt de Festis et Officiis quae generalibus decretis approbantur, quamvis non sint in Calendario ac Breviario Romano. Quae decreta, utpote generalia, tanquam regulae interpretationis aut tanquam generalia indulta, habenda sunt pro similibus casibus *(vid. dicta de S. R. C. Decretis).* Dictorum Decretorum alia spectant ad Festa quae sunt vel censentur antiquiora Bulla Piana, alia vero ad Festa quae post eamdem sunt, vel praesumuntur, invecta. Eorum-

dem summa contineri videtur duabus sequentibus propositionibus:

I. Continuari possunt Festa quae ante Bullam Pianam fuerunt introducta consuetudine immemoriali, quamvis de sanctis non canonizatis.

II. Imo continuari etiam permittuntur Festa, post dictam Bullam introducta consuetudine immemoriali, modo tamen sint de Sanctis Canonizatis, id est, in Martyrologio Romano descriptis. Necessaria autem videtur haec descriptio, ut ex dicendis eruendum est.

Praecipua decreta, hac de re data, sunt sequentia:

a) Ex S. R. C. decreto *28 Octob. 1628, n. 625, 1,* ad continuanda Festa (Officia scilicet de communi, ubi propria approbata non habentur) de Episcopis Sanctis locorum, requiritur, ut constet illos fuisse canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis Officium et Missa.[1] — Ex subsequenti decreto nempe *29 Martii 1783, n. 4260, 2,* sequi videtur non aliud requiri ad servanda Festa quae ad illud tempus celebrari consueverant, nisi ut „eorumdem celebratio invecta sit ante Bullam S. Pii V, editam 7 Idus Julii 1568".

Dicitur: *videtur,* quia non absque omni fundamento asseri potest S. R. C. in dicto Rescripto mentionem habere de consuetudine, qualis permittitur in Bulla Piana, nimirum ducenaria.

b) Decreta, quae sequuntur, respiciunt Festa quae post dictam Bullam fuerunt aut censeri possunt introducta.

Per decretum *11 Junii 1605, n. 117, ad 4,* approbantur

1) Die *28 Oct. 1628, ad 2 dubium* — De Episcopis Sanctis[a] locorum quomodo sit continuandum, seu celebrandum Officium?

Fuit responsum cum distinctione: *quod aut habent Officia propria, et a Sede Apostolica approbata, et debet continuari modo concesso: aut non habent et poterit recitari de communi, si tamen constat illos fuisse canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis Officium, et Missam.*

Si *sola* responsi verba attendantur, dici poterit *a)* non requiri consuetudo sit antiquior anno 1568, et *b)* sufficere ut *vel* sit de sanctis canonizatis, *vel* sin minus, sit immemorabilis. Quod admitti non posse videtur, sed potius dicendum hic agi de Festis antiquioribus illa Bulla ut confirmabitur ex decretis subsequentibus quae alleganda sunt.

a) Qui sint sancti locorum proprii, vide *ap. Cav. l. c. ad hoc dec. ord.* 345, *et infra dicenda de translatione Festorum ad Tit. X.*

Festa quae post illam fuerunt introducta, consuetudine immemoriali [1], quamvis sint de sanctis non canonizatis. Per subsequens videlicet *7 Maii 1746, n. 4032, 5,* permittitur quidem continuari, sed „dummodo immemorabile respiciat Festum in Romano Martyrologio descriptum; sin minus, negative."

De hoc decreto 1746 et altero 1783 *(ad a cit.)*, sequentia scribit Deherdt, P. IV, n. 3, III. „Ut ob immemorabilem officium recitari valeat, decretum cit. 7 Maii 1746, requirit, ut festum in Martyrologio Rom. sit descriptum; cum autem decretum posterius supra cit. 29 Mart. 1783, n. 4260, 2, expresse permittat officium de sanctis non descriptis in Martyrologio, modo celebratio invecta sit ante Bullam s. Pii V, idem permitti dicendum est de Sanctis, quorum officium ob immemorabilem recitatur, licet descripti non sint in Martyrologio Rom. *Vid. Cav. tom. 2, append. ad cap. 44, dec. 3,*" *in ord. 462* [2].

Huic autem ratiocinio *a pari*, assentiri non valemus.

1) Hic agitur, Juxta Cav. *tom. 2, dec. 381, n. 1 et sqq.* de consuetudine vel centenaria, vel etiam simpliciter immemoriali. „Hactenus, inquit ibi n. 7 de consuetudine immemorabili quatenus centenaria, nunc de ea quatenus vere immemorabili, seu prout de ejusdem initio nulla reperitur memoria, sed prout sciri potest, eamdem semper, et constanter viguisse constat; et dicimus hanc potem esse tueri officium de Sanctis, etiam non canonizatis, quamvis certo non constet, quod respective tempore praecedat annum 1568, vel 1534. Cum enim Sancti hujusmodi sint in pacifica immemorabili officii possessione, expoliari non valent, nisi probetur possessio illegitima, praesertim quia praesumendum non est in majoribus nostris in introductione, et continuatione praedicti officii defectum, aut delictum contigisse; haec namque ex communi Jurisperitorum regula numquam praesumuntur, quinimo actus ipse, qui potest sonare in delictum et non delictum, semper est interpretandus, ut absit delictum. Quo in sensu veritatem habent Decreta cuncta, quae ad continuationem officii consuetudinem immemorabilem stabiliunt validam."

2) Cav. *h. l.* ad dictum *dec. an. 1746,* hoc animadvertit de iis quae dixerat superius ad dec. an. 1605, ord. 384, n. 8. „Ut ratione, inquit, immemorabilis consuetudinis continuari possit officium, praesens Decretum, quod sit de sancto in Martyrologio Romano descripto, in conditionem exposcit. Id contrarium videbitur iis, quae nos dedimus tom. 1, c. 44, n. 8, et quidem Bullae Urbani VIII, et validis Congregationum Decretis innixi, quae ne dedignetur lector recolere, ut rectum judicium valeat efformare.

Paritas enim, saltem *per se loquendo*, absque jure ponitur inter Festa quaecumque ab immemoriali introducta; sive *ante*, sive *post* Bullam Pianam fuerint invecta.

Dicitur: *per se*, quia, propter praesumptionem, idem *in praxi* non raro resolvetur de immemoriali, etiam post annum 1568 introducta. Ideo nempe quod hujusmodi consuetudo praesumi saepe poterit antiquior illo anno seu Bulla Piana.

Merati, *Sect. II, cap. 2, n. 6,* duo requirit cum Guyeto, nempe „ut Festum ejusmodi 1° sit de Sancto canonizato, nimirum Canonizatione formali, vel aequivalente, aut de mysterio ab Ecclesia recepto, et approbato, 2° ut ejusmodi consuetudo sit introducta ante Bullam Pii V, seu ante receptionem illius respectu illarum Ecclesiarum, quae suo antiquo Breviario legitimo primum usae, Romanum deinceps admiserunt.“ Hanc in Martyrologio Romano descriptionem non requiri, docet quidem Cavalerius *l. c. dec. 381, n. 7 et sqq.* Sed videatur, *supra nota 1,* quod ipse hac de re postea animadverterit.

3° Ex dictis manifestum fit saepe difficillimum esse in praxi definire, an aliqua consuetudo, quae Festum introduxit, sit legitima necne. In dubio prudenter aget, qui se gesserit juxta supra adnotata ex Caval. *dec. 381, n. 7,* modo tamen non versetur in casu, quem citatus Auctor hisce excipit, *ibid. n. 10:* Praeterire non ducimus, quod si consuetudo alias legitima, ferret celebrationem de Sancto, qui nunquam extitit, aut qui ab Ecclesia non est ex receptis, tollenda penitus esset, tanquam prava, et absurda. *Cap. ad audientiam, et Cap. cum venerabilis de consuet., Cap. cum satis de officio Archid., et Cap. cum causa de sent. et re jud.* Si autem ferret celebrationem de Sancto v. g. ut martyre, cum tantum confessor sit, stante sanctitate Servi Dei, consuetudo tantum corrigenda foret quoad qualitatem officii, in qua est error, non quoad substantiam ejusdem, in cujus legitima est possessione.

Ad *dec. 384, n. 4*, Cavalerius sequentem sibi proponit quaestionem, cui respondet n. 5.

„Quaeres, inquit, num modo integrum sit festa ex consuetudine retinere, vel supprimere? Dictum est *modo,* quia dubium non est, quod tempore receptionis Breviarii Romani potuerunt dicta festa supprimi, et plus minusve ab Ecclesiis jam fuerunt suppressa.

R. modo retineri debere, nec supprimi posse. Tum quia Sancti isti vi longaevae, legitimae, et praescriptae consuetudinis sunt in possessione cultus officii, unde hoc amplius spoliari non possunt. Sane a Decreto 10, cap. 4, *debita prout hactenus servatum est,* appellatur veneratio Sanctorum, et eisdem *adhibenda* mandatur, et Urbanus VIII, in nihilo praejudicandum esse voluit Sanctis illis, qui in legitima, seu centenaria cultus possessione aderant; quidni igitur et debita erit, prout hactenus servatum est, et adhibenda veneratio Sanctis, de quibus agimus, et manutenendi hi erunt in legitima possessione officii? Tum quia, ut statim dicemus, festa consuetudinis sunt festa, quae per Rubricas Breviarii Romani probantur.

Haec de *Festis* ex consuetudine. Superest eadem applicare ad *Officia* consuetudine introducta.

4° De Festis ex consuetudine duo stabilita sunt: *Unum* ad eorum suppressionem, *alterum* ad eorumdem continuationem pertinet. Utrumque officiis consuetudine introductis applicandum est. Et primo quod attinet eorum suppressionem, si non sint de exceptis, ea aperte statuitur in Bulla toties jam memorata. Et secundo, continuanda esse quae consuetudine, ut supra fuerunt inducta, confici etiam videri posset ex decretis, et ex paritate.

Equidem ad hoc allegari nequit decretum *cit. an. 1605,* ubi officium dicitur recitari *de communi.* Sed alia citata decreta, ut *an. 1746 et 1783,* mentionem etiam habent de Officiis quae ex consuetudine recitantur. Cum autem officium dicitur recitari ex consuetudine, agi videtur non de officio *ex communi,* sed de officio *proprio.* Secus enim dicendum esset: *Festum celebrari cum officio de communi.* — Praeterea eadem militat ratio quam pro Festis. Officia enim consuetudine immemoriali introducta, non minus quam Festa, sunt in possessione, a qua non sunt exturbanda. Sed, ut patet, officia, supponuntur nihil omnino continere quod fidei adversetur. Cf. Deherdt *P. 4, n. 3,* ubi videtur idem statuere de Officiis quam de Festis.

5° Aliter tamen sentit Cavalerius *Tom. II,* ubi refert et explicat sequens decretum, *in ord. 357.* „Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8 Apr. 1628. Ex Merato in Indice Decret. brev. n. 62.“

Quod Decretum ita ipse exponit *n. 1.* „Duplicem, *inquit,* sensum sustinet Sanctio, et primus est, quod de Sancto aliquo

fieri non valeat officium, nisi sit concessum; et secundus, ut materiale ipsum officii respiciat, ita ut in festis Sanctorum jam concessis non recitari possint officia a quocumque efformata, nisi prius approbata fuerint, sed in iisdem tantum legi possit, quod jam fuit approbatum. Primus vero quidem adhaeret, sed legitimus Sanctionis sensus non est; id enim jam Congregatio sub iisdem die, et anno pluribus Decretis stabiliverat, nempe primo, et aliis praecedentis capitis, secundo capitis secundi, et quarto capitis quarti, quare super hoc eadem die opus haud erat aliud Decretum innovare. Secundus itaque germanus erit sensus Decreti; si enim ita non foret, vota et studia Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII, de quibus supra, irrita essent, et adhuc iis, quae a divino proscribere officio tantopere adlaborarunt, integer pateret locus. Comprehendit autem nedum Sanctorum festa, quae Bulla Piana sunt moderniora, sed etiam antiquiora, ita ut nec consuetudo, quae ad eamdem Bullam praevias radices habet, potis sit tueri eadem officia, licet firmare queat festa, unde hac de causa in Decr. primo, et tertio Capitis de festis ex consuetudine statutum apparet, in hujusmodi festis ex consuetudine recitandum esse officium de *communi,* si nempe desint per Sedem Apostolicam approbata, ut habet Rubrica 1, *num. 1.*"

Cui Cavalerii sententiae adhaerendum videtur, ut suadent, imo probant sequentia.

1. Allegatum Decretum est fragmentum decreti 8 Apr. 1628, quod partim reperitur initio Breviarii et recensetur in Collectione Gardelliana, sub n. 593. Ibi S. R. C. „Missas quae circumferuntur... sicut etiam Officia ab eadem non approbata prohibuit, rejecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, rejectis, et damnatis haberi voluit."

2. Equidem Decretum praecipue agit de Officiis mutatis aut introductis per locorum Ordinarios. Cum tamen S. C. *absolute* pronuntiat de *Officiis non approbatis,* quin excipiat ea quae legitima consuetudine fuerint invecta, dicendum est illum legalem consensum, quo permittitur, ut serventur *Festa* consuetudine inducta, denegari consuetudinibus *Officia* inducentibus, nisi sint de exceptis in Bulla Piana.

3. Hac posita reprobatione, decreta an. 1746 et 1783, quae *solis* spectatis verbis, *aliquatenus* possent etiam de Officiis seu de Officiorum materia intelligi, limitanda sunt

ad Festa stricte sumpta, abstractione facta a qualitate officii in eis recitandi.

4. In Rescriptis S. R. C., quae citat DeHerdt *P. IV, n. 3, IV*, videlicet *3 Dec. 1672, n. 2452*, „quoad Officium servandam esse consuetudinem," et *29 Jan. 1752, n. 4074, 8*, „Servetur solitum," non agitur de ipsa Officii materia, sed de ejusdem ritu. Et insuper dicta Rescripta habenda sunt tanquam praebentia potius consensum personalem in casibus propositis, quam generalem regulam interpretationis.

Quod autem attinet ad decretum *20 Sept. 1806, n. 4350*, ibidem cit. nihil facit ad rem nostram. Quippe quod agit de Officiis particularibus alicujus Ecclesiae, recitandis ex consuetudine antiquiore Bulla Piana, a Sacerdotibus et clericis illi Ecclesiae non addictis.

5. In dubio, an legitimae sint istiusmodi consuetudines, censendae sunt reprobatae. Cum enim generatim reprobatae fuerint consuetudines Breviario Romano adversae (minime agitur de exceptis in ipsa Bulla S. Pii V), exceptio admittenda non est, nisi certo probetur.

6. Tandem tanti est momenti approbatio officiorum totque incommoda nata sunt sequi ex ejus omissione, quemadmodum constat ex Bulla Clementis VIII (art. sequenti 4 referenda), ut S. Sedes in dubio censenda non sit permittere officia, contra Bullam reformationis Breviarii introducta, via consuetudinis, et apostolica approbatione destituta. Cavalerius, *Tom. II, cap. 42, n. 1 et 2*, ostendit necessitatem approbationis officiorum; et quod non vulgaris, cuilibet libera esse debet, sed rara et ad paucos restricta ejusdem approbationis auctoritas. Deinde haec subdit n. 3. „Episcopis olim pro respectivis Dioecesibus ab antiquis canonibus non denegabatur, et S. Gregorius Augustino Anglorum Apostolo scribit, fas eidem esse, quidquid in aliis Ecclesiis invenerit, quod omnipotenti Deo possit placere, aut acceptius esse, seligere, et in usum Anglicanae Ecclesiae convertere. Idipsum praestitit S. Benedictus, eamdemque potestatem Monasteriorum Praepositis permisit, cujus regulam cum S. Gregorius collaudaverit, relictum fuisse videtur Praepositorum arbitrio, quod ipsorum zelo, atque pietati magis luberet, eligere. Nunc saltem quantum ad Episcopos, et Praelatos Romano ritui addictos attinet, per Bullam Pii V aliasque Sanctiones tali jure fuere spoliati, unique Sedi

Apostolicae officiorum approbatio fuit reservata, ut magis ex statim dicendis apparebit."

Haec dicta sint *de jure. In facto* autem seu in praxi alia principia veniunt etiam attendenda, ut v. g. *in dubio, melior est conditio possidentis; praesumitur factum, quod de jure erat faciendum.* Itaque in dubio an consuetudo sit approbata aut satis antiqua, procedendum erit ut dictum est de dubio circa consuetudinem quae festa introduxit. Attendenda sunt insuper ea quae dicentur, *infra ad § 7*, de subdito dubitanti an legitimum sit necne officium quod ipsi recitandum proponit Ordinarius.

6. Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus et locis etiam exemptis, in quibus Officium ex more et ritu dictae Romanae Ecclesiae dici debet, aut consuevit, salva praedicta institutione, vel consuetudine praedictos ducentos annos superante, praecipimus observari; statuentes, etc.

Clare hic praecipitur usus Breviarii Romani omnibus Orbis Ecclesiis quae in hac Bulla comprehenduntur.

Hic inquirendum esset, an et quae facultas circa divinum officium remanserit Ordinariis Ecclesiarum quae Breviarium proprium legitime servant?

Cum vero hujus quaestionis solutio parum conducat ad nostrum scopum satis erit sequentia exscripsisse ex Caval. *Tom. II, dec. 342, n. 4 et seq.* „Ad Episcopos, ait, quorum Ecclesiae proprio gaudent Breviario, sermonem convertimus, quos Meratus *sect. 2, cap. 2, num. 4* obligatos censet, non quidem ex vi Bullae Pianae, sed ex aliis Ecclesiae canonibus, nullam officiorum additionem propriis Kalendariis facere. Guyetus vero *lib. 3, cap. 1, q. 8,* vult nihil iisdem de suo antiquo jure fuisse detractum. Non sane a Bulla Piana, quae uti eosdem non adstringit Episcopos ad susceptionem Breviarii Romani, quod est principale, ita nec ad accessoria; indubium enim est, quod dum mutationem, additionem, et detractionem quamlibet inhibet, de ea sermo est, quae fieret Breviario Romano. Non a Bulla Clementis VIII, quae nonnisi est reformatoria Breviarii Romani, et confirmatoria Bullae Pianae."

„Etsi tamen praefatos Episcopos memorata facultate spoliatos per aliquem Ecclesiae canonem nos ignoremus, eadem

uti non debere sentimus, quia satis ex proditis momentis elucet mens Apostolicae Sedis sibi reservandi officiorum concessiones, et finis ejusdem reservationis, tollendi scilicet varietatem orandi, quae adhuc integra subsisteret in Ecclesia Dei, si nova praedicti Episcopi invehere possent officia. Gaudeant ergo ipsi propria formula, quae non est, nisi modus quidam orandi a Romano diversus, sed non inducant officia Sanctorum, de quorum sanctitate solius Romanae Ecclesiae sicut est judicare, ita permittere, quod speciali officii cultu honorentur, et praesertim quia cum divinum officium sit oratio publica nomine totius Ecclesiae ad Deum fusa, ab eo, qui totius Ecclesiae regimen habet, et decet unice regi. Ut autem certa ab incertis separentur, indubium est, quod officiorum concessiones, quae Ecclesiae universali, seu pro omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, ab Apostolica Sede indulgentur, non minus Breviario proprio utentes adstringunt."

Praefatos Episcopos memorata facultate esse spoliatos, per Bullam S. Pii V, docet Greg. XVI, in suis litteris ad Archiep. Remen. datis die 6 Aug. an. 1842, quae impressae habentur ad calcem tom. 2. Theol. Mor. dicti Archiep. Em. D. Gousset. „Nobis quidem nihil optabilius foret, venerabilis Frater, quam ut servarentur ubique apud vos constitutiones S. Pii V immortalis memoriae decessoris nostri, qui et Breviario et Missali in usum Ecclesiarum Romani ritus, ad mentem Tridentini Concilii *(sess. XXV)*, emendatius editis, eos tantum ab obligatione eorum recipiendorum exceptos voluit, qui a bis centum saltem annis uti consuevissent Breviario aut Missali ab illis diverso, *ita videlicet, ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujusmodi,* sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent *(Const.* Quod a nobis, VII Idus Julii 1568; et *Const.* Quo primum, pridie Idus Julii 1570).

Idipsum jam declaraverat, quoad *Festa*, S. R. C. *die 28 Octob. 1628, n. 625, ad 3*, ubi dicitur, quod *Decretum* scilicet 8 Aprilis ejusdem anni, *contra abusus comprehendit etiam Breviaria tolerata a Pio V excedentia bis centum annos, hoc modo videlicet ut non possit eis addi aliquod Festum SS. nec minus ratione Reliquarum, nisi modo, et forma contenta in Decreto et consulta Sede Apostolica.*

§ 7. Statuentes Breviarium ipsum nullo umquam tempore vel in totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid

addendum, vel omnino detrahendum esse, ac quoscumque, etc.

§. 5 praecedenti, denegatur vis consuetudinibus circa officia divina. Hic a locorum Ordinariis, scilicet ab omnibus Ordinariis Papae inferioribus, aufertur jus aliquid innovandi circa Breviarium Romanum, scilicet circa Festa seu Calendarium, Officia et Rubricas. „Etenim, uti argumentatur Bened. XVI *lib. IX de Syn. cap. 1, n. 6,* cum Fagnano et Suarezio, etiam seclusa Superioris prohibitione[1], nequit inferior legem, ab eodem Superiore latam, aut abrogare aut relaxare: Superior quippe, statim ac aliquid per suam legem praescribit aut prohibet, illud substrahit ab ordinaria potestate inferioris.“ *Cf. ibidem cap. 8, n. 3 et Caval. tom. II, dec. 342, n. 1 et 2.*

Idipsum et expressis verbis declaratum fuit a S. R. C. decreto 8 Aprilis 1628, quod initio Breviarii et in collectione Gardelliana sub n. 593 legitur. Dubia, circa dictum decretum orta, soluta sunt 28 Octob. ejusdem anni 1628, n. 625. Fuit denuo datum, die 13 Januarii 1631, sub titulo: *Urbis et orbis*, cum aliquot additamentis, prout hic exscribitur, ex n. 745.

Decreta S. R. C. *ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt.*

„1. Non potuisse, nec posse locorum Ordinarios tam Saeculares, quam Regulares addere Calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. R. C. seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis praetextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

2. Insuper vetuit, et prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Dioecesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi.

3. Insignes autem Reliquias, *declaravit,* esse Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est

1) Argumentum valet *a fortiori,* quando, ut in casu, habetur hujusmodi prohibitio.

Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

4. De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis, de quibus in Calendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed consulatur omnino, ut par est, S. R. C.

5. Missas, etiam, quae circumferuntur, a S. C. non approbatas, S. Gregorii pro vivis, et pro defunctis, quindecim Auxiliatorum, et de Patre Aeterno, et quascumque alias, exceptis iis, quae sunt permissae quibusdam Regularibus tantum, veluti Rosarii, S. Mariae de Carmelo, et alias; sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, rejecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, rejectis, et damnatis haberi voluit.

6. Decretum nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, omnino servetur.

Quae omnia *decrevit, statuit et mandavit,* sub poenis contentis in Bullis Pii V initio Breviarii, et Missalis positis: quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi Divinum Officium; quod vero ad utentes supradictis Missis, sub aliis poenis contentis in Indice Librorum prohibitorum ex Decreto S. Concilii Tridentini edito.

Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo allegari, neque oblivio ullo umquam tempore possit irrepere, eadem S. C. voluit, et ordinavit Decretum hujusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium, etiam Patriarchalium, Metropolitarum, Cathedralium, Collegiatarum, et aliarum quarumcumque in eisque perpetuo asservari.

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII, *ea laudavit, approbavit atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit, necnon in novis Breviariis, de ordine Sanctitatis suae imprimendis, apponi mandavit.* Die 13 Januarii 1631."

Quando autem, non obstante sollicita Ecclesiae cura, accidit, ut hic statuta oblivioni data fuerint, S. Sedes numquam destitit eadem ad praxim revocare. In exemplum sint duo decreta: unum ex antiquis, alterum ex recentissimis desumptum.

Ex dubiis, quae Episcopus Tornacensis ducentis ab hinc annis proposuit S. R. C., secundum sic sonat:

2. An Officia propria Sanctorum Piati, et Eleutherii ejusdem Ecclesiae Patronorum cum suis Octavis a quadraginta, vel sexaginta annis de ordine Capituli examinata, et reformata, quia in eis plures errores irrepserant, numquam tamen a S. Sede Apostolica approbata, tolerari, et continuari valeant, sicuti, et aliorum Sanctorum, quorum festa ab immemorabili tempore ibidem celebrantur?

Et *die 25 Sept. 1649, n. 1464,* S. R. C. resp.: *Officia exhibenda esse S. C., et interim ea in usum adhiberi non posse.* Et recentissimis temporibus eadem S. C. a R. J. F. Lottin, Canonico Cathedralis Cenomanensis Ecclesiae, interrogata de innovatis Breviario et Missali ejusdem Ecclesiae, et (dub. 3) quid juris respectu cujuslibet Sacerdotis Cenomanensis, sequens dedit responsum, *die 10 Januarii 1852.*

„Ad 3, consulat conjunctim utramque constitutionem S. Pii V, videlicet illam quae incipit, *Quod a nobis,* 7 Idus Julii 1568, et aliam quae incipit, *Ex proximo,* 12 Calendas Octobris 1571." Cf. etiam casus relatus a Caval. *tom. 2, dec. 342, n. 2.*

Hucusque dicta, intelligenda sunt de *potestate proprie legislativa,* qualis exprimitur in hoc 7 § Bullae. A vero enim aberraret qui sive ex Bulla, sive ex dictis sequi putaret omnem potestatem, etiam illam quae vocari posset *administrativa,* ab Ordinariis locorum fuisse ablatam, nullamque eis superesse jurisdictionem circa Breviarium et ejus recitationem. Ipsis namque imprimis competit jus, imo et incumbit obligatio invigilandi et procurandi ut Rubricae et S. R. C. Decreta serventur et applicentur juxta voluntatem et mentem S. Sedis [1].

Ipsis praeterea competit potestas administrativa quoad plura. Ad quam Ordinariam potestatem sequentia referrem: 1. Dubia *facti* seu practica expendere et definire, nisi ipsi Ordinarii opportunum existiment rem judicio S. Sedis subjicere. Cujusmodi dubia sunt: An talis Ecclesia sit consecrata; an continuanda sint Festa, imo Officia, ab immemoriali introducta, nonnullis existimantibus ea non esse legitima. — 2. Ordinem Officii divini conficere et praecipere: in quo conficiendo sequi possunt sententias tantum probabiles, et, tanquam praeceptiva, proponere Officia quae ex concessione sunt *ad libitum.* — 3. Manutenere consue-

1) *Cf. S. R. C. 6 Sept. 1845 in Meliten. n. 4885, ad 4, et dicta supra P. I, sect. 1, art. 4, et sect. 2, art. 2 et seq.*

tudines quae sunt juxta aut praeter Rubricas; imo, ad tempus, tolerare vel manutenere consuetudines ipsis Rubricis adversas, si prudenter existiment eas hic et nunc non posse auferri, aut velint mentem S. Sedis exquirere, vel ab Eadem Indultum [1] rogare. Longe enim aliud est, aliquid Rubricis repugnans prudenter et ad tempus tolerare aut praecipere ut toleretur a subditis, et longe aliud, propria auctoritate, aliquid contra Rubricas praecipere. Illud est sapientiae et prudentiae, hoc autem est intolerabilis insolentiae, ut dicit Bened. XIV. *lib. IX de Synod. c. 5, n. 6.*

Satis autem intelligitur Ordinarios locorum, ubi istiusmodi abusus irrepserint, saepe, imo communiter habituros rationes deliberandi de modo, tempore, aliisque circumstantiis illos tollendi. Hinc fit ut S. Sedes, dum hac de re rescribit Episcopis, non ipsa praefinit dictas circumstantias, sed hoc negotium committit illorum zelo et prudentiae [2]. Hic recensita de administrativa Ordinariorum potestate, nituntur jure communi et ex supra dictis colliguntur.

Corollarium practicum. Quamvis certum sit suae obligationi dicendi Horas Canonicas non satisfacere [3] clericum (addictum scilicet ritui Romano), qui legit officia ab Apostolica sede non approbata nec legitima consuetudine introducta, istam tamen poenam nequaquam incurret clericus, qui dubitat utrum legitima sint Officia quae, in Ordine divini Officii, recitanda proponuntur a legitimo Superiore. Hujusmodi enim dubium *speculativum* minime impedit quin ille clericus possit, imo debeat, *practice loquendo,* dicta officia recitare, uti probatum fuit supra, de obligatione sequendi proprium Ordinem Officii, et confirmatur ex doctrina Theologorum. Quorum allegantur tantum P. Gury et Em. D. Gousset.

Prior sequentia ex Em. D. Gousset docet *Compend. Theol. Mor. de Statu Clericorum n. 29.* „Quoad Breviaria a S. Pontifice

1) Aliquando dari Indulta vel ad tolerandos, vel ad approbandos abusus seu usus contra Rubricas inductos, constat ex dictis supra *Part. I, sect. 2, art. 2, § 2.*

2) Vid. dicta *P. I, sect. 2, art. 2, § 2, n. 7. 8. 9 et 33. — Litt. Gregor. XVI ad Archiep. Remens.* quas hic refert. ad calcem *t. 2 suae Theol. Mor. — Mandement de Monseigneur l'Archevêque de Paris sur le retour à la liturgie Romaine,* quod refert *L'Ami de la Religion n. 5999, 15 Mai 1856.*

3) Hoc statuitur § 8 sequenti.

reprobata sive ante Bullam exstiterint, sive postea inducta fuerint, materialiter juri adversantur, ut evidenter constat ex praefata constitutione, nisi approbatione sive expressa sive saltem implicita S. Pontificis confirmata fuerint.

In praxi autem, Sacerdotes privati, absque ulla haesitatione et difficultate, se cum fiducia debent sapientiae et prudentiae Praelatorum suorum hac in re committere. Licet enim nunc generatim Episcopi Galliae exoptent Ritui Romano conformes fieri, non possunt statim de medio omnes tollere difficultates. — *DD. Gousset, n. 698.*

Posterior haec tradit, *tom. 2 Theol. Mor. de ordine n. 698 cit.* „Il est des diocèses en France dont la liturgie, plus ou moins différente de la liturgie romaine, n'a pour elle ni la sanction du temps, ni celle du saint-siége: cependant les ecclésiastiques de ces diocèses peuvent dire le Bréviaire qu'ils ont entre les mains en s'en rapportant à la sagesse de leur évêque, pour ce qui regarde la réforme jugée nécessaire en droit. Aujourd'hui, tous les évêques tendent à rétablir dans leurs églises, autant que possible, l'uniformité liturgique; mais s'ils ne croient pas pouvoir, de leur autorité propre, substituer un rit quelconque au rit légitimement établi, ni introduire ou fabriquer un Bréviaire différent de celui qui est prescrit ou autorisé par l'Eglise Romaine, la mère et la maîtresse de toutes les Eglises, ils ne peuvent pas toujours non plus, sans de plus graves inconvénients, supprimer brusquement les abus qu'ils trouvent en vigueur dans leurs diocèses. Au reste, en attendant, tout prêtre peut réciter [1] le Bréviaire romain en particulier: le cardinal de la Luzerne en est convenu lui-même dans ses *Instructions* sur le rituel de Langres."

Caeterum in casu, si, quod praesumendum non est, aliquis Ordinarius esset in mora corrigendi quod novit repugnare legibus Ecclesiae et prudenter tolli posse, ipsius conscientia, non autem subditorum onerata maneret.

§ 8. Ac quoscumque, qui Horas Canonicas ex *more* et,

1) Hoc autem verum est solummodo in casu quo constet non haberi Breviarium legitime proprium cum praecepto illud recitandi. *Vid. dicta art. 1, § 2, n. 8, et hoc art.* ad § 4. Si autem hujusmodi legitimum Breviarium habeatur, sed sine praecepto illud recitandi, tunc res videtur dubia D. Bouix, *cit. supra ad § 4.* Sed negativa sententia quam ibi exposuimus cum Deherdt, nobis apparet magis fundata.

ritu ipsius Romanae Ecclesiae, jure vel consuetudine dicere vel psallere debent, propositis poenis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpetuum Horas ipsas diurnas et nocturnas, ex hujus Romani Breviarii *praescripto* et *ratione* omnino teneri, neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.

§ 9. Jubemus igitur omnes et singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, et ceteros Ecclesiarum Praelatos, ut omissis quae sic suppressimus et abolevimus, ceteris omnibus etiam privatim per eos constitutis, Breviarium hoc in suis quisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Dioecesibus, et locis praedictis, introducant; et tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri, et clerici saeculares et regulares, utriusque sexus, necnon milites et exempti, quibus officium dicendi et psallendi quomodocumque, sicut praedicitur, injunctum est, ut ex hujus nostri Breviarii formula, *tam in Choro, quam extra illum,* dicere et psallere procurent.

§ 10. Quod vero in Rubricis nostris hujus Officii praescribitur, quibus diebus Officium beatae Mariae semper virginis, et defunctorum, item Septem Psalmos Poenitentiales, et Graduales dici ac psalli oporteat: Nos propter varia hujus vitae negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione removendum duximus.

§ 11. Verum debito providentiae pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia praecurrentes, illis etiam precibus, suffragiis, et laudibus, suae et aliorum saluti consulere studeant. Atque ut fidelium voluntas ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in Rubricis praefinitis, beatae Mariae, vel defunctorum Officium dixerint, toties centum dies; qui vero Septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta, de injuncta ipsis poenitentia relaxamus.

§ 12. Hoc autem concedimus sine praejudicio sanctae consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum beatae Mariae virginis in Choro dici consueverat, ita

ut in praedictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis et sancta consuetudo celebrandi more solito praedictum Officium. Ceterum, ut praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque et Apostolica auctoritate decernimus, quod post hujusmodi publicationem, qui in Romana Curia sunt praesentes, statim lapso mense; reliqui vero qui intra montes, tribus; et qui ultra ubique locorum degunt, sex mensibus excursis, vel cum primum venalium hujus Breviarii voluminum facultatem habuerint, ad precandum et psallendum juxta illius ritum, tam in Choro, quam extra illum, maneant obligati. Ipsarum autem litterarum exempla manu Notarii publici, et sigillo alicujus Praelati Ecclesiastici, aut illius curia obsignata, vel etiam ipsis voluminibus absque praedicto, vel alio quopiam adminiculo Romae impressa, eamdem ubique locorum fidem faciant, quam ipsae praesentes, si essent exhibitae vel ostensae. Sed ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe, sine nostra, vel specialis ad id Commissarii Apostolici, in singulis Christianis orbis regnis et provinciis deputandi, expressa licentia imprimatur, proponatur, vel recipiatur. Quoscumque vero, qui illud secus impresserint, proposuerint, vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ablationis, abolitionis, permissionis, revocationis, jussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXVIII septimo Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

ARTICULUS IV.

DE BULLIS CLEMENTIS VIII ET URBANI VIII, ADJECTIS QUIBUSDAM DECRETIS, CIRCA HAS BULLAS EDITIS.

Legenti Bullas Clementis VIII et Urbani VIII, duo, quae supra fuerunt exposita et probata, praesertim affulgent.

Nimirum *a)* quanta cum sollicitudine adlaboravit Ecclesia ut omnia, quae ad divinum cultum pertinent, rite constituerentur et *b)* quantum invigilat et curat, ut, rejecto contrario usu, ea quae ipsa instituit, semper pura integraque custodiantur et serventur, atque restituantur, si exoleverint, et reformentur, si depravata fuerint. *Cf. dicta de institutione S. R. C.* Quae Bullae procul dubio non sine fructu a Clericis et Sacerdotibus leguntur et perpenduntur. Quare earum textus hic exhibetur, proposita brevi summa seu Indice, subjectis insuper paucis adnotationibus et S. R. C. Decretis.

Bulla Clementis VIII, *Ad perpetuam rei memoriam*, quae incipit: *Cum in ecclesia*, data *10 Maii 1602.*

Summa. Deus semper et ubique uno et eodem orandi et psallendi ordine laudandus et invocandus [1]. § 1. Quae ad hunc finem praestitit S. Pius V. — § 2. Breviarium, a dicto S. Pontifice editum, fuit depravatum tam incuria typographorum, quam audacia aliorum. — § 3. Menda et abusus corriguntur, opera virorum peritorum, et quidem cum emolumento non mediocri. — Illi viri recensentur cum Merati. — §§ 4. 5 et 6, adhibentur cautelae ut usus Breviarii, ita correcti, in omnibus christiani Orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur. — Poenae in typographos praesumentes contra hic statuta facere. — Interdicuntur Breviaria sine licentia impressa. — Forma approbationis et poenae contra Inquisitores et Ordinarios qui, in approbandis Breviariis, a tradita regula declinaverint. — S. R. C. urget Bullae observantiam. — § 7. Aliquid indulgetur favore pauperum Clericorum etc. — § 8. Clausula contrariorum derogatoria.

Textus. Cum in Ecclesia Catholica a Christo Domino nostro sub uno capite, ejus in terris Vicario, instituta, unio et earum rerum quae ad Dei gloriam, et debitum Ecclesiasticarum personarum officium spectant, conformatio semper servanda sit, tum praecipue illa communio uni Deo, una et eadem formula preces adhibendi, quae Romano Breviario continetur, perpetuo retinenda est, ut Deus in Ecclesia per universum orbem diffusa, uno et eodem orandi et psallendi ordine a Christi fidelibus semper laudetur, et invocetur.

§ 1. Quamobrem ex decreto sacri Concilii Tridentini fel. rec. Pius Papa V, praedecessor noster pie ac sapienter admodum varietatem illam Breviariorum, quae in singulis Ecclesiis fere diversa habebantur, nonnullis tantum exceptis, sustulit, ac ipsum Breviarium restituit, et Romae

1) Hic eadem, quam in Magno Bullario, servatur partitio paragraphorum.

accuratissime imprimi et promulgari curavit: quod ut integrum, inviolatumque ab omnibus haberetur, debita provisione adhibita, inter alia statuit, ne ullo umquam tempore totum, vel ex parte mutaretur, aut illi aliquid adderetur, vel omnino detraheretur, sub poenis in ejusdem constitutione contentis.

§ 2. Cum vero progressu temporis, Typographorum negligentia et incuria, et nimia aliorum etiam, ea quae ad ipsos non pertinent, temere sibi assumentium, audacia ac licentia, multi errores in illud irrepserint; ac tum in sacra Scriptura, et Lectionibus Patrum, tum in vitis Sanctorum, et Rubricis, aliisque locis, sine nostra et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum auctoritate, pro cujusque arbitrio pleraque addita et immutata fuerint, ita ut nulla jam reperiantur Breviaria, quae a prima editione ejusdem Pii in multis non discrepent atque dissentiant, et aliqua recognitione indigeant:

§ 3. Nos qui pro Pastorali nostra sollicitudine in eam curam praecipue incumbimus ut ea, quae a praedecessoribus nostris sancte ac pie instituta sunt, perpetuo integra et inviolata conserventur, quae vero hominum culpa immutata sunt atque corrupta, et quae recognitionem exigunt, in pristinum statum restituantur, et reformentur: mandavimus nonnullis piis et eruditis viris [1], quorum consultatione et opera in hujusmodi rebus frequenter utimur, ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent, atque examinarent, et ea quae depravata esse, et recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina et pietate restituerent. Quod cum ab iis exacte, ac profecto non mediocri

1) En illorum virorum indicem, ex Merati *Sect. 2, cap. 3* desumptum:

Caesar Baronius, Sylvius Antonianus, Robertus Bellarminus, } S. R. E. Card.

Ludovicus de Tores, Archiepiscopus Montis Regalis, postea Cardinalis.

Joannes Baptista Bandinus, Canonicus S. Petri de Urbe Secretarius.

Michael Ghislerius, Congregationis nostrae Clericorum Regularium.

Bartholomaeus Gavantus, Mediolanensis Clericorum Regular. S. Pauli, hujusce Thesauri Sacrorum Rituum commendatissimus Auctor.

cum emolumento praestitum sit, ita ut ex superiori illo incommodo per occasionem non parum utilitatis provenerit, Nos illud in nostra Typographia Vaticana quam emendatissime imprimi, ac divulgari jussimus.

§ 4. Ut autem illius usus in omnibus Christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Breviarium in alma Urbe nostra in eadem Typographia tantum, et non alibi imprimi posse decernimus; extra Urbem vero juxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum haereticae pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint Ordinariorum locorum licentia.

§ 5. Alioquin si absque hujusmodi licentia dictum Breviarium sub quacumque forma de cetero ipsi imprimere, aut Bibliopolae vendere praesumpserint, Typographi et Bibliopolae extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes excommunicationis latae sententiae, a qua, nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum et typorum omnium Camerae praedictae applicandorum poenas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso. Et nihilominus eorumdem Breviariorum per eos de cetero absque hujusmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum usum ubique locorum et gentium sub eisdem poenis perpetuo interdicimus, et prohibemus.

§ 6. Ipsi autem inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipsis Typographis imprimenda et postquam impressa fuerint, cum hoc Breviario auctoritate nostra recognito et nunc impresso diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur; cujus licentiae copia initio vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur: quod si secus fecerint, Inquisitores videlicet privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Antistes vero et Ordinarii locorum suspensionis a divinis, ac interdicti

ab ingressu Ecclesiae; eorum vero Vicarii privationis similiter officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac praeterea excommunicationis absque alia declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso. Ceterum, etc.

Rubricas et Bullas, de Breviario Romano editas, praescriptioni seu usibus contrariis resistere, satis constat ex supra dictis. Idipsum confirmatur ex multis S. R. C. Decretis, quorum nonnulla huc adducuntur ad tollendum omne, quod alicui forte maneret, dubium.

DECRETUM GENERALE, *12 Augusti 1691.*

„Cum in dies nonnulla Sanctorum Officia sub praetextu, quod a S. R. C. concessa fuerint cum Lectionibus, et Orationibus propriis, et aliquando etiam cum Hymnis, Responsoriis, et Antiphonis, et passim sub majori forsan ritu per universalem Ecclesiam, aut loca particularia recitanda, impressa conspiciantur, quamvis S. C. aut ea non concesserit, aut in aliquibus tantum peculiaribus locis, non autem in universa Ecclesia ea recitari posse indulserit:

Eadem S. C. hujusmodi attentatis provincia sollicitudine consulere volens, mandavit: „Ut dictae Officiorum concessiones, Lectiones, Orationes, Antiphonae, et Responsoria respective, aliaque hujusmodi imposterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur. Inhibendo omnibus Impressoribus, seu Typographis tam in Urbe, quam extra ubivis locorum, dicta Officia imprimi sub quovis praetextu, causa, et quaesito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si inibi fuerint, sin minus a Locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Originale sumptum Sacrae ejusdem Congregationis, vel exemplar Typographi Cameralis, authenticum manu Secretarii ipsius Sac. Congregationis firmatum, et Sigillo obsignatum ipsis exhibeatur. Quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque ei additum, sive detractum in eo imprimi debeat. Et si quae ausu temerario contra praesentis Decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra poenas ab eadem S. C. infligendas, omni prorsus fide carere voluit, et declaravit. Mandans propterea omnibus, et singulis praedictis haereticae pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque

Dioecesi, vel Provincia sedulo pervigilent, ne quidquam contra superius disposita fiat, vel attentetur."

Deinde jubet S. C. ut praesens Decretum imprimatur atque sub poenis ... promulgetur. Approbatio Innocentii P. XII, cum praecepto executionis data fuit, die 19 Oct. ejusdem anni. Alia Decreta vid. ad finem § 4 sequentis Bullae Urbani VIII.

§ 7. Ceterum pauperum Clericorum, et aliarum personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Breviaria hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus et indulgemus.

§ 8. Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis hactenus per Nos, seu Romanos Pontifices praedecessores nostros Breviarium praedictum Pii V imprimendi concessis, quae per praesentes expresse revocamus, et revocata esse volumus, necnon constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, generalibus et specialibus, in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium nostrarum litterarum exemplaribus etiam in ipsis Breviariis impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 10 Maii 1602. Pontificatus nostri anno 11.

Bulla Urbani VIII, *Ad perpetuam rei memoriam,* quae incipit, *Divinam psalmodiam,* data 25 *Januarii 1631.*

Summa. § 1. Rationes ob quas Summi Pontifices Pius V et Clemens VIII tantum curarunt de uniformi et correcto Breviario edendo, et ob quas ipse Urbanus VIII de eadem re perficienda cogitat. — § 2. Peritos viros adhibet. — Hi recensentur, cum Merati. — Emendata, innovata aut suppleta in Hymnis, in Psalmis et Canticis, in Sermonibus et Homiliis, in Sanctorum Historiis, ac tandem in nonnullis Rubricis. — Quam fidem merentur Facta historica, in Breviario Romano correcto relata. — §§ 3 et 4

de eadem re agunt et iisdem fere verbis, quam §§ 4. 5 et 6 Bullae Clementis VIII, supra relatae — S. R. C. mandat servari traditam approbationis formam hujusque supplendae, quoad praeteritum, suppeditat modum. — § 5. Sub iisdem poenis et prohibitionibus comprehenduntur ea omnia quae a Breviario Romano ortum habent; cujusmodi sunt Missalia, Diurna etc. — § 6. Injungitur Nuntiis circa hanc rem diligenter invigilare. — § 7. Clausula contrariorum derogatoria.

Textus. § 1. **Divinam psalmodiam sponsae, consolantis in hoc exilio absentiam suam a sponso coelesti, decet esse non habentem rugam neque maculam; quippe cum sit ejus Hymnodiae filia, quae canitur assidue ante Sedem Dei et Agni, ut illi similior prodeat, nihil, quantum fieri potest, praeferre debet, quod psallentium animos, Deo ac divinis rebus, ut convenit, attentos, avocare alio ac distrahere possit: qualia sunt, quae interdum in sententiis aut verbis occurrant non tam apte concinneque disposita, ut tantum tantique obsequii ac ministerii opus exigeret. Quae causam quondam impulere summos Pontifices Praedecessores nostros felicis memoriae Pium hujusce nominis Quintum, ut Breviarium Romanum incertis per eam aetatem legibus vagum, certa stataque orandi methodo inligaret; et Clementem VIII ut illud ipsum lapsu temporis, ac Typographorum incuria depravatum, decori pristino restitueret. Nos quoque in eamdem cogitationem traxere et sollicitudo nostra erga res sacras, quas primam et optimam partem muneris nostri censemus, et piorum doctorumque virorum judicia et vota, conquerentium in eo contineri non pauca, quae sive a primo nitore institutionis excidissent, sive incohata potius, quam perfecta forent ab aliis, certe a Nobis supremam imponi manum desiderarent.**

§ 2. Nos itaque huic rei sedulam operam navavimus, et jussu nostro aliquot eruditi et sapientes viri [1] suam serio curam contulerunt: quorum diligentia studioque perfectum opus est, quod gratum omnibus, Deoque et sanctae Ecclesiae honorificum fore speramus. Siquidem in eo Hymni (paucis exceptis) qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam rhythmo constant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione ad carminis et Latinitatis

1) Sequuntur dictorum virorum nomina: Aloysius Cajetanus S. R. E. Card. Praeses.

Tegrimus Tegrimius Episcop. Assisiensis Sacrae Rituum Congregationis Secretarius.

leges, ubi fieri potuit, revocati: ubi vero non potuit, de integro conditi sunt, eadem tamen, quoad licuit, servata sententia. Restituta in Psalmis et Canticis interpunctio editionis vulgatae, et canentium commoditati, ob quam eadem interpunctio mutata interdum fuerat, additis asteriscis consultum, Patrum Sermones et Homiliae collatae cum pluribus impressis editionibus, et veteribus manuscriptis, ita multa suppleta, multa emendata atque correcta. Sanctorum Historiae ex priscis et probatis auctoribus recognitae: Rubricae, detractis nonnullis, quibusdam adjectis, clarius et commodius explicatae. Denique omnia magno, et longo labore diligenter accurateque ita disposita et expolita, ut quod erat in votis, ad optatum exitum perductum sit. Cum igitur, etc.

Fortunatus Scacchus, Apost. Sacrarii Praefectus.
Nicolaus Ricardus, S. Palatii Magister, et S. R. C. Consultor.
Hieronymus Lannius, utriusque Signaturae Referendarius.
Hilarion Rancatus Mediol. Abbas S. Crucis in Hierusalem, Sacrae Inquisitionis Consultor et qualificator, et S. R. C. Consultor.
Jacobus Vulponius, Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii.
Bartholomaeus Gavantus, S. R. C. Consultor.
Terentius Alciatus Mediol. Societatis Jesu, Sac. Rit. Cong. Consultor.
Lucas Wadingus, Ordinis Minorum Historicus, S. Officii qualificator, et Sacrae Congreg. Indicis librorum.

Apud Merati, sect. II, cap. 3.

De Lectionibus secundi Nocturni, seu historiis Sanctorum reformatis, sequentia hic notanda sunt cum Gavanto, *sect. V, cap. 12, n. 16,* et De Azevedo ex Bened. XIV, *l. IV, part. II, cap. 13, n. 6 et sq.* Gavantus *l. c.* haec scribit: „Quas nunc habemus secundas Lectiones ex Historiis Sanctorum, eae fuerunt a Card. Bellarmino, et Baronio recognitae, et approbatae sub Clemente VIII, qui rejecerunt ea omnia; quae jure merito revocari poterant in dubium. Qua in re perdifficile visum est illis ad Historiae veritatem bona fide restituere SS. Lectiones, idque minima, qua fieri potuit, mutatione; imo, quae controversa erant, alicujus tamen gravis Auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo, quo erant, quo falsitatis argui non possent: quamvis fortasse altera sententia sit a pluribus recepta. Porro in enumerandis Romanorum Pontificum annis a Card. Baronio non discesserunt, qui omnium

exactissimus in hac re habetur. In ordinationibus eorumdem secuti sunt librum, Pontificale inscriptum, quod nomine Damasi circumfertur: cum aliunde nihil certi haberi queat. Textus item Sanctorum Patrum collati sunt proxime cum Auctorum libris, et MS. et melioris notae impressis; ita ut in hoc genere emendatius nihil edi posse videatur."

De Azevedo sequentia tradit ex Benedicto XIV, *l. c.*: „Quod autem Romanum Breviarium correctum spectat, Grancolas cit. censet, nonnullas lectiones emendandas, aliaque immutanda esse. Verum Gavantus testatur, perdifficile cardinalibus Baronio, et Bellarmino visum fuisse in correctione secundarum lectionum, in quibus sanctorum historiae referuntur, omnia ad historiae veritatem revocare. Hinc nonnulli apud Honoratum a S. Maria ansam arripuerunt asserendi, Breviarium fabulis esse refertum, ejusque auctoritatem in factis historicis esse spernendam: alii contra, impium, et quasi haereticum esse dicunt, iis, quae in Breviario referuntur, refragari.

Inter haec tuto asseri posse videtur, facta historica in Breviario Romano relata, et approbata non modicam obtinere auctoritatem; non autem vetitum esse, ne modeste, et cum gravi fundamento difficultates de iis excitentur, et Sedis Apostolicae judicio subjiciantur." Cf. quae hac de re traduntur in Conferentiis Eccl. Dioecesanis, mensis *Julii 1855, pag. 489 et sqq.*, ubi scite et erudite disputatur de lapsu Papae S. Marcellini.

§ 3. Cum igitur tanta tamque exacta doctorum hominum industria, ne plane in irritum recidat, requirat Typographorum fidem, mandavimus dilecto filio Andreae Brogiotto, Typographiae nostrae Apostolicae Praefecto, procurationem hujus Breviarii in lucem primo edendi, quod exemplar, qui posthac Romanum Breviarium impresserint, sequi omnes teneantur. Extra Urbem vero nemini licere volumus idem Breviarium in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si quidem inibi fuerint; si minus, a locorum Ordinariis.

§ 4. Quod si quis quacumque forma contra praescriptam, Breviarium Romanum aut Typographus impresserit, aut impressum Bibliopola vendiderit, extra ditionem nostram Ecclesiasticam excommunicationis latae sententiae poenae subjaceat, a qua, nisi a Romano Pontifice (praeter-

quam in mortis articulo constitutus), absolvi nequeat; in alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium eidem Camerae applicandorum poenas, absque alia declaratione irremissibiliter incurrant, et nihilominus Breviaria sine praedicta facultate impressa, aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur. Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Breviarium tam ante, quam post impressionem cum hoc ipso exemplari auctoritate nostra vulgato, diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint. In ipsa autem facultate, cujus exemplum in fine aut initio cujusque Breviarii impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolutae hujusmodi collationis, repertaeque inter utrumque Breviarium conformitatis, sub poena, Inquisitoribus, privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae; eorum vero Vicariis, privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendae.

Si quis dubitet, an hic constituta in suo robore perseverent, non obstantibus rationibus aut praetextibus qui in contrarium communiter allegantur aut excogitari possunt, perlegat S. R. C. decreta quae sequuntur. Dubium sane deponet et praeterea in decreto 26 Aprilis 1834, reperiet modum supplendi approbationem omissam.

NAMURCEN. n. 4552.

„Hodiernus Secretarius Reverendissimi Namurcen. Episcopi Sacrorum Rituum Congregationi sequens proposuit dubium pro opportuna solutione, nimirum: In variis regionibus, ac praesertim in Gallia, Missalia, et Breviaria, ac etiam Libri Liturgici imprimuntur absque licentia seu Ordinarii approbatione, quam praeter Concilium Tridentinum, omnino requirunt Constitutiones Clementis Papae VIII atque Urbani Papae itidem VIII. Supponitur quod in Gallia, aliisque hujusmodi regionibus Decretum Concilii Tridentini, librorum approbationem requirens, et praefatae Constitutiones Apostolicae usu non sint receptae, vel per usum contrarium vim obligationis amiserint. Hinc quaeritur an

hujusmodi Libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere, iisque uti in Belgio, aliisque Regionibus, ubi Decretum Concilii Tridentini, et supra memoratae Constitutiones Apostolicae communiter servantur. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis ad Vaticanas Aedes hodierna die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit: *Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis:* Die 16 Martii 1833.

DECRETUM GENERALE, n. 4581.

„Quum ab Anno 1788, ad hanc usque diem Breviaria, Horae-Diurnae, Missalia, Officia-Parva Beatissimae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae Majoris, Ritualia, aliaque id generis, quae denuo praelo mandantur, non amplius prae se ferant Reverendissimorum Ordinariorum Attestationes, queis declaretur haec Exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII. Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum fuit declarari „utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae, et an Transgressores poenas inibi inflictas incurrerent?“ Praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex Liturgicorum Librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce Attestationibus muniti, proptereaque demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum Librorum usum sibi permitti valeret. Et Sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub die 7 Aprilis anno 1832 coadunata, audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit, ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.* Hujusmodi Declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen instituerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, qui inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera

Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16 Martii 1833 coacta, Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re judicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas Aedes juxta morem Eadem Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertio audita relatione ab me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit: *Detur Generale decretum juxta Mentem.* Mens est, ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici Libri sine Attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta, et quoad illos, qui hujusmodi Attestatione destituuntur et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatae Personae Ecclesiasticae subjiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 Typis Contedini, ac Missali anno 1826 praelo De-Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare, illiusque revisioni subjicere, et Attestatione ejusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 26 Apr. 1834.*" Eadem S. C. ad dubia hujus generis rescripsit, *die 18 Febr. 1843, n. 4811: Servetur Generale Decretum diei 26 Apr. 1834.*

§ 5. Sub iisdem etiam prohibitionibus et poenis comprehendi intendimus et volumus ea omnia, quae a Breviario Romano ortum habent, sive ex parte, sive in totum; cujusmodi sunt Missalia, Diurna, Officia parva beatae Virginis, Officia majoris Hebdomadae, et id genus alia; quae deinceps non imprimantur, nisi praevia illorum et cujuslibet ipsorum, in dicta Typographia per eumdem Andream impressione, ut omnino cum Breviario, de mandato nostro edito, concordent.

§ 6. Injungimus autem Nuntiis nostris ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque

ad praescriptum hujus voluntatis nostrae confici curent. Nolumus tamen his litteris Breviaria, et alia praedicta, quae impressa sunt hactenus, prohiberi, sed indemnitati omnium consulentes, tam Typographis et Bibliopolis vendere, quam Ecclesiis, Clericis, aliisque retinere, atque iis uti, Apostolica benignitate permittimus et indulgemus.

§ 7. Non obstantibus licentiis, indultis et privilegiis Breviaria imprimendi quibuscumque Typographis per Nos seu Romanos Pontifices praedecessores nostros hucusque concessis, quae per praesentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus et ordinationibus generalibus et specialibus in contrarium praemissorum quomodocumque editis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum nostrarum exemplaribus, etiam in ipsis Breviariis impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 Jan. 1631. Pontificatus nostri anno octavo.

ARTICULUS V.

DE FESTIS ET OFFICIIS AD QUAE CLERICUS AUT RELIGIOSUS TENETUR.

1. Principium generale: unicuique servandum est Breviarium et Calendarium Romanum, cum proprio sui loci, suae Ecclesiae, sui Ordinis. — 2. Festa quae sunt juxta Rubricas Breviarii Romani. — 3. Peculiaria Officia sunt *localia* vel *personalia*. — 4. Inde triplex regula: I. Ad officia loci tenentur omnes ad Horas canonicas obligati, qui sunt illius loci Incolae, ibique versantur. — 5. II. Ad propria Ecclesiae Officia tenetur Clerus eidem strictim adscriptus, quocumque loco reperiatur. — 6. III. Regularis ad proprium Ordinis Breviarium adstringitur, quoad manet suae Regulae subjectus. Non autem si fiat Episcopus. — Nonnulla S. R. C. Decreta de hac re edita. — 7. Causae mutandi Officium. — 8. Officium omissum non est alia die repetendum.

Praenotandum 1° hic agi de illis qui addicti sunt Ritui Romano — et 2° hic tradi tantummodo generales regulas:

locis enim propriis magis in specie exponetur, quae officia recitanda sunt cuique, ad Horas canonicas obligato.

1. *Principium generale* facile colligitur ex dictis de Calendario et Breviario Romano, illudque sic exprimi potest: Unicuique servandum est Calendarium et Breviarium Romanum, cum proprio sui Loci, suae Ecclesiae, sui Ordinis. Vel idem paulo latius potest exprimi seu describi, ut sequitur: Unicuique servandum est Calendarium et Breviarium, adjectis propriis Festis et Officiis, illis nimirum quae jubentur per Rubricas dicti Breviarii, aut sunt alicubi legitima consuetudine introducta, aut a S. Sede alicui Clero aut Ecclesiae concessa. *Vid. dicta n. 6 et 7, de Calendario.*

Dicitur: *propriis Festis et Officiis,* quia si desit Officium proprium, nihilominus celebrandum est Festum, quod est juxta Rubricas. Sed in casu, officium dicitur de communi, ut disponit Tit. I, rub. I.

Cum hic agatur de Festo *quoad chorum* [1], illudque cum Officio confundi possit in praesenti quaestione, brevitatis causa hic non nominabitur nisi Officium, quo intelligetur etiam Festum.

2. Ad Officia quae sunt juxta Rubricas Breviarii Romani, aut per easdem praecepta, referuntur sequentia: Officia Patronorum locorum, Patronorum seu Titulorum Ecclesiarum, necnon earumdem Dedicationis, et quae celebrantur ratione Reliquiarum. Ad quae aliquatenus etiam reduci possunt illa quae juxta *Tit. I, rub. 1* solemniter celebrari consueverunt, in aliquo Loco aut Ecclesia.

3. Dictorum peculiarium Officiorum alia ad locum, alia ad Ecclesiam, alia ad Ordinem seu Congregationem spectant. Quae locum respiciunt, *localia,* quae vero sunt propria Ecclesiae vel Ordini, *personalia* dici possunt. Nam illa terminantur ad locum; haec autem personas Ecclesiae addictas aut in Ordine professas ita afficiunt, ut eas ubique obligent.

Locum respiciunt officia Patronorum locorum et ea quae conceduntur Clero alicujus loci. Ad Ecclesiam tantum

1) Festum considerari potest sub duplici respectu, nempe, ut dicunt, quoad *Chorum* et quoad *Forum.* Festum *in Choro* dicitur quod cum Officio celebratur; Festum autem *in Foro* est illud quod servandum est, vacando ab operibus servilibus et audiendo Sacrum. Vocatur etiam Festum de praecepto in populo, ut in Resp. S. R. C. *22 Aug. 1744, n. 4011, 2.* Dantur Festa *in Choro tantum,* ut sunt pleraque; et dantur *in Choro simul et in Foro.*

pertinent Officia Dedicationis Ecclesiae ejusque Titularis (Titularis tamen Ecclesiae Cathedralis magis patet), et ea quae recitantur ratione reliquiarum aut particularis Indulti Alicui Ecclesiae concessi. — Ad Ordinem spectant quae non alicui loco aut Ecclesiae, sed Clero talis Ordinis aut Congregationis conceduntur.

4. Ad dignoscendum in specie qui teneantur ad dicta Officia Loci, Ecclesiae aut Ordinis seu Congregationis, attendenda sunt principia quae exponuntur de subditis legum [1]. Leges enim de Officio divino recitando sequuntur principia aliarum legum, nisi in contrarium existat peculiaris ratio aut legislatoris dispositio. Unde sint tres sequentes regulae:

I. Ad officia loci [2] tenentur omnes ad Horas canonicas obligati, qui sunt illius loci Incolae, ibique versantur. *Cf. S. R. C. 17 Martii 1663, n. 2060, 15 Sept. 1742, n. 3982.*

Ejusdem loci Incolae. Nomine Incolarum loci veniunt qui ibi Domicilium habent, imo, juxta sententiam communem, qui habent tantummodo quasi Domicilium. *Cf. S. Lig. n. 156 de Legibus.* Non autem intelliguntur qui hoc carent, quales sunt peregrini et vagi. *Vid. S. R. C. 12 Nov. 1831, citand. ad II.*

Ibique versantur. Sicuti absentes non tenentur ad Leges patriae [3], ita nec clerici ad Officium loci, seu patriae, a qua ita absunt, ut dici possint extra eam morari. Sed in casu relicto proprii loci Officio, simplices Sacerdotes conformari *possunt* Officio loci, ubi morantur. S. R. C. *12 Nov. cit.*

Ad hoc autem ut quis eximatur ab obligatione recitandi proprii loci Officia et possit conformari Officio loci ubi reperitur, sufficere non videtur, ut extra patriam per breve tempus versetur, prout, ex sententia communi, satis est pro aliis legibus. Et ratio discriminis est ipsa perturbatio in divino officio oritura [4] ex mutatione ad breve tempus. Con-

1) Cf. Cav. *tom. 2, dec. 361, n. 13 sqq.*

2) Locus hic intelligitur de Pago, Civitate, Dioecesi et Regno.

3) *Cf. S. Lig. l. c. n. 157 et Reiffenst. lib. I, Decr. Tit. II, n. 255.*

4) Nam, inquit Cav. *tom. 2, dec. 359, n. 4,* non semel, quis de eodem Sancto bis recitaret, et quandoque de eodem etiam per duas sequentes dies et de altero nullatenus, quoniam qui absens fuit, et aliter recitavit, statim ac choro constituitur praesens, hujus currenti officio opus est se conformet. Et, *dec. 361, n. 15,* eadem dicit de Clericis, nulli Ecclesiae addictis, qui per paucos dies extra Dioecesim hospitantur. Hos enim adstringit, per dictos dies, ad morem suae Ecclesiae seu Dioecesis. Et

firmatur ex Rescripto S. R. C. *12 Nov. 1831*, juxta quod non sufficit, prout in dubio fuerat expositum, ut quis in loco *versetur* quacumque ex causa, sed requiritur, ut ibi *moretur*. Ad hoc tamen non videtur necessaria habitatio per majorem anni partem. Quod autem tempus requiratur et sufficiat, ut quis dici possit morari in aliquo loco, non est definitum, et proinde dicendum est hoc relinqui aestimationi morali. In dubio tutius et magis consultum erit sequi proprii Officii Ordinem, tum quia hoc semper fieri potest, tum quia hoc modo vitabitur perturbatio Officiorum. Propter eamdem perturbationem vitandam, illi, qui in aliquo loco extra patriam moratur, liberum non videtur nunc Officium illius loci, nunc vero Officium patriae recitare.

Conditioni requirenti, ut quis non tantum reperiatur, sed moretur in loco, obstare videtur S. R. C. Resp. *5 Martii 1643, n. 1290*. Quaesitum fuit: An Episcopus quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione, seu alia de causa, possit licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma Rubricarum, seu ex concessione S. C., et quod sint Patroni, seu Titulares in eisdem Oppidis recitatur, et sic praecepto de recitando Officio satisfaciat? Et S. C. respondit: *posse et satisfacere. Die 14 Martii 1643.*

Observandum tamen est hic agi de casu particulari personae privilegiatae et de officiis quae forte supponuntur solemniter celebrari; et insuper agi non de toto Ordine officii sed de nonnullis tantum officiis.

5. II. Ad propria Ecclesiae Officia tenetur Clerus eidem strictim adscriptus, quocumque loco reperiatur [1]. Hujusmodi enim Officia sunt potius personalia quam localia. Personas siquidem obligant non quatenus sunt talis loci, sed qua-

n. 17, de iis, qui per annos peregrinationem suscipiunt, resolvit quod, in Officio divino, locis, ad quae divertunt, se conformare plus aequo incerta, ac inconstans divini officii ratio foret, nimisque ambagibus, atque incommodis ex multiplici officiorum occursu, concursu, repetitione, et omissione obnoxia; quare sequantur Calendarium suae Ecclesiae vel utantur Cajetani sententia putantis licitum esse, Calendario Breviarii Romani se conformare, si sunt saeculares, et Breviarii propriae Religionis, si Regulares, servatis tamen respectivis Rubricis juxta anni contingentiam ob festa mobilia. Improbabile forsitan nec est, quod Regulares uti queant privilegio Innocentii IV, de quo in Decr. 8, et certum est, si chorum adeant.

1) Vide tamen dubium propositum, *ad finem hujus n. 5.*

tenus Ecclesiae sunt adscriptae. Sunt igitur Officia personarum addictarum Ecclesiae.

Pluries S. R. C. respondit juxta hanc duplicem regulam, ut v. g. *die 12 Nov. 1831, in Marsarum n. 4520, ad dubium 50,* quod sic sonat: Quando quis causa itineris, vel studii, vel aliis de causis, extra patriam, sive dioecesim versatur, debetne recitare Officium sui capituli, ecclesiae et beneficii, vel etiam simpliciter dioecesis, an vero Officium illius loci in quo reperitur?

Resp.: *Beneficiarii semper tenentur ad Officium propriae Ecclesiae, simplices vero sacerdotes conformari possunt Officio Loci ubi morantur. Cf. Resp. 23 Martii 1835, n. 4593, 1, 7 Dec. 1844, n. 4839, 1, et 22 Jul. 1848, n. 4964, 1 et 2.*

Strictim adscripti. Non enim sufficit ad recitanda haec officia, ut sacerdos censeatur adscriptus ideo quod Missas in Ecclesia celebrat, confessiones excipit, aut aliud sacrum ministerium sine vera adscriptione exercet. Cf. S. R. C. dec. *cit. 23 Martii 1835, 7 Dec. 1844.*

Variis autem modis quis proprie seu strictim alicui Ecclesiae adscribitur, videlicet:

1° Ratione *Beneficii,* licet tenuis, quod in aliqua Ecclesia obtinet. *S. R. C. 16 Maii 1744 (4007) 1. Cf. Cav. tom. I, dec. 26, n. 22.*

2° Ratione *habitationis* in Conventu Ecclesiae, ut fit respectu Regularium. Cav. l. c. — Item, juxta Rescriptum S. R. C. *27 Febr. 1847 in Ruremonden. n. 4926, ad 2,* in Seminario quod adnexam habet Ecclesiam. Hoc accidit respectu Professorum atque Alumnorum Seminarii.

3° Ratione *Chori* (Cav. ibidem), *curae spiritualis* vel *stricti servitii* cui quis, non quidem sua sponte, sed a legitima auctoritate, est addictus, ut v. g., Parochus et Vice-Parochus.

Ratione chori. „Sufficit autem quaelibet obligatio et ex quocumque capite derivet, et durat obligatio ad officia chori, quamdiu durat obligatio ad chorum; quare qui supplet defectum alicujus Residentis aegroti, vel absentis, etsi recitare possit et debeat, prout in choro, cui censetur obstrictus ratione obligationis praedicti Residentis, quam in se suscepit, illico ac desinit supplere vices ejusdem, debet ad proprium Breviarium, et Calendarium transire.“ Cav. *tom. 2, dec. 361, n. 3.*

Ratione curae spiritualis. Qualem habent Parochi etiam amovibiles. „Parochorum nomine, ait Cav. *tom. 1, dec. 26,*

n. 16, ad effectum recitandi de Titulari propriae Ecclesiae, et etiam aliarum eidem unitarum, veniunt nedum illi, quorum Parochia beneficium est, sed etiam favorabili appellatione, qui Parochi mercenarii sunt, amovibiles, ac ad tempus conducti: pro eo enim tempore sunt vere dictarum Ecclesiarum Rectores, ac illis earumdem cura commissa est, perinde ac si eam in Beneficium possiderent, quapropter ejusdem, ac Ecclesiarum unitarum primaria festa peragere debent."

Et, a n. 19 ad 23, disputat de illis sacerdotibus, qui, apud nos, *Vicarii* et *Vicarii-Coadjutores* nuncupantur, quique a legitimo Superiore deputantur in subsidium Parochorum aut in partem curae. De his vicariis vid. *Conf. Eccl. Dioec. Resp. Maii 1855, pag. 435 et sqq.*

Cujusmodi Vicarii, ut ibi dicitur, pro variarum regionum more, vocari solent Vice-Curati, Vice-Parochi, etc. Quidquid igitur sit de disputatis a Cavalieri *l. c.*, ad probandum dictos vicarios non teneri, *ratione curae spiritualis*, ad Officia Titularis Ecclesiae et ejus Dedicationis, ad haec Officia obligantur alia ratione, nempe stricti servitii, *qua Vice-Parochi*. Hos siquidem ad ea Officia obstringi declaravit S. R. C. *7 Dec. 1844 cit.*

Ratione stricti servitii. Clerici qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt Ecclesiae Cathedrali, in qua asservatur insignis Reliquia, possunt et debent recitare de tali Reliquia. S. R. C. *20 Novemb. 1677, n. 2692* [1].

Conformia ad hoc Decretum scribit Cavalieri *tom. 2, dec. 361, n. 3* cit. „Clerici illi, ait, qui aut vi Tridentini, aut Conciliorum Provincialium, vel Dioecesanorum, aut ab Episcopis servitio alicujus Ecclesiae, et ejusdem choro pro diebus festivis addicuntur, recitando prout in choro, oneri horarum canonicarum satisfaciunt, nec ad recitandum aliud officium sunt adstringendi, licet officium chori sit diversum a proprio vel in choro tantummodo vesperas de alio Sancto recitarent, quas propterea juxta proprium Calendarium minime repetere tenerentur; nimis enim alias hujus praeceptum onerosum foret et incommodum contra Ecclesiae morem,

1) Quod Responsum non contradicit alteri antea dato, nempe *30 Aug. 1602, n. 21, in Salernitana, ad 1.* Hic enim *negative* responsum fuit, quia quaestio est de Officiis quae contra Rubricas recitabantur.

cujus praecepta non obligant cum gravi incommodo, et aliunde eosdem, ratione ejusdem praecepti, nomine *obligatorum choro* nihil impedit posse venire."

Sed videri potest, specietenus saltem, obstare aliud ejusdem S. Congregationis Rescriptum, illud scilicet *20 Sept. 1806 in Brixien. n. 4350, ad 16 et 17.* Ibi enim pro recitandis propriis Ecclesiae officiis, seclusa legitima consuetudine, videtur requiri, ut Clerus sit Ecclesiae adscriptus ratione vel Chori, vel Beneficii. Unde non sufficeret, ut quis sit adscriptus sola ratione servitii: quia nimirum hac sola ratione quis dici non posset *strictim Ecclesiae adscriptus.*

At videtur dicendum ibi non agi de stricto Ecclesiae servitio, sed de servitio late sumpto, ac proinde de adscriptione pariter sensu lato, ut supra, sumpta, quae non est sufficiens ratio recitandi propria Ecclesiae officia.

Caeterum praesens decretum, quatenus esset posteriori (illi scilicet *7 Dec. 1844 cit.)* contrarium, habendum esset per posterius revocatum. Nam ex dicto decreto certum est stricto servitio Ecclesiae adscriptos esse Sacerdotes, qui sunt Vice-Parochi. Quin ex eodem decreto sequitur alios etiam Sacerdotes aut Clericos posse stricto Ecclesiae servitio adscribi. Ibi enim Parochus et Vice-Parochus allegantur exempli gratia, ut eruendum est ex particula *uti,* quae adhibetur.

De hac materia late disputat Cavalerius *tom. 1, dec. 26 cit.* et *tom. 2, dec. 359 et sqq.*

Ex dictis sequitur Sacerdotem, qui duabus Ecclesiis addictus est, teneri ad Officium utriusque Titularis et Dedicationis. Hoc a S. R. C. resolutum fuit de Officio Titularis, *die 24 Sept. 1842, n. 4803.*

Ex duplici hac regula Clerus etiam Regularis dignoscere poterit quae Officia, praeter Officia Breviarii Romani et peculiaria Ordinis, ipsi sint recitanda. Ad haec namque tenebitur Sacerdos Regularis vel ratione loci ubi habitat, vel ratione Ecclesiae, cui adscriptus existit.

Regulae, initio *h. n.* expressae, obstare videri potest Rescriptum S. R. C. *12 Nov. 1831 ibi. cit.* Ideo hic quaeritur:

An revera per dictum Rescriptum obligatio dicendi, *extra patriam,* Officia propriae Ecclesiae limitetur ad *illos tantum qui ratione Beneficii sunt Ecclesiae adscripti?*

Resp.: 1° Affirmandum quidem videtur, si sola attendantur verba Rescripti.

2° Attamen potius est negandum. Namque *a)* S. C. postquam adhibuit vocem *Beneficiarii,* non usurpavit terminum dictae voci contradictorium, ut v. g. *caeteri*, aut *alii*, sed terminum qui patitur *medium,* dicendo: *Simplices sacerdotes.* Unde colligendum videtur S. C. noluisse omnes comprehendere qui in casu obligati sunt vel non ad officia Ecclesiae. — *b)* Secus ex Rescripto sequeretur eos qui Ecclesiae, alia ratione quam Beneficii v. g. ratione stricti servitii aut curae spiritualis, uti Vice-Parochi, sunt strictim adscripti, non teneri ad dicta officia, nisi quando *actu choro intersunt.* Quod repugnare videtur Rescripto *23 Martii 1835 ibidem cit.*

3° Dicendum igitur est voces, *Beneficiarii, simplices Sacerdotes*, non ita strictim sibi invicem opponi, ut omnis clerus saecularis ad unam alteramve classem necessario referendus sit. Agnoscendi vero erunt, quod dictam obligationem, Sacerdotes qui nec sint nec dicantur Beneficiarii proprie dicti, nec tamen simplices Sacerdotes: qui videlicet sint Ecclesiae adscripti ratione stricti servitii aut curae spiritualis, ut Vice-Parochi.

6. III. Ad Breviarium Ordinis tenetur Regularis vi suae Professionis. Itaque quoad manet suae regulae subjectus, non potest proprium Breviarium relinquere, ad sumendum Dioecesanum, etiamsi fuerit e coenobio, v. g. a Gubernio, ejectus et tanquam Parochus aut vicarius alicui Ecclesiae praefectus. In casu enim etiam tenetur ad Officium Ordinis, sed Missa pro populo diebus festis celebranda erit ut in Calendario Dioecesis, prout declaravit S. R. C. *23 Maii 1846, n. 4904, 5.* Quod tamen non impedit, ut patet, quominus hujusmodi Parochus teneatur ad officia loci et Ecclesiae quae jubentur a Rubricis Breviarii Romani, ut dicitur *h. art.*

Quod autem resolutum est de Regulari, qui Ecclesiae parochiali praeficitur, non est applicandum Regulari ad Episcopatum promoto. Hic enim tenetur ad Officium dioecesanum. Et disparitatis ratio in eo consistere videtur, quod Episcopus Officia Dioecesis recitat, qua addictus Ecclesiae dioecesanae, sicuti Parochus addictus Ecclesiae parochiali, hujus Officia recitat. Cf. Cav. *tom. 1, dec. 26, n. 5 et 14.*

Sequuntur nonnullae S. R. C. declarationes, ad Regulares datae, in casibus particularibus.

An regularis transiens ab uno ad alium conventum, parte anni jam transacta, sive ad tempus, sive perpetuo ibi

moraturus, durante ipso anno, debeat in recitatione privata Officii divini extra chorum, se conformare Calendario conventus a quo discessit, an potius illius in quo actualiter habitat, si propter Festa dioecesana differant multoties Calendaria, tam in Festis occurrentibus quam in translatis?

Resp.: Regulares in privata Officii recitatione extra chorum, se conformantes Calendariis conventuum in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis Horarum canonicarum. *Die 14 Maii 1803 in una Ord. Carm. Lusitaniae ad 7 (4338).*

Utrum alumnus familiae Capuccinorum iter faciens, teneatur extra chorum, ad Officium quod recitatur in choro coenobii a quo discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

Resp.: In itinere sequendum divini Officii ordinem coenobii ex quo discessit: dum pervenit, et manet in altero coenobio, etsi ad tempus, hujus ordinem Officii sequatur.

Tempore Quadragesimae, divini verbi praecones commorantes extra coenobium, tenenturne se conformare ordini divini Officii coenobii vicinioris, vel ejus ex quo decesserunt, et ad quod redire post Pascha debent?

Resp.: Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad provinciae Calendarium, sine ulla diversitate pro omnibus quolibet anno extensum.

Eodem Quadragesimae tempore, quando fit Officium feriale, cui adnexum est Officium parvum Beatae Mariae Virginis, vel psalmi graduales, aut poenitentiales: haec additionalia anticiparine possunt die praecedenti post completorium, si anticipetur divini Officii matutinum?

Resp.: Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei. *Die 31 Aug. 1839, Ordini Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ad 1. 2. 3 (4728).*

7. Quaeritur an liceat, ad recitandum officium cum sociis, in Choro aut extra Chorum, permutare suum in aliud aequivalens?

R. 1° Sententia affirmativa satis probabilis videtur Sancto Liguorio *Theol. Mor. l. 4, c. 2, n. 161, q. 3,* generatim loquendo. Cav. *tom. 2, dec. 361, n. 3,* negat pro iis qui una vel altera vice sponte intersunt choro alienae Ecclesiae; sed affirmat pro illis qui sese ultro obligarent ad chorum, aut per majorem anni partem ad propriae fovendum devotioni, Chorum aliquem frequentarent.

2° Hoc certo facere possunt et debent Capellani, sive Regulares, sive Saeculares, qui cum Episcopo Regulari Officium recitare solent. Ibi enim, uti declaravit S. R. C. *11 Jun. 1605, n. 119, 3,* debent se conformare Episcopo circa recitationem Officii. — In dubio Sacrae Cong. proposito agitur quidem de Episcopo Regulari. Sed hoc, ut patet, nihil refert: privilegium enim conceditur ratione Dignitatis Episcopalis. Cf. Cav. ad dictum Decretum *tom. 2 in ord. 363.*

8. Hic quaedam se offerunt dubia solvenda de eo qui erravit circa qualitatem Officii recitandi.

Quaeritur 1. Si quis, recitato v. g. matutino de feria, quod dicendum erat de Sancto, errorem detegit, teneturne matutinum repetere, aut de quo debet dicere horas?

Respondet Cav. *tom. 2, dec. 346, n. 22.* „Haec quaestio locum non habet in sententia obligante eum, qui erravit, ad dicendum matutinum occurrens vel saltem ad supplenda omissa. Certum namque hoc ipso redditur, quod tunc et reliquas horas debet dicere de eo, de quo officium erat faciendum. In sententia vero, quae ex praesumpta benignitate Ecclesiae a repetitione omissorum errantem probabiliter eximit, dicimus corrigi errorem debere statim ac detegitur, horasque esse recitandas de Sancto, cum praesumi rite non possit, quod Ecclesia nolit, quod corrigatur error ille, qui alias cederet in praejudicium illius Sancti, cujus officium ea die expirat, et nullum affert clero incommodum, cui aeque facile est reliquas horas continuare de feria, vel eas dicere de Sancto."

Quaeritur 2. Utrum, si in choro vel privatim omissum est, per oblivionem aut inadvertentiam, fieri Officium duplex, vel semiduplex alicujus Sancti eodem die, quo debebat secundum Rubricas, debeat illud fieri in aliquo alio die, vel ejusdem mensis, vel alterius sequentis, non impedito Officio novem lectionum?

S. R. C. respondit: *Negative. Die 17 Jun. 1673, n. 2482.* In casu autem, quod non debet, nec potest fieri. Ac proinde, caret probabilitate sententia, quae defendit hoc fieri posse, quamvis haec sententia non videatur improbabilis S. Liguorio *n. cit. q. 5.* Cf. Cav. *l. c. n. 23 sqq.,* ubi docet contrarium huic opinioni, omnino tenendum esse cum Card. de Lugo.

ARTICULUS VI.

DE ORATIONIBUS: APERI DOMINE ET SACROSANCTAE.

1. Oratio, *Aperi Domine*, non est quidem de praecepto, sed valde consulitur. — 2. Fructus Orationis, *Sacrosanctae* — conditiones. — 3. Explicatur conditio: *Post illud*. — 4. Sola infirmitatis causa indulgetur, ut dici possit, genibus non flexis.

1. De oratione, *Aperi Domine*, ante Divinum Officium dicenda, nihil venit observandum, nisi eam equidem ab Ecclesia non praecipi, sed valde consuli. 1° Quidem dici nequit esse de praecepto, quia nec in Rubricis, nec in ejusdem titulo reperitur tale praeceptum. Nam *a)* de illa nullam mentionem habent Rubricae [1], et *b)* participium, *dicenda*, quod in ejus Titulo legitur, *per se* non importat praeceptum. — 2° Eamdem vero valde consuli ab Ecclesia, hancque maxime in votis habere, ut numquam praetermittatur, satis patet. Ejus enim recitatio est praeparatio, ad rite dicendum Officium Divinum, maxime congrua, hocque nobis manifestat Ecclesia, curando, ut dicta Oratio Breviariis praefigatur.

2. De oratione, *Sacrosanctae*, quae dici solet post Divini Officii recitationem, nonnulla sunt notanda.

Quis sit fructus hujus Orationis, et quae conditiones, ad hunc fructum obtinendum, servandae sint, habetur in authentica collectione [2] Orationum et piorum Operum, quibus a SS. Pontificibus Indulgentiae fuerunt adnexae. In editione 12ma quae anno 1849 prodiit Romae apud Peregro-Salvioni, cum Decreto, quo a S. C. Indulgentiarum tanquam authentica recognoscitur, agitur de hac Oratione, *pag. 450.*

Quae ibi Italico sermone leguntur, latino ita reddi possunt: „Leo Papa X omnibus personis obligatis ad recitandum Officium Divinum, aut B. V., si *post illud, flexis genibus*, devote dixerint sequentem Orationem: *Sacrosanctae* (composita a Doctore S. Bonaventura), cum *Pater noster* et *Ave Maria*, concessit remissionem omnium defectuum, et culparum per humanam fragilitatem commissorum in eo recitando. Sicuti hujusmodi concessio non est *proprie Indulgentia,* sed potius quaedam *compensatio* aut *supplementum*

1) Cf. Rubric. general. Brev. *Tit. XIII et sqq.*

2) Quae collectio, italico sermone exarata, inscribitur *Raccolta di Orazioni* etc., jamque simpliciter nuncupatur *Raccolta.*

defectuum commissorum in recitatione Officii, ita Anno Sancto, eadem non intelligitur suspensa cum aliis Indulgentiis" [1].

3. Quaedam notanda sunt de conditionibus seu terminis illis: *post illud, flexis genibus.*

a) Post illud. Juxta Caval. *tom. 2, dec. 338, n. 8,* „semel dicta sive post quamlibet horam seorsim, sive post omnes simul persolutas, et adhuc post matutinum sequentis diei continuate recitatum, suum aeque effectum sortitur, et prodest omnibus de choro, licet ab uno solo recitetur."

Sed sufficere non videtur si *semel,* post *omnes* diei Horas seorsim persolutas, recitetur. Quamvis enim vox *Officii* non raro intelligatur de omnibus diei Horis, hic tamen ejus sensus videtur, ex adverbio *post,* restringi ad illas Horas quae immediate seu continuate fuerunt persolutae. Quidquid autem sit de probabilitate hujus sententiae, quisque videt tutius in casu omnino esse eligendum, nisi velit sese exponere periculo non percipiendi fructum dictae Orationis.

4. *b) Flexis genibus.* Quae conditio fuit confirmata, per decretum S. C. Indulgentiarum, *die 5 Martii 1855, in Melden.* Attamen Sanctitas S. Pius P. IX, in audientia 12 Julii seq., ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio *Sacrosanctae,* etc. pro lucranda Indulgentia a S. Mem. Leone P. X adnexa, seu fructu dictae orationis, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis qui legitime impediti fuerint, infirmitatis tantum causa. Datum 7 Jan. 1856. Legitur apud *Analecta Juris Pontificii, fasciculo Martii 1856.*

Absolutis quae per modum Introductionis praemittenda erant, jam exponendae sunt ipsae Rubricae Breviarii, tum generales, tum particulares.

1) En ipsa verba quae in Raccolta habentur. „Leone Papa X a tutte le persone obbligate a recitare l'Ufficio Divino, o della B. V., se duopo di esso, genuflesse e divotamente, diranno la seg. Orazione: *Sacrosanctae* (composta dal Dottore S. Bonaventura) col *Pater noster,* ed *Ave Maria,* concesse la remissione di tutti i difetti, e colpe per umana fragilita commesse nel recitarlo. Siccome tal concessione non e *propriamente Indulgenza,* ma piuttosto *un compenso o supplemento dei difetti commessi nella recita dell' Officio;* cosi nell' Anno Santo non si intende la medesima sospesa colle altre Indulgenze."

SECTIO III.

EXPOSITIO RUBRICARUM GENERALIUM BREVIARII.

TITULUS I.

DE OFFICIO DUPLICI.

Titulus I agit de Officio Duplici. Indicatur in Rubrica 1, quae Officia sint ritus Duplicis; in 2, quo die; in 3 et sqq., quomodo ea sint agenda. Cum autem textui Rubricae plura sint addenda, hinc materia ad hunc Titulum exponenda dividitur in 4 §§. In 1° quaedam praenotantur; deinde agitur in 2° de distinctione Festorum seu Officiorum quatenus sunt aliis solemniora aut aliis praeferuntur; in 3°, de Patrono aut Titulo Ecclesiae et Patronis Locorum; in 4° denique, de die et modo celebrandi Officium Duplex.

§ I. PRAENOTANDA.

1. Quando usurpata fuit vox *Rubricae*. — 2. Tituli primum erant paucissimi. — 3. *Rubricae Breviarii* ad tres partes referuntur. — 4. Rubricae autem generales Breviarii etiam in tres sectiones subdividi possunt. — 5 et 6. Indicatur ratio qua exponentur Rubricae.

1. „*Rubricae* vox usurpata fuit prius in Breviario, quam in Missali, et reperitur *in editione Veneta Breviarii ante annum 1550*, sed Pius V inscripsit omnes leges Breviarii titulo Rubricarum Generalium, quod ante non fuerat factum.

2. Paucissimi tamen erant earum Tituli, nempe undecim tantum, in prima editione jussu Pii V, hausti e Directorio Divini Officii, composito a Ludovico Ciconiolano Regularis Observantiae sub Paulo III, qui et Directorium approbavit.“ Gav. [1]

3. Ex Rubricis Breviarii pleraeque sunt *generales*, nonnullae ad *proprium de Tempore* aut *de Sanctis*, quaedam ad *Commune* [2] spectant. De singulis successive agetur in tribus Sectionibus.

1) Dum aliquis Auctor citatur, tacito loco, hoc significat adeundum esse proprium locum, seu propriam sedem materiae de qua agitur. V. G. in casu, adeunda est sectio 3 *de Rubricis generalibus Breviarii.*

2) Post commune Sanctorum, habetur aliud quod dici potest *commune proprium.* Nimirum commune *Dedicationis Ecclesiae, Beatae Virginis* et *Defunctorum.*

4. Rubricae generales, de quibus statim, potuissent in tres sectiones dividi; sed magis placuit nullam novam introducere divisionem, et eam servare quae in Breviario habetur, nempe in *Titulos*. Ad juvandam vero memoriam meliusque intelligendum ordinem dictorum Titulorum, utile videtur illam divisionem in tres partes seu sectiones hic indigitare cum Gavanto. „Aliae, inquit (agit de Rub. generalibus Brev.), spectant ad totum integrum Officium; quod est, vel Duplex, vel Semiduplex, vel Simplex, vel Dominicale, vel Feriale, vel de Vigil. vel de Octava, vel de Officio S. Mariae in Sabbato, vel pro Officio Commemor. habet, vel concurrit cum alio, vel occurrit, ita ut alterius accidat Translatio: de quibus agitur in Breviar. primis undecim Titulis, seu Capitibus. Aliae continent Ritus proprios majorum partium, hoc est, Horarum Officii, de quibus a Tit. 13, usque ad 18, inclusive, Matutini scilicet, Laudum, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesper. et Compl. Aliae denique versantur circa partium partes, ex quibus ipsaemet Horae componuntur, nempe Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, Initium Horarum, Invitatorium, Hymni, Antiphonae, Psalmi, Cantica, Versus, Absolutiones, Benedictiones, Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes, Hymnus Te Deum, symbolum Athanasii, Preces, Suffragia Sanctorum, Antiphonae Beatae Mariae finales, de quibus in Rubricis Brev. a Tit. 19, ad Tit. 36.“ Habetur praeterea Tit. 37 de Officio parvo B. V. et aliis. Post hunc 37 titulum nonnulla tradentur de Caeremoniis Divini Officii, etc.

5. Uti supra [1] dictum est, ipse Rubricarum textus exhibetur [2], et idem, mediante commentario, elucidatur, ubi obscurior apparet, suppleturque, ubi incompletus reperitur. Commentarius autem conficitur ex secundariis Rubricarum fontibus. Cf. dicta *P. I, sect. 2, art. 1.*

6. Ut, quantum fieri potest, brevitati consulatur, quin inde aliquid detrimenti capiat vel expositio vel probatio, quae necessaria existimatur, toties praemittitur summa doctrinae explicandae, quoties hoc necessarium aut utile reputatur ad melius intelligendum aut retinendum Rubricam

1) Part. I, sect. 2, art. 3.
2) Et quo facilius idem Textus a commentario secernatur, typis paulo amplioribus imprimitur.

vel commentarium. Eadem de causa commentarius saepe enunciatur aliqua compendiosa phrasi, quae initio ponitur.

Quibus praemissis, jam exponendae sunt *Rubricae generales Breviarii.*

§ II. DE DISTINCTIONE FESTORUM SEU OFFICIORUM, QUATENUS SUNT ALIIS SOLEMNIORA, AUT ALIIS PRAEFERUNTUR.

Officium quotidie fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex.

1. De hoc textu, qui ad Rubricam Tituli I, praenotatur, sequentia sunt notanda, scilicet: I. Quomodo Officia distinguantur quoad solemnitatem et praeferentiam. — II. Quae sit ratio hujusmodi discriminis. — Et III. quae sint Officia magis solemnia, aut magis privilegiata quoad praeferentiam.

Major solemnitas (intrinseca scilicet) qualitate ritus, praeferentia autem non solum ritu sed et classe exprimitur.

I. Quomodo Officia distinguantur quoad solemnitatem et praeferentiam, exhibet sequens tabella.

Festum est	Duplex,	I, vel II Classis, Majus vel Minus.
	Semiduplex, vel Simplex.	
Octava est	Privilegiata plus minusve, aut Communis.	
Dominica est	Major, scilicet I, aut II Classis, vel Minor, seu per annum.	
Feria est	Major vel Minor.	

Vox, *Duplex,* apud Durand. *in Ration. lib. 7, cap. 1.* habetur. Apud antiquiores non habetur. Et ex eodem Durand. significat, Antiphonas in Officio duplicari, hoc est integras recitari ante et post Psalmos [1].

1) Ejusdem vocis, *Duplex,* originem aliunde repetit Fronto, quem refellit Merati, Guyetum secutus. Ita concludit Merati *h. l.* »Audiendus igitur est melior Frontone non conjector, sed

Dividit *ibidem* Durandus in duplex in totum, et in duplex simpliciter; illud majus, et hoc minus ibidem appellat: quod nos hodie dicimus, Duplex primae, et secundae classis ex una parte, et Duplex per annum ex altera parte. Sed in recognitione Clementina Breviarii ad majorem distinctionem instituta sunt quatuor genera Duplicium Festorum; primum, quod dicitur primae Classis, alterum, secundae Classis [1], tertium, quod appellatur majus per annum, quartum minus per annum.“ Gav.

Duplex *Majus* est, ut dicunt, duplex qualificatum. Ac proinde quando dicta vox, *Duplex,* simpliciter, id est sine adjuncto, apponitur in Ordine divini officii, aut in Decreto quo aliquod conceditur officium, ea intelligenda est de duplici Minori, seu per annum. De quo interrogata S. R. C. relate ad Indulta quorumdam Officiorum B. M. V., respondit: „celebrandum esse sub ritu duplici Minori. *Die 2 Oct. 1683, 3.* Quod responsum confirmavit *20 Nov. ejusdem anni, n. 2891, in Lauden. ad 3.* „Quando, ait, non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis majoris vel minoris, decreta intelligenda esse de duplici minori per annum, ut ex Decreto 2 Oct. 1683 in una Valentina (2889), et alibi.“

II. Varii Ritus fuerunt ab Ecclesia instituti, quia dantur rationes majori honore et excellentiori cultu prosequendi aliqua Mysteria, aliquos Sanctos prae caeteris. „Varietas Officii et Festorum, inquit Gavantus, inde est, quia stella secundum Apostolum differt a stella in claritate: et quia *ex Dionys. Areopag.* ecclesiastica Hierarchia repraesentat aliqualiter in suis actionibus coelestem Hierarchiam, in qua Sancti secundum meritorum diversitatem disponuntur; ideo ad hoc repraesentandum varietas Officiorum diversorum in Ecclesia reperitur. Haec *Durand. in lib. 7, cap. 1.*“

assertor Durandus, qui *lib. 7, cap. 1, num. 31* ait: *dicuntur quaedam duplicia in quibusdam Ecclesiis pro eo quod Responsoria tam majora quam brevia et Versus a duobus cantantur, et omnia incipienda, a duobus incipiuntur, et quia Antiphonae in Matutinis, et Vesperis duplicantur: dicuntur enim Complete* (hoc est integre) *ante Psalmum et post.* Durando consonat Glossa *in Cap. Gloriosus de Reliq. et Venerat. Sanct.* et sapientissimus noster Gavantus supra, recentior illo quidem, sed cui primas in investiganda hujusmodi origine, ut ait Guyetus, et merito quidem, nemo negaverit: Ritum autem duplicandi Antiphonas antiquum esse ostendit etiam loco citato idem Guyetus.

1) De origine vocis *Classis,* vid. Mer. *sect. 3, c. 3, n. 1.*

III. Quae sint officia seu Festa magis solemnia, aut magis privilegiata, quoad praeferentiam, passim tradunt Rubricae, praesertim *h. t.*, et Calendarium. Idipsum exhibet Index sequens, qui Breviario praefigitur. Ibi tamen traditur tantum quae sint Duplicia primae et secundae classis, et majora per annum, et quae Dominicae et Feriae majores dicantur, sed nulla habetur mentio de Octavarum privilegio [1].

DUPLICIA PRIMAE CLASSIS,

in quibus nulla fit commemor. quorumcumque Festorum occurentium nisi prout supra in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
Nativitas S. Joannis Baptistae.
Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
Assumptio B. Mariae Virginis.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus, *vel* Titulus Ecclesiae.

DUPLICIA II CLASSIS,

in quibus de Simplicibus fit commemoratio in Laudibus tantum.

Circumcisio Domini.
Festum sanctissimi Nominis Jesu.
Festum pretiosissimi Sanguinis N. J. C. [2]
Festum sanctissimae Trinitatis.
Purificatio, Annuntiatio, Visitatio [3], Nativitas, Conceptio — B. Mariae.
Natalitia duodecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festa S. Stephani Protomart. *et* SS. Innocentium.
Festum S. Joseph.
Inventio sanctae Crucis.
Festum sancti Laurentii.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

DOMINICAE MAJORES.

dividuntur in duas classes.

1. DOMINICAE I CLASSIS,

quae numquam omittuntur.

Prima Adventus.
Prima Quadragesimae.
Passionis.

1) De Octavis agit *Tit. VII.* Dantur quinque privilegiatae, in gradu tamen diverso. In *primo gradu* sunt Octavae Paschae et Pentecostes; in *secundo,* Octava Epiphaniae; in *tertio,* Octava SS. Corporis Christi; in *quarto* tandem Octava Nativitatis Domini. In quo consistat cujuslibet privilegium, exponitur *tit. cit.*
2) 10 Aug. 1849. — 3) An. 1850.

Palmarum.
Paschae.
In Albis.
Pentecostes.
Trinitatis.

2. DOMINICAE II CLASSIS,

quae non omittuntur nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiae, et ejusdem dedicatione: et tunc de iis fit semper commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.

Dominicae { Septuagesimae. Sexagesimae. Quinquagesimae.

Secunda, Tertia, Quarta } Quadragesimae.

DUPLICIA MAJORA PER ANNUM,

quae aliis Duplicibus minoribus praeferuntur.

Transfiguratio Domini.
Exaltatio sanctae Crucis.
Festum VII Dolorum, Festum de Monte Carmelo, Festum ad Nives } B. Mariae.

Festum SS. Nominis, Festum de Mercede, Festum SS. Rosarii, Praesentatio } B. Mariae.

Conversio S. Pauli Apostoli.
Cathedra S. Petri, utraque.
Festum sancti Joannis ante Portam Latinam.
Apparitio S. Michaëlis Archangeli.
S. Barnabae Apostoli.
Festum S. Annae Matris B. V. Mariae.
Festum S. Petri ad Vincula.
Festum S. Joachim Confessoris.
Festum Decollationis S. Joannis Baptistae.
Patronorum minus principalium.

FERIAE MAJORES,

de quibus semper fit commemor.

Adventus.
Quadragesimae.
Quatuor Temporum, et
Secunda rogationum.

Huic elencho quisque addat sua, si habeat, Officia propria ritus majoris.

In sequenti Rubrica 1, sicuti in superiori elencho, non distinguuntur duplicia I et II Classis, quia, ut dictum est, hujusmodi distinctiones posterius fuerunt adhibitae; neque in dicta Rubrica, omnia duplicia recensentur, sed pro multis, remittitur ad Calendarium.

Rub. 1. Officium fit duplex in diebus a feria quinta in Coena Domini usque ad feriam tertiam Paschae inclusive, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, et duobus diebus sequentibus: in festo Trini-

tatis, Corporis Christi, et Dedicationis propriae Ecclesiae: in Festis, quibus in Calendario apponitur haec vox *Duplex*: in die octava festi habentis octavam: in festo Patroni unius vel plurium alicujus loci vel Titularis Ecclesiae; et in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari, cum officiis propriis a Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servata tamen forma hujus Breviarii), alioquin de communi, etiamsi praedicta Festa in hoc Calendario non sint descripta. Praeterea Officium fit duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, et in die obitus seu depositionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.

1. *In Calendario.* Cum plura Festa duplicia non recenseantur in hac Rubrica, ideo remittitur ad Calendarium. Quo intelligendum est tam Proprium quam Romanum.

2. Item *per se* officium fit duplex, et quidem minus [1], in die Martyrii aut obitus Sancti cujus asservatur Reliquia insignis, dummodo tamen Sanctus descriptus sit in Martyrologio Romano et constet de identitate Reliquia illiusmet sancti [2].

Dicitur: *per se,* quia si Festum aliunde, v. g. concessione Apostolica aut ratione Patronatus, habeat ritum majorem, hic, procul dubio, erit servandus. Notandum autem est, in casu aliud Festum non posse celebrari intuitu Reliquiarum, declarante S. R. C. „Unicum festum sub duplici, intuitu Reliquiarum insignium, posse celebrari." *Die 15 Feb. 1659, n. 1804.* Juxta eamdem regulam, respondit S. C. *Die 11 Jan. 1749, n. 4049, ad 5.* Cf. Deherdt *p. 3, n. 27, ad VI et seq.,* Gav. *Sect. 1, cap. 5, tit. 2, n. 8,* et Merati *l. c. n. 4.*

3. *Solemniter.* Duplex distinguitur Solemnitas: Una *intrinseca,* altera *extrinseca.* Intrinseca consistit in dignitate et qualitate ritus, v. g. quia est duplex. Cf. S. R. C. *20 Martii 1806, n. 4350, 15.* Extrinseca autem sita est in pompa, apparatu, populi concursu, aliisque similibus, quae extrinseca sunt officio. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 235, n. 1.*

Quo autem sensu vox *solemniter* accipienda sit in prae-

1) Cf. S. R. C. dec. *29 Martii 1783, n. 4260, 3.*

2) Cf. S. R. C. Decretum supra cit., *sect. 2, art. 3, ad § 7,* et *11 Aug. 1691, n. 3097,* quod legitur *initio Breviarii,* atque *29 Martii 1783, n. 4260 cit.*

senti Rubrica, minime consentiunt Rubricistae. Cf. Gav. *sect. 2, cap. 2, n. 27,* Merati *ibi n. 7.* Guyet. *ibi cit.* et Caval. *tom. 2, dec. 382.* Videtur de utraque agi, et praesertim de extrinseca, quatenus scilicet solemnitas extrinseca in casu adnexam habeat intrinsecam, seu efficiat, ut Festum celebretur majori ritu.

Cum in praesenti Rubrica et in Elencho superiori mentio habeatur de Patrono et Titulo, hic de ipsis agendum venit *sequenti § tertio.*

§ III. DE PATRONO VEL TITULO ECCLESIAE ET DE PATRONIS LOCORUM.

1. Patronus et Titulus *notione* quidem differunt, sed *in re* saepe conveniunt. — 2. Ecclesiis Patroni et Tituli, Locis vero soli Patroni *proprie* competunt. — 3. Quoad Officium recitandum, Patronus et Titulus confundi possunt, sed sedulo distinguendus est Patronus *Ecclesiae* a Patrono *Loci.* — 4. Difficultates practicae.

1. Patronus et Titulus seu Titularis [1] *Notione* quidem differunt: *Patronus* enim in liturgia, *vi vocis,* dicitur persona quae peculiaris patrocinii seu protectionis munere, erga aliquam Ecclesiam aut Locum fungitur; *Titulus* vero, res sacra aut persona quatenus Ecclesiae nomen tribuit. At, *quoad rem,* non semper, sed aliquando tantum differunt, scilicet: Ecclesiae Patronus est etiam ejusdem Titulus, at ejus Titulus tunc non est Patronus, quando ille non est persona, sed res sacra. *Res* siquidem in Titulos, non autem in Patronos proprie dictos constitui possunt, ut dicetur infra: Rebus videlicet, *per se,* non congruit *patrocinari.*

Hinc, etsi non semper, saepe tamen Patronus Ecclesiae cum ejusdem Titulo confunditur, quoties scilicet ipsi Titulo proprie etiam competit protegere seu ratio peculiaris patrocinii. Tunc enim eadem persona non solum intitulat et denominat, sed etiam peculiari modo patrocinatur Ecclesiae in sui honorem legitime dicatae. Qua duplici ratione S. Piatus, v. g. est et dicitur Titularis et Patronus Ecclesiae suo nomine insignitae. Cf. *Cav. c. II, n. 23,* etc. Quod con-

1) Titularis cum Titulo confunditur *quoad Rubricas* utriusque officii. Cf. Rub. gen. Brev. Tit. 1 et not. quae apponitur in Brev. post tabellam occurrentiae *n. 8,* Cav. *t. 1, cap. 3, n. 1 et 3, etc.* *Notione* autem differre ita videntur, ut Titularis dicatur de Titulo, qui est simul Patronus; Titulus autem de Titulo cui non competit patrocinari, quia res est, non persona.

tingit quoties Ecclesia est dedicata in honorem Sanctorum aut Angelorum.

2. Solis Ecclesiis proprie[1] tribuitur Titulus. Sed Ecclesiae aeque ac Loca Patronos habent[2]. Hinc Rubricae et Decreta passim loquuntur de Patrono vel Titulo Ecclesiae. Vid. Rub. Gen. Brev. *Tit. XXXV, n. 1* et Resp. S. R. C. *23 Sept. 1848, n. 4980*, Rituale Rom.: *De ordine servando in processione litaniarum Majorum.*

3. Sicuti autem Ecclesia a Loco, ita etiam Patronus seu Titulus Ecclesiae differt a Patrono loci. Hujusmodi differentiae infra exponuntur. Quod vero attinet Officium divinum persolvendum, non refert, an de Patrono aut de Titulo agatur, sed an sit *Ecclesiae* aut *Loci* Patronus. Hinc, quoad Officium nulla difficultas oriri potest ex confusione Patroni cum Titulo: omnia siquidem quae hoc respectu dicuntur de Patrono Ecclesiae, applicanda sunt ejusdem Titulo.

4. Difficultates autem quae in praxi occurrunt, potius facta quam jus respiciunt. Hujusmodi dubia plerumque sunt sequentia: An hic Sanctus, hoc Mysterium fuerint legitime constituta in Patronum, aut in Titulum? An Sacerdos sit proprie hujus loci Incola, aut tali Ecclesiae strictim adscriptus? Istius generis dubia, qualia etiam in aliis

1) *Loca* enim nonnisi in sensu vulgari dici possunt habere titulos. Nam Rubricae non videntur[a] facere mentionem de Titulis Locorum. Non raro tamen idem Sanctus, qui est Loci Patronus ei nomen tribuit, hacque ratione, vero, sed non liturgico sensu, dici potest illius loci Patronus. „Patronus autem loci, ait Cavalieri *l. c. n. 5*, differt etiam a Patrono Ecclesiae, quod hic Ecclesiam, cujus est Patronus, denominat, quare a S. Petro dicitur Ecclesia S. Petri, et ob hanc intitulationem Patronus praefatus dicitur et Titulus. Patronus autem Loci regulariter nomen non imponit ei Loco, cujus est Patronus, quapropter videre est, Civitates, vel Provincias a suis Patronis non solere denominationem depromere, unde usus non est, talem Patronum *Titulum Loci* nuncupare.“

2) Qui hoc negaverit, contradicet Rubricis, quae hic citantur etc., necnon doctrinae et locutioni Merati *Sect. 3, n. 1,* et *Sect. 8, cap. 5, n. 3 sq.*, Caval. *tom. 1, cap. 2* quod intitulatur: **de Patrono vel Titulo Ecclesiae**, *ibid. n. 23 et passim*, ac *cap. 3, n. 1,* Gardellini *ad n. 4589.* Ex ista igitur erronea distinctione nonnisi confusio et obscuritas orientur. Intelligi enim non poterunt Rubricae, Decreta, Auctoresve, ubi non habetur istiusmodi *exclusiva* distinctio.

a) Vid. dec. S. R. C. 4 *Sept.* 1745 cit. infra n. 17.

disciplinis occurrunt, solvenda erunt juxta principia quae pro his circumstantiis traduntur in *Tractatu de Legibus*.

Hucusque summatim dicta, elucidanda, evolvenda et complenda veniunt in duobus sequentibus punctis, in quibus seorsim agitur de Patrono vel Titulo Ecclesiae, et de Patrono loci.

PUNCTUM I.

De Patrono vel titulo Ecclesiae.

I. *De Patroni vel Tituli Notione.* — II. *De Patronorum aut Titularium Ecclesiarum Constitutione,* — III. *Pluralitate,* IV. *Mutatione* — *et* V. *Officio.*

I. *De Notione* Patroni vel Tituli Ecclesiae. — 5. Quis sit Patronus Ecclesiae, et quod ejus munus. — 6. Controvertitur an *soli* Sancti possint esse et dici Patroni. — 7. Certa ab incertis secernuntur. — II. De *Electione* seu *Constitutione*. — 8. A quo eligitur et quando constituitur Titularis. — III. De *Pluralitate*. — 9. Videtur plures, etiam *divisim*, constitui posse in ipsa Ecclesiae dedicatione. — 10. De facto aliquando adduntur decursu temporis, etiam sine Indulto Apostolico. — 11. Priores gaudent juribus Patronorum. — 12. Secus dicendum de posterioribus. — IV. De *mutatione*. — 13. Mutari nequit sine facultate Sedis Apostolicae. — 14. Generalis suppressio facta a Pio VII. — V. De *Officio*. — 15. Quo ritu et quibus est agendum. — De Oratoriis publicis, remissive. — 16. Titularis Ecclesiae Cathedralis magis patet. — 17. Non est certum hujus Titularis Octavam esse celebrandam a saecularibus extra Ecclesiam Cathedralem. — Interim solitum servetur.

In hoc puncto agitur de Patrono seu de Sancto qui Ecclesiam denominat, et protegit. De Titulo, quatenus de Ecclesia ipsa seu Aede sacra dicitur, quaestio est ad calcem h. tomi. Hoc non ad praxim divini Officii pertinet, sed traditur potius ad eruditionem et ad melius intelligenda quaedam vocabula, quae non raro in Lectionibus Breviarii et in libris liturgicis reperiuntur.

I. De Notione.

5. *Nomen Patroni*, quod ad rem nostram attinet, congruit proprie iis Sanctis qui in peculiares Protectores Nostri eliguntur. „Etsi autem, inquit Caval. *tom. I, cap. 2, n. 5,* omnes Sancti nos utique patrocinentur, peculiaris tamen haud deest ratio aliqua, vi cujus inter Sanctos, uni prae aliis specialis Patroni nomen obtinent. Hujusmodi autem

ratio non una est, sed varia, ac multiplex, prout suis quibusque distributa locis referetur; huc spectat omnium prima, qua Patroni Ecclesiarum ii Sancti communiter habentur, quorum honori dicatae quaeque, ac nomine insignitae sunt Ecclesiae. Qui enim Ecclesiam in honorem Sancti alicujus exstruunt, ac fundant, Sanctum illum unum e pluribus in Patronum sui, ac posterorum, quos deinceps in eadem Ecclesia sortem habere continget, pro data sibi optione, rite eligere dicendi sunt; ut eo referri possit illud Job 5. *Voca si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere,* aliquem, scilicet, prae caeteris aliis, a quo nimirum proprio quasi jure, quaecumque a Patrono beneficia rependi possunt, cumulate in opportunitatibus experiaris."

„Haec quidem Sanctum, in cujus honorem dedicatur Ecclesia, formalis, non materialis ipsius Ecclesiae in Patronum assumi ostendunt; alias nec deest ratio aliqua, juxta quam et materialis Ecclesiae Patronus vere dici queat, quippe qui locum illum de profano sacrum, quasi de servitute in libertatem suo nomine vindicat, facitque omnium, quae Ecclesiis Jure Canonico, et Civili tributae sunt, immunitatum participem, quinimo specialiter illi assistit, tutaturque evidentibus etiam, ut non semel evenit, miraculis, ac in profanatores severe animadvertit."

6. Quaeritur an soli Sancti, aut etiam ipse Deus, SS. Trinitas, Persona aliqua aut res divina dici possint Ecclesiarum Patroni?

R. Si Ecclesia non personis creatis, puta Sanctis vel Angelis est dedicata, sed Deo, SS. Trinitati, Personis divinis, SS. Salvatori aut Rei sacrae, v. g. Mysterio aut Passionis Domini instrumento, non conveniunt AA. utrum his competat qualitas et nuncupatio Patroni. Absolute et absque ulla haesitatione negant Guyetus et Merati, *sect. 8, n. 3,* et alii ap. Caval. *c. 2, n. 7,* etc. At Cavalieri *n. 8* ab illorum doctrina recedit. 1° Quod Deum attinet, et ipse ultro concedit Deo aut Personis divinis non competere nomen Patroni, prout dicit relationem tam supplicationis quam defensionis, apud Majorem a Patrono susceptae, favore clientis. Sed docet Deum vere dici Patronum non solum respectu Ecclesiae materialis, verum etiam qua omnes peculiaris Patronatus effectus praestantius a Deo quam a Sanctis obtinentur. 2° Idem resolvit de Christo. Propugnat, *n. 9,* contra Guyetum, Christum Dominum dici posse Patronum

earum Ecclesiarum quae vel ipsimet ut Salvatori nominatim, vel sub Titulo Sanctae Crucis, aliove ad Ipsum pertinente, dedicantur. At 3° non idem omnino docet de Mysteriis et rebus sacris. Putat enim ipsis Patronatus rationem presse et proprie haud competere, cum personam aliquam non dicant, sed dici Titulos, quatenus Ecclesias suo nomine intitulant vel denominant. Improprie tamen et indirecte etiam Patroni dici queunt, ratione scilicet personae ad quam spectant. Hinc in hoc sensu B. Maria dici valet Patrona Ecclesiarum quae ab aliquo ejusdem Mysterio, v. g. ab *Annuntiatione*, specialiter denominantur, quemadmodum et Christus illarum Ecclesiarum quae sub *Salvatoris, S. Crucis, coronae spinae*, vel alio simili titulo dicatae inveniuntur. *Ibidem, n. 19, ad 22.* De qua controversia vide ea quae ex Cavalieri adnotantur ad calcem hujus tomi.

7. Quidquid autem de ea sentiatur, ut certa ab incertis secernantur, tanquam certum habendum est 1° Patronum simul et Titularem esse et nuncupari *Personam* in cujus honorem Ecclesia est dedicata, si tamen ei congruat [1] proprie et peculiari modo protegere. — 2° Titulum non vero Patronum esse et nuncupari *Mysterium* aut *Rem sacram* in cujus honorem reperitur Ecclesia dedicata. Unde palam fit, quod communiter asserunt AA., nuncupationem Tituli tam Personis seu Patronis, quam Rebus; eam vero Patroni, solis convenire Personis quibus proprie congruit ratio peculiaris Patronatus. Quod vero modum loquendi attinet, Patronus Ecclesiae communiter vocatur Titularis, et etiam aliquando Titulus.

Haec de notione et nuncupatione Patroni et Tituli aut Titularis Ecclesiae.

II. De Electione, et constitutione Titularium Ecclesiae.

Notandum hic non agi de Patrono aut Titulo in sensu vulgari, quatenus scilicet ut tales habentur apud vulgus, sed in sensu liturgico, quatenus illis, juxta ecclesiasticas constitutiones, competunt ea quae de illis disponunt Rubricae.

8. Post Bullam S. Pii V, Patronus seu Titulus Ecclesiae eligitur in benedictione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda ex privato etiam fundatorum vel aliorum, ad quos spectat, beneplacito; de facto autem constituitur in ipsa

1) De hac enim conditione quaestio agitatur; dum supponitur, cessat controversia.

benedictione[1] seu consecratione Ecclesiae: ita ut festum Sancti vel Mysterii, in cujus honorem Ecclesia benedicitur aut consecratur, eo ipso sit celebrandum tanquam de Patrono seu Titulo, et omnia illi conveniant, quae Rubricae Patrono et Titulo concedunt. Cf. Deherdt part. 5, n. 34, 3.

III. De Pluralitate.

Quaeritur an plures dentur vel dari queant Patroni seu Tituli ejusdem Ecclesiae *a)* in ipsius Erectione seu Dedicatione, et *b)* in decursu temporis?

9. Ad *a)* respondet Cavalerius[2], Guyetum secutus, „Patronum seu Titulum, sub cujus nomine aedificatur, ac dedicatur Ecclesia, debere esse unicum; aut si plures sint, nonnisi per modum unius, idest sub uno, eodemque festo, puta SS. Joannis et Pauli, SS. Cosmae et Damiani etc., quorum scilicet festivas una simul recurrit et una simul celebratur. Probat id Guyetus *lib. 1, cap. 8, quaest. 3.,* tum quia in omnibus Rubricarum textibus *Titulus Ecclesiae* semper in singulari numero pronunciatur. Tum quia Ecclesiae quaelibet nonnisi unam sortiuntur appellationem; ergo unicum quoque Titulum agnoscunt, aut si plures, nonnisi sub ratione unius, uti explicatum fuit. Tum denique quia Dedicationem Ecclesiae nonnisi in unius Sancti honorem, seu plurium sub ratione unius fieri debere, indicant formulae ipsae in Pontificali descriptae, in quibus legitur semper in singulari numero, *In honorem Sancti N., ad nomen, et memoriam Sancti N.*"

Attamen ex S. R. C. dec. *23 Feb. 1839, n. 4703, 2,* sequi videtur plures Contitulares divisim constitui posse in Ecclesiae Dedicatione, etiam absque Indulto Apostolico. Hujusmodi enim Indultum non videtur supponi in casu. Dictum dubium 2 sic sonat: „An in Ecclesia ordinis benedicta sub titulo ss. Conceptionis Deiparae, et s. Paschalis, etiam officium s. Paschalis titularis recitari debeat sub ritu duplicis I cl. cum octava? S. R. C. respondendum censuit: *Affirmative. 23 Feb. 1839, n. 4703, 2.*" Cf. Gardellini *n. 4586, 2,* et *4437, 1.* Hujusmodi autem contitulares alicubi dari agnoscit Cav. *n. 18.*

1) Hinc agendum est officium Titularis Ecclesiae, quamvis haec non sit consecrata, sed tantum benedicta. S. R. C. *21 Martii 1711, n. 3684, 1.*

2) *Tom. 1, cap. 2, dec. in Ord. 27, n. 17.*

„Evenit tamen, addit *n. 18*, alicubi haberi ejusdem Ecclesiae plures Patronos, seu Titulos, etiam divisim, nempe quorum festa eadem die simul non recurrunt, sed divisim celebrantur, uti Romae recensetur Ecclesia SS. Silvestri et Martini, item SS. Blasii et Caroli, quam in exemplum adducit Gavantus *sect. 3, cap. 12, num. 3...*"

10. Ad *b)* „Respondet, *n. 19*, contingere posse, quod successive dentur plures Tituli, seu Patroni ejusdem Ecclesiae, et hoc contingit, quando Ecclesiae jam dicatae, ac de Sancti alicujus nomine appellatae, Patronus alter, seu Titulus superveniat, a quo ipsa nomen aliud, sive relicto, sive retento priore, accipiat. Hujusce rei quam plurima utique suppetunt exempla, et praesertim in antiquioribus, et primariis Ecclesiis, quae cum sint Sancto alicui antiquitus nuncupatae, invecto postea in eadem Corpore Sancti alterius miraculorum gloria percelebris, aut in iisdem detecta Imagine aliqua Christi, vel B. Mariae opitulationum gratia admodum insigni, factum est, ut populis eorum opem, ac subsidium frequenti concursu reclamantibus, hi quoque in Patronos adscititios dictarum Ecclesiarum evaserint, quinimo quod Ecclesiae ipsae obliterato, saltem apud vulgus, priori Titulo, de eorum nomine communiter deinceps appellatae fuerint. Plura Guyetus affert exempla..." Aliquando, etiam vi Indulti Apostolici, priori Titulari adjungitur Contitularis, ut factum est decreto S. R. C. *11 Martii 1843, in Brugen. n. 4808, 2.* Cf. etiam dec. *20 April. 1822, in Derthonen. n. 4427, ad 1, 2 et 3,*

11. Deinde *num. 20 et sqq.*, discutit quid juris circa utriusque generis Patronos.

„In priori casu plurium simul Titularium se habentium per modum unius, et eadem die occurrentium, celebrantur omnes hujusmodi Titulares sub uno, et eodem festo sub ritu duplici primae classis, et cum octava per modum pariter unius de Communi vel Martyrum, vel Confessorum, prout illis convenit, et hoc modo sunt omnes aeque principales; ceterum non considerantur tanquam plures, sed tamquam esset unus, et idem Titularis, nec dubium nullum est, quod plures hujusmodi dari queant, ac haberi." *n. 20.*

Idem dicendum de pluribus divisim Contitularibus qui in ipsa Ecclesiae Dedicatione fuerunt legitime constituti. S. R. C. *23 Feb. 1839 cit.*

Cavalerius, *n. 21 et sqq.*, contrarium docet cum Gavanto,

et propugnat contra Guyetum. Illi unum tantummodo agnoscunt principalem, alios autem habent tanquam minus principales. Guyetus vero resolvit praedictos Sanctos, divisim Titulares ejusdem Ecclesiae, aequales in omnibus omnino esse. Quod videtur tenendum, attentis et modo [1] quo constituuntur Titulares Ecclesiae, et decretis cit. S. R. C. *23 Feb. 1839 et 11 Martii 1843, in Brugen.* Obstare nequit aliud decretum S. R. C. *2 Junii 1685, n. 2940, 4.* Si enim habeatur tanquam contrarium subsequenti 23 Feb. cit., dicendum erit revocatum per hoc quod est posterius.

12. Circa officium illorum Patronorum, qui successive additi sunt, Cavalerius, *n. 25*, indicat sententiam Guyeti, quam rejicit *n. 26*. En ejus verba. „Quoad plures vero Patronos ut supra successive habitos, Guyetus asserit, quod si de qualitate in ratione Tituli agitur, prior omnino, imo solus vere Titularis est is, sub cujus primum nomine dedicata fuit Ecclesia; si autem agitur de qualitate quoad celebritatem in Choro, seu rationem officii, ambos pares esse censet, primae scilicet classis; et quod si denique agitur de celebritate in foro, seu apud vulgum, tunc ut plurimum hac in parte posterior tempore solet prior esse fama, nominisque pervagatione, et sic in praedicta Turonensi Ecclesia nominatior est Sancto Mauritio Sanctus Gatianus, Parisiis Sancto Vincentio Sanctus Germanus, etc." *n. 25*.

„Haec tamen nobis haudquaquam arrident, inquit *n. 26*, ... Idcirco de iis, qui postmodum adjecti sunt, licet Ecclesiam denominent, haud arbitramur officium esse instituendum, adeoque ubi de iis officium agitur, immemorialis vi dumtaxat consuetudinis ante Bullam Pii V introductae posse sustineri, et de novo haudquaquam posse induci." Tenenda videtur sententia Cavalieri, nisi, quod procul dubio subaudit ipse, agatur de Contitularibus a S. Sede superadditis. Quae res sacrae possint in Titulos eligi, require in appendice ad calcem hujus tomi. In Patronos Ecclesiae, non secus ac locorum, eligi prohibentur Beatificati dumtaxat, ut dicetur infra de Patrono loci. Aliqua tamen admittenda est exceptio, de qua ibi.

1) Constituuntur enim Contitulares absque distinctione inter Principalem et minus Principalem.

IV. **De mutatione titularium.**

13. Patronus aut Titulus Ecclesiae legitime constitutus, immutari nequit, nisi ex Indulto S. Sedis, etiamsi Episcopus existimet rationabilem dari causam. Constat ex S. R. C. dec. *11 Martii 1843, in Brugen. cit.*

Idem ita exponit Guyetus *Lib. 1, cap. 4, q. 4,* ubi praeterea docet maxime aequum esse, ut Ecclesia diruta, ubi reaedificatur, sub eodem Titulo dedicetur. „Cum, inquit, ex proxime dictis, id (Tituli scilicet subrogatio) fieri nequeat, nisi accedente nova Ecclesiae Dedicatione; haec autem priore stante integra, inanis sit, ac prope dicam sacrilega, reliquum quoque est, ut inane sit ac prope sacrilegum, abdicato priori Titulo, novum alium inducere. Imo vero, si quando accidat Ecclesiam aliquam dirutam reaedificari, ac denuo consecrari, aequum est maxime, ut non sub alio quam sub priori Titulo dedicetur, eodemque nomine quo alias, deinceps etiam nuncupetur."

14. Nota est illa generalis Dioecesium et Parochiarum suppressio cum suis Titulis, quae facta est, in toto territorio Reipublicae Gallicanae, per Bullam piae mem. Pii VII *29 Nov. 1801: Qui Christi Domini vices.* In hac Bulla et in Litteris Executorialibus *9 April. 1802* Card. Caprara, Legati a Latere, conceditur Episcopis generalis facultas novos assignandi Titulos Ecclesiis, quae in Cathedrales et parochiales erant erigendae: ita ut si in erectione Ecclesiae cathedralis, parochialis seu succursalis alius titulus assignatus fuerit, prior titulus sit suppressus et extinctus, et de eo nihil amplius fieri debeat; novus autem titulus celebrandus sit sub ritu titularibus competente, ut etiam patet ex dec. S. R. C. *11 Mart. 1843, n. 4808.* Hic tamen notandum est, si titularis Ecclesiae esset etiam patronus loci, tunc si in erectione Ecclesiae alius titulus assignatus sit, et proinde prior titulus qua talis extinctus sit, manere tamen patronum loci, cujus supprimendi facultas in citata Bulla Pii VII, et decreto Cardinalis Legati concessa non fuit [1]. Deherdt *Part. V, n. 34, 6.* Qui Patroni vel Tituli

1) „Hinc ergo est, inquit Cardinalis in dicto Decreto, quod Nos de praefata Apostolica auctoritate Nobiscum, ut supra, communicata, omnes et singulas Parochiales Ecclesias, quae in territoriis Dioecesium novae circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque Presbyterum exercetur,

singulis Ecclesiis Dioecesis Tornacensis assignati fuerint, habetur in elencho qui subjungitur *Decreto nominationis Canonicorum novi Cathedralis Capituli, simul et Novae erectionis ac circumscriptionis Ecclesiarum Parochialium et Succursalium Dioecesis Tornacensis* 25 Octob. 1803.

V. **De Officio.**

15. *De Officio* Patroni vel Tituli Ecclesiae jam dictum est, et dicetur *loc. prop.* Hoc Festum, juxta Rub. 1, est duplex, videlicet, duplex I Classis, ut habetur in Elencho superiori et in Rescripto S. R. C. *15 Sept. 1742, n. 3982, 2.* Habet etiam Octavam ex *Tit. VII, 1.*

Recitandum est ab eis qui sunt Ecclesiae strictim adscripti *(Sect. II, art. V, 5)*, et die quo dicitur *Rub. seq. 2.* De commemoratione ejusdem agenda inter suffragia Sanctorum, vide dicta *Tit. 35.*

Utrum capellis seu Oratoriis publicis proprie competat Patronus aut Titulus, et quidem cum Officio, expenditur *Tit. IX, rubr. 3.*

16. Hic remanet solummodo exponendum, quod supra, *Sect. II, art. V, n. 3,* dictum est, nempe Titularem Ecclesiae Cathedralis magis patere seu ad plures extendi quam Titulares aliarum Ecclesiarum. Festum enim Titularis Ecclesiae Cathedralis celebrandum esse sub ritu dup. I Classis, tam in civitate, quam in dioecesi, et ab utroque clero, declaratum habetur in Rescripto S. R. C. 22 Aug. 1772, n. 4211, 5 [1]. Unde decretum ejusdem S. C. *28 Oct. 1628, n. 625, 3,* quatenus illud Festum limitat ad Civitatem, per haec subsequentia revocatum fuit. Quare autem ad totam Dioecesim extenditur festum dicti Titularis, docet Cavalerius

qui Parochi, Rectoris, Vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura et jurisdictione quacumque, *nunc pro tunc,* suppressas perpetuo fore declaramus; ita ut, cum singulis Ecclesiis in una quaque Dioecesi in parochiales erectis singuli Parochi, seu Rectores novorum Antistitum auctoritate praefecti fuerint, omnis antiquorum parochorum Jurisdictio in territorio novis Paraeciis assignato cessare prorsus debeat. . .« Palam est agi de Ecclesiis et de Parochiis, qua talibus, ac nullo modo de locis ut talibus, puta de Pago aut Oppido. Nihil itaque per hoc Decretum fuit innovatum quoad Patronos locorum.

1) De Regularibus id fuerat declaratum *20 Martii 1683, n. 2870, 1, et 15 Julii 1769, n. 4200, 1.*

tom. 1, dec. 24, n. 9. „Causa, inquit, cur Festa Titularis, et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in ceteris Civitatis, et Dioecesis Ecclesiis fieri debeant, non est ipsa praesentia Ecclesiae Cathedralis in loco, alioquin etiam de hujusmodi festis aliarum Ecclesiarum existentium in loco Officium foret faciendum, sed est ejusdem in subjectos jurisdictio: quam utique jurisdictionem non habent, saltem ordinarie, illae aliae Ecclesiae.“ Cf. *ibid. dec. 37, n. 11 sq.*

17. Quaeritur an dictum Festum celebrandum sit cum Octava extra Ecclesiam Cathedralem?

Resp. Negative, ex S. R. C. decreto *28 Oct. 1628, n. 625, 2,* ubi declaratur „de Titularibus Cathedralis posse recitari cum Octava in Cathedrali tantum.“ Quod decretum in suo robore perseverat, utpote non revocatum quoad Octavam.

Res autem omnino certa dici nequit, quoad Saeculares. In praxi igitur servetur consuetudo, prout existit, nempe agendi vel omittendi Octavam extra Ecclesiam Cathedralem.

Objici non posse videtur Rescriptum *4 Sept. 1745 in Pernambucen. n. 4027, 1.* Ibi enim agitur de Transfiguratione Domini quae in dubio dicitur Ecclesiae Cathedralis et *Civitatis Titularis.*

Quod vero ad Regulares attinet, jam declaratum fuit *22 Junii 1630, n. 719,* eis non esse celebrandam Octavam dicti Titularis.

PUNCTUM II.

De Patronis locorum.

De Notione, — Constitutione, — Pluralitate, — Mutatione, — Officio.

I. *Notio.* 18. *Ratione Patrocinii,* Ecclesiae Patronus vix differt a Patrono Loci. — 19. *Aliis* tamen sub respectibus unus ab altero differt. — 20. *Notio Loci*: — Quae loca hic comprehendantur — Quid sit Civitas, Oppidum, Pagus, Burgum et Suburbium — Suburbia, viculi et Paroeciae non adnumerantur inter loca quibus competat loci Patronus peculiaris, diversus scilicet a Patrono Civitatis, Oppidi, Burgi aut Pagi. — 21. Describitur Patronus loci. — II. *Electio* seu *constitutio* Patronorum locorum. — 22. Fit juxta formam a S. R. C. praescriptam, approbante Urbano VIII. — 23. Hoc praeceptum comprehendit *omnes eligendos* Patronos; — 24. Non autem jam *electos.* — 25. Est *implicite* irritans. — 26. Inde non sequitur praecipitanter esse supprimendum Patroni Officium, quod est in pacifica possessione. 27. Beatificati dumtaxat non possunt eligi. — Aliae conditiones

explicatae habeatur apud Cavalieri. — 28. Non est in praecepto, ut aliquis in Patronum loci eligatur. — III. De *Pluralitate* Patronorum. — 29. Plures ejusdem loci dari possunt *per modum unius.* — 30. Imo plures *divisim;* sed hi, secluso Indulto Apostolico, sunt in diverso gradu, scilicet, in *eodem loco* unus tantum est Principalis, praeter generalem, si habeatur. Nam duo dumtaxat Patroni principales haberi possunt: unus *Generalis,* alter *Particularis* seu *Proprius.* — IV. De *Mutatione.* — 31. Non decet quidem, seclusa causa, Patronum mutare. — 32. Hoc tamen non est prohibitum. — IV. De *Officio.* — 33. Regula generalis antea data, hic applicatur et magis determinatur. — 34. Regula I pro principali Patrono 1° Regni, 2° Loci proprii et Dioecesis. — 35. Regula II pro Patronis minus principalibus. — De his recitare non possunt Regulares, quemadmodum nec agere Octavam de principalioribus. — 36 et sqq. evolvuntur dictae Regulae. — De Octava et commemoratione inter suffragia Sanctorum, *remissive.*

In Puncto I, actum est de notione Patroni vel Tituli Ecclesiae, de illorum electione, pluralitate, mutatione et Officio. In praesenti Puncto, Patronus Loci consideratur sub iisdem respectibus.

I. De Notione.

18. Uti jam observatum est, Patronus Ecclesiae et Patronus Loci non differunt *ratione Patronatus*, nisi quatenus unus magis patet seu pluribus quam alter patrocinatur. Quia scilicet, satis frequenter, Locus magis extenditur quam Ecclésia, ut quando in eodem loco, puta Civitate, Regno, plures sunt Ecclesiae. Non raro tamen evenit, praesertim ruri, ut unica Ecclesia sit in loco, et iidem limites circumscribant Ecclesiam seu parochiam et locum. Tunc saepe unus est Ecclesiae et Loci Patronus, qui patrocinium exercet erga Ecclesiam tam materialem quam formalem, erga locum, sumptum tam pro territorio quam pro personis et rebus in eo existentibus.

19. *Aliis* tamen sub respectibus, illi Patroni, ut ex dicendis patebit, ab invicem differunt, tum quia Locus et Ecclesia sunt res diversae, tum quia de utroque Patrono non eadem fuerunt ab Ecclesia constituta. Juxta hanc distinctionem S. R. C. interrogata, an sub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII tenentur Capuccini recitare Officium sub ritu dup. I Class. veniat etiam Patronus Parochiae in qua commorantur, respondit: *Negative. Die 14 Feb. 1705, n. 3562, 4,* in una *Ordinis Capuccinorum Galliae.*

20. *Loci notio.* Locorum nomine hic juxta *Const. Urbani VIII in Gardelliana collectione, n. 164, § 22 fin.*, veniunt Regnum seu Provincia, Civitas, Oppidum vel Pagus, quibus adjungenda est, cum Gardellini n. 4589, Dioecesis quae vi consuetudinis gaudere valet Patrono. Cs. S. R. C. 12 Novemb. 1831 ad 41. n. 4520. „Ultra communem Loci alicujus, puta Civitatis, vel Dioecesis, Patronum, dantur, inquit Cav. *tom. 1, cap. 4, n. 2,* et Patroni generaliores, ac universaliores, scilicet Provinciae, Regni, seu Ditionis supremi alicujus Principis, aut Reipublicae, intra cujus terminos situs est Locus ille, Civitas, vel Dioecesis [1].“ Quas locorum denominationes explicat Cavalieri *l. c. dec. 35, num. 8 et sqq.* [2]. Cf. Guyet. *l. 1, c. 7, q. 8,* ubi docet „fre-

1) „Quamvis, inquit Cav. *l. c. n.* 7, Patroni Locorum rite ad distinctionem Patronorum, seu Titularium particularium Ecclesiarum, de quibus in praecedenti Capite egimus, vocentur Sancti illi, qui in Locorum Patronos assumuntur, adhuc et Ecclesiarum Patroni recte dici valent, sumpto Ecclesiae vocabulo, non prout in superiori Capite sumebatur, scilicet quatenus significat particularem aliquam tantum Ecclesiam, sed in latiori, quam vere patitur, ejusdem significatione, prout nempe significat omnes Ecclesias alicujus Loci, vel Provinciae, quo in sensu dicitur Ecclesia, v. g. Cremonensis, Ecclesia Gallicana, aut Anglicana; in hac enim Ecclesiae acceptione non est, quod Lectorem moneamus, quod qui Patroni Locorum sunt, rite et Ecclesiarum respective Patroni dici valeant.«

2) »Non quaecumque igitur domorum collectio moenibus cincta, *Civitas* dicitur, sed illa solum, quae Episcopum habet, ex Bartholo *in lege 2. ff. de verborum significat. in fine.* Quae autem Episcopo caret, *Oppidum;* quae sine moenibus est, *Burgum,* si plures sint domus; *Pagus* vero, si pauciores, communiter appellatur. Si autem *Pagus* peculiares Patronos habere potest, utique a fortiori *Burgum* [a], quod populatior, ac nobilior nonnisi Pagus est.«

»Burga autem et suburbia, etsi vulgo *Borghi* appellentur, in hoc discrimen habent, quod illa sunt Vici quidam pagani, seu Pagi pluribus domibus coagmentati, spatio aliquantulo ab Urbe remoti, haec vero sunt Vici Urbi contigui, ac adnexi, ac simul cum Urbe unum, et eumdem locum conficere censentur, ac consequenter cum ejusdem loci non liceat distinctos Patronos haberi, iidem, qui Civitatis, Suburbiorum quoque erunt Patroni, et quidem tametsi dicta Suburbia moenibus alicubi cincta re-

a) Hujusmodi Burgum, quod communiter non nominatur in decretis, comprehenditur sub nomine Pagi.

quenti, saltem Galliae nostrae, usu, eumdem qui Dioecesis, Civitatis quoque esse Patronum; quippe Civitas cum Ecclesia Cathedrali convenit, nec alios solet habere Patronos, quam quos ipsa veneratur: Sunt autem illi, ut ante diximus, totius utique Dioecesis Patroni."

21. *Definitio seu descriptio Patroni loci.* Patronus Loci *proprie* [1] dicitur „is Sanctus qui, sive perpetuo usu ac traditione a Majoribus accepta, sive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum intercessor, propriusque suffragator ab universo loci illius clero ac populo colitur et observatur." Cav. *cit. cap. III, n. 4.* Quae Patroni loci definitio non solum a Guyeto et Merato, sed „ab omnibus, inquit Gardellini *ad n. 4589*, communiter admittitur liturgicis auctoribus, aliquid si excipias, quod illius substantiam non afficit." In eo autem dumtaxat discrepant hi duo percelebres Auctores [2], quod ubi Gavantus sola electione aliquem e Sanctis in Patronum recenseri asserit, Guyetus traditionem, usumque immemorabilem adjicit, quia antiquitus Patroni locorum magis ex usu, et traditione cole-

periantur et admodum protensa existant, atque spatiosa. Idem dicito de Vicis illis, qui Castellis, aut Terris muratis, aut aliis contigui sunt, et *Borghi* vulgo, aut alio quocumque nomine nuncupantur."

„Eadem de causa idipsum dicendum venit de Paroeciis ejusdem Civitatis, Oppidi, aut Pagi, cum enim omnes unum, et eumdem conflent locum, nemini ex illis licet praeter communem loci Patronum, alium peculiarem habere, sed idem, qui totius loci Patronus est, erit quoque omnium ejusdem loci Paroeciarum."

„Adsunt et viculi, qui sunt rustica aliquot aedificia conjuncta, aut certe spatio non ita magno a se invicem separata, et isti cum itidem cum Pago, seu Oppido vel quocumque altero loco, cui in spiritualibus subduntur, unum locum conficiant, distinctum Patronum ab eo communi loci habere non possunt." Cav. *l. c.*

Suburbia *Gallice* vocantur *Faubourgs;* viculi autem, de quibus hic, veniunt appellatione vulgari *Hameaux.*

1) Nomen Patroni striete, et rigorose sumitur, prout videlicet accipitur in Rubricis, cum passim legitur, *Patronus Loci vel Ecclesiae;* non autem prout vulgo jactatur, pro iis Sanctis, qui quod in loco aliquo floruerint, dum viverent, aut ibidem eorum memoria in aliqua veneratione, quacumque tandem de causa, habeatur, protinus tanquam Loci illius Patroni circumferuntur; nam is sensus nihil ad Chorum, Officiumque divinum (qui unus instituti nostri scopus est) pertinet. Cav. *tom. 1, cap. 3, n. 4.*

2) Intelliguntur Gavantus et Guyetus.

bantur ut tales, quam ex electione, sive is usus primum electione aliqua inductus fuerit, sive aliqua alia ratione, puta unius, vel alterius arbitrio, aut tacito plurium consensu, seu secreta quadam Dei inspiratione, prout fusius declarat quaest. 9. Cav. *tom. 1, dec. 31, n. 1.* Cf. Merati *sect. 3, cap. 12, n. 1.*

II. **Electio seu constitutio Patronorum Locorum.**

22. Sub Urbano VIII, S. R. C. praescripsit formam pro Sanctis Patronis Locorum in posterum eligendis, servandam. Quod Decretum hic exscribitur ex collectione Gardelliana n. 705, nonnullis adjectis adnotationibus.

„S. R. C. annuente SSmo, quoad Patronos (1) Locorum in posterum (2) eligendos, hunc ordinem servari mandavit (3).„

(1) *Quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.*

(2) *Quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a Populo mediante consilio generali illius Civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum, et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi, et Cleri illius Civitatis: Idemque servari debeat in Patrono regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum Civitatum Provinciae, non autem a repraesentantibus Regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi, et Cleri dictarum Civitatum.*

3. *Quod causae electionis novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci, ac examinari: ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, et confirmari.*

Et ne praemissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, eadem S. C. praedictum Decretum imprimi mandavit. *Die 23 Martii 1630.*"

23. 1. Exinde quod hic *generatim* nominentur Patroni Locorum, Cavalieri, *h. l. dec. 30, n. 2,* recte concludit, cum Gav. et Bened. XIV, comprehendi omnes Locorum Patronos, non exceptis minus principalibus.

24. 2. *In posterum.* Ante hoc decretum ille ordo non requirebatur: ita ut plures tanquam patroni, et quidem legitime et de praecepto colantur ex perpetuo usu et traditione a majoribus accepta, ac proinde non possint immutari. Hinc PP. Sacrae R. Cong. praepositi, *die 6 April. 1658, n. 1734, in Fundana,* non haesitaverunt respondere: „Non posse ab Ordinario ignorari quod nullatenus licet

electionem S. Patroni a Populis olim habitam de consensu Cleri, et Episcopi, et vel ab Apostolica Sede approbatam, aut legitimi temporis observatione munitam immutari. Ita nil aliud Episcopo Fundano injungendum duxerunt, nisi ut is ad antiqui, et emeretissimi quidem Patroni S. Horati Abbatis obsequium, qua par est optimi Praesulis religione, corda subditae sibi gentis inflammet.“ Cf. Cav. *dec. 30, num. 4 et 6.*

25. 3. *Mandavit* Cavalieri hoc decretum refert., *in ordine 30.* Ibi Gavantum et Meratum secutus, textui S. Congregationis, ex Gardellini hic relato, addit clausulam irritantem, his verbis: „S. R. C... mandavit ... *declarans quod aliter facta electio nulla sit ipso jure.*“ Unde *n. 5* concludit nullitatem omnimodam oriri ex omissione illius formae. „Quapropter, ait, si dicta forma adamussim custodita non venit, vitio proculdubio non caret electio, adeoque nulla est, ac irrita ipso facto perinde ac si facta non extitisset; et quidem, tametsi per Sacram ipsam Congregationem, vel immediate per Sedem Apostolicam confirmata fuerit, dummodo in litteris confirmatoriis expresse non suppleatur super defectum, qui contigit, vel super inobservantiam praesentis Decreti.“ Quae conclusio ex ipsius Decreti natura sequitur, etiam omissa, ut in collectione authentica, clausula irritante. Hujusmodi enim Decretum habendum est tanquam implicite [1] irritans juxta sequens Responsum S. R. C. *in Lauretana n. 1108.* „Clerus Montis Luponi exposuit, Ordinarium Loci praecepisse, servari diem festum S. Antonii Patavini de praecepto, tanquam de Patrono, cum non fuerit electus servatis servandis; supplicans declarari: an Clerus teneatur servare hoc casu praeceptum Episcopi? Et S. C. respondit: *non teneri. Die 21 Aug. 1640.*“ Quare cum Cavalieri, *dec. 31, n. 5* et Guyeto *ibi cit. n. 4,* dicendum est non posse continuari Festum de aliquo Sancto tanquam Patrono, quod fuit post illud Decretum *23 Mart. 1630* introductum, vi solius consuetudinis.

26. Observandum tamen est in praxi non esse praecipitanter abstinendum ab hujusmodi Festo celebrando. Etenim *a)* praesumendum non est illicite introductum, sed de hoc constare debet, et *b)* si de hoc constiterit, dari

1) Cf. Maschat *lib. I, Decret. Tit. II, n. 21,* et Reiffenstuel *eodem loco n. 240.*

poterunt rationes petendi Indultum a S. Sede. Cf. dicta *supra P. I, de consuetudine*, hic, *sect. II, art. 3, ad § 7 fin.*, et Gardellini ad n. 4461, 2.

In dubio autem, legitime constituti praesumuntur patroni locorum, qui licet de illorum electione non constet, semper tamen, aut ab immemoriali tempore, tales habiti sunt. Cf. Deherdt *P. V. n. 34, ad 3 fin.*

27. 4. *Ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.*

De hac conditione late et erudite, more suo, agit Cavalieri, *tom. 1, dec. 30, num. 15 et sqq.* Ibi perquirit, num per praesentem Sanctionem ita Beati ab electione in Patronos maneant exclusi, ut nullus, qui canonizatus non est, in Patronum assumi queat? Primo quidem negat de nonnullis, quos recensuit, et qui proprie habendi non sunt tanquam *Beatificati dumtaxat*, sed potius ut *Sancti quoad cultum*. „Hi enim, inquit *n. 22*, etsi per formalem canonizationem canonizati non sint, bene tamen per aequipollentem, quae etiam nunc eosdem praestat effectus, ac formalis ipsa.“ Deinde, *n. 27*, affirmat de illis quos enumeravit, qui nequeant dici revera coli *titulo Sanctorum* et *in universali Ecclesia.*

Alias praeterea conditiones ibidem expendit eruditus Auctor. Sed brevitatis causa cogimur illuc remittere Lectorem qui plenam et eruditam hac de re notitiam habere voluerit.

28. Quaeritur, an necessario habendus sit aliquis loci Patronus, scilicet vel generalis vel particularis [1]?

Resp. Negative. Nam, hujusmodi praeceptum nullibi exprimitur; imo expresse excluditur in Constitutione Urbani VIII, data *Idibus Septembris an. 1642, pro observatione Festorum.* Ibi tanquam de praecepto recensetur Festum „unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia [2], et alterius pariter principalioris in qua-

1) Quis sit Patronus generalis, quis particularis, dictum fuit supra cum Cavalieri.

2) Praeceptum vacandi ab operibus servilibus et audiendi Sacrum in Festo principalioris Patroni Regni, in Belgio fuit suppressum a Benedicto XIV per Breve *3 April. 1751.* Quod confirmatum fuit per Breve Clementis XIV, Archiepiscopo Mechliniensi datum *die 22 Jun. 1771.* Ibi haec habentur: »Retineantur et celebrentur Festivi dies Resurrectionis cum sequenti . . et unius tantum principalioris Patroni. Sed si alicubi plures Pa-

cumque Civitate Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari *contigerit.*" Potest igitur contingere, ut non habeantur hi Patroni. Quod nequaquam supponeretur, si de praecepto essent constituendi.

Quid agendum sit, quando S. Patronus, incuria hominum a gradu Patroni excidit, docet Cavalieri, *dec. 35, n. 6.* De casu quo fiat locorum unio vel separatio, vid. Guyet. *l. 1, c. 7, q. 7,* et quae adnotantur in collect. Gardell. *ad num. 4455 et 4461. 2.*

III. De pluralitate Patronorum Locorum.

29. 1° „Plures dari possunt Locorum Patroni principales ejusdem loci per modum unius, qui scilicet sub eodem die recurrant, et sub uno festo celebrentur, ut SS. Cosmas et Damianus, Philippus et Jacobus, aliique similes; ii enim, etsi plures sint, ac si unus essent, reputantur, ac per modum unius recoluntur." Cav. *dec. 36, n. 13.* Cf. *ibidem n.*

30. 2° In facto plures aliquando *divisim* habentur. Sed in casu, secluso indulto Apostolico, non omnes sunt in eodem gradu quoad feriationem et qualitatem Officii. Nam, ex citata Constitutione Urbani VIII, feriationem habere non possunt omnes Patroni, sed duo tantum principaliores, scilicet unus generalis Regni aut Provinciae, alter peculiaris seu proprii loci, id est Civitatis, Oppidi, vel Pagi. Cf. 22 *Mart. 1817, n. 4382,* et *12 Nov. 1831, n. 4520, 43.* Quoad Officium pariter, ut infra dicetur, distinguendi sunt Patroni principales a minus principalibus, nisi forte pari Officio gaudeant vi indulti Apostolici aut legitimae consuetudinis. Cf. Cav. *dec. 36, n. 7, 10 et 14.*

In hoc n. 14 tradit Cavalieri quomodo in dubio, investigandum sit quis coli debeat tanquam Patronus principalis, dum plures habentur.

tronos aeque principales haberi contigerit, diligenter inquiras necesse est, venerabilis Frater, quinam ex dictis principalioribus Patronis potiorem cultum ac venerationem in ea vel Civitate, vel Oppido, vel Pago habeat, et in ejus tantum propria die Festivitatis praeceptum designes." Notum est hoc praeceptum etiam suppressum fuisse in Belgio, initio hujus saeculi.

IV. **De mutatione Patronorum Locorum.**

31. „Etsi, inquit Cav. *t. 1, dec. 35, n. 6,* mutare locorum Patronos non habeatur unde inhibitum sit, attamen, ut bene ponderat Guyetus *lib. 1, cap. 7, quaest. 11,* eos mutari sic, ut unus dimittatur prorsus, et alter assumatur, nec Sanctorum ipsorum gloriae, quibus constans semper est suis nobis intercessionibus succurrendi voluntas, nec Populorum utilitati conducit, quorum solida debet esse pietas, et ab ejusmodi mutandi prurigine aliena. Si vero de novis ad pristinos addendis agatur non abnuit idem Auctor, quantumvis asserat tentandum non esse sine causa legitima, nec nisi servato in omnibus superius producto Congregationis Decreto 23 Martii 1630.

32. Multa congerit Deherdt, *Part. 5, n. 34. tit. 7, 2, et 7,* ad probandum Patronum Loci legitime electum et constitutum, non posse immutari sine indulto et facultate Apostolica. Ast Auctores et Decreta, ibi allegata, de Patrono non Loci, sed Ecclesiae agunt, si unum excipias decretum *6 Aprilis 1658*, supra *ad II, 2.* citat., quod, ut videre est, nullo modo probat assertum Auctoris. Siquidem ibi alius proponebatur Patronus, qui constitutus fuerat, contra formam ab Urbano VIII praescriptam.

V. **De Officio Patronorum Locorum.**

33. Jam dictum est supra, *sect. 2, art. 5, n. 4,* ad officia loci generatim teneri omnes Sacerdotes qui sunt Loci Incolae, ibique versantur. Ea regula hic applicanda venit ad Officia Patronorum, quos haberi contingit in Locis, nempe, in Regno seu Provincia, in Civitate seu Dioecesi [1], in Oppido vel Pago. Cum Patroni sint duplicis classis, *principaliores* et *minus principales*, illa generalis regula in duas subdividitur, quarum prior etiam est bipartita, scilicet una ad Patronum generalem seu Regni, altera ad Patronum peculiarem seu proprii loci pertinet.

34. I. De Patronis principalioribus [2] Regni aut Loci proprii.

1. Officium principalioris Patroni Regni aut Provinciae

1) Civitatis et Dioecesis Patronus communiter idem est, ut animadvertitur supra ad I, cum Guyeto.

2) Quomodo dignosci valeat quinam, ex pluribus Patronis, sit principalior exponit Cavalieri *t. 1, dec. 36, n. 14.*

recitare tenentur, sub ritu duplici I Classis, omnes Sacerdotes qui sunt Regni aut Provinciae Incolae, ibique versantur [1], et quidem cum vel sine Octava, prout sunt Saeculares aut Regulares [2].

2. Praeterea Officium Patroni principalis Loci proprii, id est, Civitatis, Oppidi, aut Pagi, eodem ritu recitare tenentur omnes ad Horas obligati, qui sunt dicti Loci Incolae, et in eo versantur. Quando autem peculiaris Locus non habet proprium Patronum tunc proprii Patroni vices ibi gerit Patronus Dioecesis, iisdemque gaudet juribus.

Patronus Dioecesis, qua generalis, *per se* non habet jus ad Officium in tota Dioecesi, sed hoc jus limitatur ad loca quorum est peculiaris Patronus, ut sunt Civitas episcopalis et loca quae proprium non habent. S. R. C. 6 Apr. 1658, n. 1736 [3]. Vi tamen consuetudinis, habere potest Officium ad instar minus principalium (S. R. C. *ibidem*); quinimo etiam ritus superioris, ne excluso quidem dup. I Cl. cum Octava juxta *Resp. 12 Nov. 1831, n. 4521, ad 41, in una Marsorum.*

35. II. De Patronis minus principalibus eorumdem locorum.

Officium Patronorum minus principalium, agendum est quidem ab iisdem Saecularibus, scilicet qui sunt respective locorum Incolae, sed *per se,* sub ritu tantum duplici majori, ut habetur in elencho qui supra legitur § 2. ad II. et pluries declaravit S. R. C. Cf. Cav. *t. 1, dec. 36,* scil. *26 Mart. 1639 in Baren. n. 983.* Consuetudo tamen est attendenda.

Regulares vero de Patronis minus principalibus, qua talibus nec debent nec possunt Officium recitare Cav. *t. 1, dec. 37, n. 16 et sqq.* Quod confirmatur ex S. R. C. decretis *10 Julii 1687, n. 2994, 4, et 23 Maii 1816, n. 4896, 1.*

36. Regulae hic enunciatae jam paulo latius veniunt explicandae.

Quemadmodum nonnisi duo Patroni, principaliores scilicet, *Generalis* unus, *Particularis* seu Proprius alter, feriationem habent ex jure communi, ita etiam vi Rubricarum

1) Cf. S. R. C. 17 Mart. 1663, n. 2060, et 20 Mart. 1683, n. 2870, 7.

2) Regularium nomine veniunt etiam Sanctimoniales ad chorum professae.

3) In hac hypothesi intelligendum est S. R. C. dec. *23 Maii 1639, in Caven. n. 1008, 2,* ut exponit Cavalieri *t. 1 ad hoc decret. 34, n. 3.*

iidem et soli habent jus ad Officium duplex I Cl. cum Octava. Caeteri, si adsint, ritu tantum duplici majori *per se* celebrabuntur.

Per se, quia excipiendus est casus quo habetur Indultum aut consuetudo celebrandi sub ritu superiori, ut dictum est. Praeterea excipiendus est Patronus Civitatis seu Dioecesis pro locis ubi peculiaris desideratur Patronus, cujus tunc gerit vices, ut etiam dictum est. Juvat igitur animadvertere Patronum Dioecesis dici et esse Loci Patronum, sub duplici respectu: *a)* est Patronus principalis, qua proprius, tam in Civitate, quam in locis quae proprium non habent — *b)* supposita electione aut legitima consuetudine, est Patronus minus principalis in locis quae proprium venerantur Patronum. Sepositis autem hujusmodi notionibus varia S. R. C. decreta de Patrono Civitatis seu Dioecesis data, facile haberentur tanquam sibi repugnantia quae reipsa tamen sibi non opponuntur. Cf. Cav. *tom. 1, dec. 34, n. 3, cit. et dec. 35, n. 3.* [1], et Gardellini *ad n. 4455, 1.*

37. Dicendum nunc venit quare Regulares Octavam non faciant de principaliori Patrono tam Regni, quam proprii Loci, et quare nullo modo iidem debeant aut possint recitare Officium de Patronis locorum minus principalibus, *qua talibus.* Ratio hujus disparitatis, inter utrumque clerum, oritur ex ipsa rei natura, uti manifestum fit ex sequentibus.

Regulares, cum non sint Dioecesi, sed suo Ordini addicti, nec debent, nec possunt [2] Calendarium dioecesanum

1) Hoc ipso, ait l. c. quod peculiaris Patronus alicubi habetur, relate ad ea loca Patronus Civitatis patrocinium non gerit, ac consequenter deperdit titulum, vi cujus officium sibi vindicat; quapropter nisi aliunde eidem officium debeatur, nihil de Patrono Civitatis faciendum venit. Quod si Civitatis Patronus inter dictorum locorum Patronos annumeretur adhuc, utique non inter Patronos principales, cum unius loci plures hujusmodi Patroni esse non valeant, sed inter minus principales, et hoc in casu de eo officium instituendum est sub ritu duplici majori tantům sine octava, quemadmodum *stante consuetudine* faciendum esse praesens mandat Sanctio, ac de Patronis minus principalibus Romanae praescribunt Rubricae.

2) „Nam; inquit adnotator ad collect. Gardell. *n. 4455,* illud *non teneri — non tenentur,* idem sonat, ac *non debere — non posse — non debent — non possunt.* Ita expressio illa, quae in praefatis Decretis occurrit, intelligenda est, ut nec facultatem relinquat peragendi octavam *ad libitum.*“ Ita etiam Caval. *tom. 1, dec. 38, n. 2.*

sequi, sed ipsis proprium est servandum; ut dictum est supra. Cf. S. R. C. *20 Mart. 1683, n. 2870, 1.* et *15 Jul. 1769, n. 4200.* Itaque nisi constiterit aliquod officium dioecesanum ad ipsos pertinere, illud recitare non possunt.

Eos autem teneri recitare sub ritu dup. I Cl. officium Principalioris Patroni tam Regni, quam proprii loci, pluries declaravit S. R. C. sive in genere, sive respondendo ad casus particulares. Cf. *dec. 20 Mart. 1683 cit. et 23 Mart. 1709, n. 3654.* Regulares teneri sub dup. I Cl. recitare de Patrono principali Loci, per infinita propemodum Decreta, inquit Caval. *tom. 1, dec. 37, n. 7,* determinatum existit. „Hujus rei, prosequitur *n. 8,* ratio quidem plurima est. Tum quia est ex praecipuis, ac primariis loci festivitatibus, adeoque ex iis, quae ab omnibus loci Incolis decent custodiri; si enim in hujusmodi festis ad uniformitatem servandam voluit Urbanus VIII in saepe laudata Constitutione omnes etiam Regulares, et prius ipso Concilium Tridentinum *sess. 25, cap. 12* ad festivationem teneri, utique eadem uniformitas exigit, ut etiam ad officium de iisdem teneantur. Tum ne Populus, qui in dictis festis ad Regularium Ecclesias accedit, Missas et Officia divina de iisdem auditurus, in sua expectatione decipiatur, et ut ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur, quam si ad reliquas loci confluat Ecclesias, quemadmodum ponderat Gavantus *loco cit. num. 5.*“ Duas subjungit rationes, quae hic praetermittuntur.

38. Quod vero attinet ad Octavam Patroni principalis Loci et ad Festum minus principalium, nec simile Ecclesiae praeceptum existit [1], nec par occurrit ratio. Quod jam sufficere videtur, ut dicta Octava et Officium sint stricte et exclusive dioecesana, ac proinde Regularibus prohibita. At insuper praeceptum prohibens satis exprimitur in duobus citatis decretis *23 Mart. 1683* et *15 Jul. 1769,* ubi declaratur „Regulares teneri *tantum* ad recitationem Officii proprii Patroni *Principalis*, et Titularis Ecclesiae Cathedralis, necnon Protectoris Civitatis [2].“ Cf. alia dec. *cit. ad Regul. II.*

1) Difficultates quidem movet Guyetus. Sed vid. Cav. *dec. 37, n. 16 et sq.*

2) Apud Cav. refertur, ex Merato, decretum, ordine 37, *in una Ord. Minor de Observ.* datum *24 Jan. 1682,* ubi declaratur quod „Religiosi de Patronis minus principalibus non tenentur recitare, nisi sint descripti in Calendario Romano; vel in dictorum Re-

Praeterea adest hujus prohibitionis congrua ratio. Cavalieri, ad *decretum 37* (de quo hic in nota), *n. 16*, exponit sententiam oppositam Guyeti. Deinde, *n. 17*, sequentia subjungit. „Quae licet ita sint, adhuc officium dictorum Patronorum noluit S. Congregatio apud Regulares esse in praecepto; consideravit enim, quod Festa illorum non sunt ex praecipuis, ac primariis loci festis, et quod ex eorumdem inobservantia, quae apud Regulares eveniat, exoriri non possunt vehemens scandalum, aut offensio in populo, qui ad horum confluit Ecclesias; hinc cum praefati Regulares aliunde sint valde occupati in Sanctorum indigenarum celebratione, et adeo aliqui, ut intra annum cuncta, ad quae tenentur, persolvere nequeant Sanctorum officia, vel saltem aegre, et cum maximo incommodo ferialis officii, suppressione feriarum majorum, officii parvi B. Mariae, Defunctorum, etc. haud aequum existimavit, quid ulterius oneris, supra asserta primaria locorum festa, Regularibus imponere circa Sanctorum locorum et Dioecesium, in quibus morantur, officia, sed eosdem, uti ab Episcopi loci jurisdictione exempti sunt, ita a loci officiorum recitatione voluit exemptos, eos liberando a lege, si quae est, Rubricarum, quae eosdem posset adstringere." Similes rationes allegavit, *dec. 35, n. 1*, ob quas Ecclesia exemerit Regulares a celebranda Octava Patroni Principalis.

Dicta de Patronis minus principalibus, intelligenda sunt de illis *qua talibus*. Eorumdem enim Officia procul dubio recitanda erunt etiam ab ipsis Regularibus, si vel habeantur in Calendario Romano aut Regulari, vel concessa fuerint pro utroque Clero Dioecesis.

Infra ad Titulos proprios *7 et 35*, dicetur quomodo celebranda sit Octava Patronorum, et agetur de eorum commemoratione inter suffragia Sanctorum facienda.

Ex dictis, in hoc duplici puncto, colligi poterit in quo Patronus vel Titulus *Ecclesiae* et Patronus *Loci* conveniant vel discrepent. Ad hoc in memoriam revocentur et inter se conferantur quae passim dicta sunt de eorum Notione, Origine seu Constitutione, Pluralitate, Mutatione, Feriatione seu Praecepto, et Officio.

In dubio utrum aliquis Sanctus sit *Ecclesiae* vel *Loci*

ligiosorum Proprio." Sed hoc decretum non legitur saltem sub illa data, in collectione Gardelliana.

Patronus, utile erit investigare an habuerit feriationem, et an haec fuerit observata ex praecepto aut ex devotione tantum.

Absolutis, quae de Patronis et Titulis erant dicenda, reassumitur exponendus ipse Rubricarum textus.

§ IV. DE DIE ET MODO CELEBRANDI OFFICIUM DUPLEX.

Rub. 2. Festum duplex celebratur eo die, quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum.

Quaeritur quis sit et dicatur ille dies, *quo*, juxta hanc Rubricam *cadit Festum?*

R. Est dies quo recolitur aliquod Mysterium ex institutione Ecclesiae, aut dies natalis Sanctorum, vel alius qui in Martyrologio est, pro Festo, notatus, aut Decreto Apostolico vel legitima consuetudine assignatus. Circa quae nonnulla veniunt notanda.

I. *De die celebrandi Festum SS. Salvatoris et B. M. V. qua Titularium.*

1° Dies Festi Titularis Ecclesiae, SS. Salvatori dicatae, est sexta Augusti, qua recolitur Transfiguratio D. N. J. C., uti, non obstante consuetudine celebrandi alia die, declaratum fuit a S. R. C. *in Aquipendien. 23 Maii 1835, n. 4589, 2*, juxta Decretum *in Varmien. die 29 Nov. 1775, n. 4110, 4.* Cf. adnotata apud Gardellini, *circa finem n. 4589, 2, cit.*

Ex Decreto autem *17 Sept. 1803* deduci nequit, attento praesertim decreto cit. *23 Maii 1835*, consuetudinem, alia die celebrandi dictum Festum, servari posse etiam extra casum pro quo datum fuit rescriptum.

2° Quando B. Virgo in Patronam eligitur absque adjuncta denominatione alicujus Mysterii, de quo Festum speciale celebretur, tunc Festum Assumptionis B. M. V. habendum est pro Titulari, juxta dec. S. R. C. *10 Mart. 1787, n. 4278, 1 et 2.* Cf. dec. 2 Maii 1654, n. 1556, et 14 Maii 1707, n. 3623, et Cav., *dec. 38, n. 37 sqq.*

II. *De die natali aut assignato Festis Sanctorum.*

1° *De die natali.* „Diem, qui natalis in Martyribus dicitur, inquit Cavalieri *tom. 1, cap. 11, n. 1,* in Confessoribus, vel non Martyribus, depositionem seu transitum antiquitas frequentius appellavit; hinc D. P. August. ser. 114. de Diversis, S. Cyprianum laudibus prosequens, haec habet: *Quod nomen sic frequentat Ecclesia, id est natales, ut natales*

vocet pretiosas Martyrum mortes; mortes autem Martyrum natales dictae sunt, eo quod, ut ait Eusebius Emissenus, seu potius Eucherius Lugdunensis homil. 50, in Gen. *Martyrium, dum eos ingerit morti, gignit aeternitati, et perpetua iis gaudia brevi dolore parturit.* In Confessoribus autem transitus, seu depositio dictae sunt, quod eo die *de terra in caelum abierint, de dolore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, et stabiles, et aeternas,* ait eleganter more suo Petrus Chrysologus serm. 129. Hinc Ambrosius serm. de depositione S. Eusebii, depositionem sic definit: *Quid est depositio? Non illa utique, quae sepeliendis in terra membrorum reliquiis, Clericorum manibus procuratur; sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad caelum, terrenum corpus exponit.*

Addit *n. sq.* „Obtinuit tamen usus, ut quamvis depositio nonnisi de Confessoribus dicatur, natalis tamen de quocumque Sancto etiam non Martyre indifferenter usurpetur. Sic in Martyrologio legitur, natalis S. Pauli I Eremitae *10 Januarii*, natalis S. Hilarii *13 ejusdem*, natalis S. Athanasii *2 Maii*, et alias saepissime. Nec immerito; nam ut addit citatus supra Ambrosius: *Depositionis ipsa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris.*" Caetera vid. *ibidem.*

Cum eodem „advertere hic lubet, quod summae olim curae fuit Ecclesiarum Antistibus Natalem, illum scilicet, quo quisque Sanctus sive martyrio, sive spontanea morte ex hac vita decedens, ad caelestum transiit, Sanctorum diem annotare; eo fine, ut recurrente singulis annis ipso eodem die, solemniis illorum memoria in sacris mysteriis recoleretur: hinc Cyprianus in Epist. 37 ad Presbyteros, et Diaconos Ecclesiae Carthaginiensis, *Denique,* inquit, *et dies eorum quibus, excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et Divus Parens Augustinus serm. 13. de Diversis habet: *Quid est hoc Fratres: Quando natus est, ignoramus et quia hodie passus est, natalem hodie ejus celebramus: sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus; illo enim traxit originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum.*" *Tom. 1, cap. 4, dec. in ord. 45, n. 15.* Cf. quae idem dicit *cap. 11.*

2° *De alio die* per Rubricas aut legitimam consuetudinem assignato, ad celebrandum Festum.

Ecclesia tantum curavit celebrare Festa Sanctorum in

ipsorum die natali, ut, nonnisi data gravi causa, aliam diem quandoque ad hoc assignaverit. „Quoniam vero, ait Cav.: *tom. 1, dec. 97, 1,* etsi solemnitates Sanctorum in die eorumdem obitus Ecclesia in usum semper celebrare habuerit, nonnunquam tamen alteri a natalitia debuit easdem consignare, vel quia ea per aliud festum novem lectionum impedita foret, vel quia incideret in tempus, in quo nulla Sanctorum festa admittere Ecclesiae disciplina ferebat, aut alia de causa, ut non semel alibi observavimus." Dies autem ita assignati, habendi sunt tanquam natalitii. „Nam licet dies illi ut supra assignati, non sint vere dies obitus, sunt tamen dies ad recolendum diem obitus ab habente potestatem legitime destinati: in iisdem officium de die obitus, et non sub alio instituitur titulo." Cav. *ibidem.*

Unde S. R. C. die 28 Nov. 1682, n. 2858, 1, *in Neapolitana*, respondit, *Affirmative*, ad dub. 1, quod sic sonat: „An dies natalitii ii omnes habendi sint, qui, licet vere non sint dies obitus, tamen in Calendario praedicto fixi, aut uti propria sedes, et cuicumque festivitati alicujus Sancti, Decreto Apostolico assignati sunt?

Quod Decretum S. R. C. refertur et exponitur a Cavalieri *tom. 1, in ord. 97.* Ibi Lector multa reperiet quae in subsequenti brevi expositione ejusdem Decreti praetermittuntur. Hic sequentia tantum adnotantur.

Haec verba, *in Calendario praedicto*, non leguntur apud Cavalieri, neque apud Merati, unde ille exscripsit Decretum. Habentur autem apud Gardellini; et illud Calendarium, de quo in dubio, est Calendarium proprium, quod, in prooemio causae citatae, dicitur ab Apostolica Sede approbatum.

Fixi. De regulis juxta quas Festa reponenda sunt *ad diem fixum*, dicetur infra ad titulum X *de Translatione.* Ibi etiam dicetur quid juris quando a S. Sede novo Officio assignatur dies jam occupata ab alio officio.

Decreto Apostolico. Haec verba sumuntur a Cavalieri in sensu lato, nempe pro generalibus Decretis. „Sunt autem, ait *n. 7*, per Decretum Apostolicum assignati nedum dies illi, qui in prima festorum concessione, vel postmodum fuerunt specialiter per Sedem Apostolicam delecti, verum etiam qui per Sacram Congregationem, quae non sua emanat Decreta nisi vi Apostolicae potestatis sibi factae; quinimo eadem de causa qui assignati veniunt in particularibus Ecclesiis vigore Decretorum, Sanctorum perpetuo trans-

latorum immutationem concedentium, cum propria auctoritate non eam attentent, sed ratione ut supra Decretorum, quae non minus sapiunt de Apostolica potestate."

Quamvis hic sensus non videatur a S. Congregatione intentus, cum in dicto decreto agatur de diebus assignatis in Calendario a S. Sede approbato, ut observatum est, nihilominus *in se* verus est. Siquidem in reponendis Festis ad dies fixas, servandae sunt regulae a S. Sede constitutae.

In responso dicitur: *Legitima consuetudine* assignatus dies. De hoc modo quo assignetur dies celebrandi Festum, Cavalieri *tom. 1, dec. 45, n. 19 et sq.* sequentes ponit et solvit quaestiones:

Quid faciendum erit, 1° si dies mortis ejus, sive natalitius, in legitimo usu propriorum locorum, alius sit ab illo, qui in Breviario, vel Martyrologio Romanis reperitur notatus — 2° si Sanctus descriptus quidem sit in Martyrologio Romano, sed non ea die (quod sciatur), qua ejusdem contigit abitus; cujusmodi est S. Elisabeth, Joannis Baptistae parens, quae die 5 Novembris, cum dies ejus natalis nesciretur, una cum viro suo recensetur; qua etiam de causa, observat Baronius *in Notis ad Martyrol. die 12 Februarii,* ea die trium Sanctorum nomine Modestorum coacervationem a Majoribus esse factam. Cf. etiam *dec. 52 l. c.*

DE MODO CELEBRANDI OFFICIUM DUPLEX.

Rub. 3. Habet primas et secundas Vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officii, et totum Officium fit de Duplici incipiendo a primis Vesperis, usque ad Completorium sequentis diei inclusive: nisi aliter in propriis locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum et Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.

Rub. 4. In utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus tantum, non autem in aliis horis, duplicantur [1] Antiphonae, id est integrae dicuntur in principio et in fine Psalmorum.

Rub. 5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis, et totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, et tres Lectiones, praeterquam in Paschate Ressurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum

1) Inde, ut dictum est, repetenda videtur origo vocis, *duplex.*

Nocturnum cum tribus Psalmis, et totidem lectionibus, ut ibidem ponitur.

Rub. 6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de sancta Maria, Apostolis et Pace ad Vesperas et Laudes non dicuntur in Officio Duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.

Rub. 7. Quomodo sit ordinandum Officium duplex in Vesperis, Matutino et caeteris Horis; similiter et de Antiphonis, responsoriis, Versibus, Capitulis et aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propriae Rubricae.

TITULUS II.

DE OFFICIO SEMIDUPLICI.

In hoc Titulo II, de Officio semiduplici idem ordinatur, quam in Titulo I de Officio duplici: nimirum quando Officium sit semiduplex, quo die et quomodo sit agendum.

Rub. 1. Officium fit Semiduplex diebus Dominicis (1) (excepta (2) Dominica in albis, in qua fit Duplex): et diebus infra Octavas: item in festis, quibus in Calendario apponitur haec vox, *Semiduplex*, et in Festis propriis quorumdam locorum, seu Congregationum, quae solemnius apud illas, quam simplicia, consueverunt celebrari.

(1) *Diebus Dominicis*, quibus scilicet fit Officium de Dominica.

(2) *Excepta*. Hic non excipiuntur Dominicae Paschatis, Pentecostes et SS. Trinitatis, quia in eis Officium fit non de Dominica, sed de Festo.

Rub. 2. De festo semiduplici fit eo die, quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum.

Rub. 3. Habet totum Officium integrum sicut (1) Duplex, sed non duplicantur (2) Antiphonae.

(1) *Sicut Duplex*, prout tradit Rub. 3, Tit. praeced.

(2) Inde probabiliter origo vocis, *semiduplex*.

Rub. 4. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, praeterquam infra Octavas Paschae et Pentecostes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis et totidem Lectionibus. Et regulariter, quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi et totidem Lectiones; exceptis iis Dominicis, in quibus fit Officium ut in Psalterio, quae habent XVIII Psalmos, ut ibi.

Rub. 5. Quomodo sit ordinandum Officium semiduplex tam in Festis, quam in Dominicis et infra Octavas, item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis et hujusmodi aliis, et quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes, habentur inferius de singulis propriae Rubricae.

TITULUS III.

DE OFFICIO SIMPLICI.

Rub. 1. Officium fit simplex [1] in diebus ferialibus, quando occurrit fieri de Feria; item in Festis, quibus in Calendario non apponitur haec vox *duplex* vel *semiduplex*, vel *de Octava;* item quando fit de beata Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicetur.

Rub. 2. De festo simplici fit eo die, quo cadit; nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum, vel de sancta Maria in Sabbato, vel de aliquibus Feriis, quibus Festum simplex cedit, ut dicetur in Rubricis de Feriis et Commemorationibus.

Rub. 3. Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi feriales, et a Capitulo fit de Festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit

1) „Durandus lib. 7, cap. 1 usurpat hanc vocem *Simplex.* Antea vocabant Officium trium lectionum. *Microl. cap. 44 et Radulph. propos. 17.*“ Gav.

Sequentia addit Merati: „Festa Simplicia, inquit, ita appellata a Durando, quod simplici, seu minus solemni ritu celebrentur; alio nomine nimirum etiam Festa trium Lectionum appellata fuere. Primo, et per se, Festum Simplex Duplici olim veluti opponebatur, ut aliud diceretur novem Lectionum, seu Officium plenum, simplex vero appellaretur Officium trium Lectionum tantum. Postmodum dictum Officium novem Lectionum etiam semiduplex nuncupatum fuit, et alia nova classis Officiorum inducta est media inter Officium Duplex, et Simplex. Patet igitur utrumque non ex aequo Duplici opponi: Semiduplex enim est medium quid inter Duplex, et Simplex, ita ut conveniat cum Duplici, quia gaudet Officio integro, et pleno novem Lectionum, et trium Nocturnorum, et ob eamdem rationem opponatur Simplici, quod unum tantum Nocturnum, et tres dumtaxat in suo Officio habeat Lectiones; quia vero Semiduplex nec Antiphonas, nec alia solemnitatis indicia duplicat, Simplicis potius, quam Duplicis rationem participat. Simplex igitur sic in uno cum Semiduplici convenit, ut in utroque a Duplici discrepet.“

sola commemoratio, ut dicetur in Rubrica, de concurrentia Officii; et ejus Officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.

Rub. 4. Ad Matutinum post Invitatorium et Hymnum de Festo, dicitur unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis ut in Psalterio, secundum Feriam, quae occurrit, et tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.

Cf. Tit. XIII, Rub. 7 et sqq.

Rub. 5. Quomodo sit ordinandum Officium simplex ad Vesperas, Matutinum, et alias Horas; item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis et aliis, ac quando Preces, et Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriae Rubricae.

TITULUS IV.

DE DOMINICIS [1].

Rub. 1. Dominicae I cl. excludunt quodcumque Festum dup. II cl., non vero I cl.; Dominicae Minores solummodo Festum semiduplex. — *Rub.* 2. Secluso privilegio, quale habent quatuor Dominicae seu Octavae, in Dominicis *infra* Octavas sit Officium de Dominica. Sed, regulariter, secus *in die Octava.* — Dominica *vacans.* — *Rub.* 3. Numerus Dominicarum post Epiph. et post Pentecost. — Nulla earum vacat. — *Rub.* 4 et 5. Ratio ordinandi dictas Dominicas, ubi contingit eas esse pauciores quam sex post Epiph., et ideo plures quam 24 post Pentecosten. — Quae dies sit libera pro aliqua ex hujusmodi Dominicis anticipanda. — *Rub.* 6. Pro Dominica 2ª post Epiph. remittitur ad specialem Rubricam. — *Rub.* 7. Quae sit Dominica 1ª mensis quoad initium libri de Scriptura. — Haec computandi ratio non est extendenda ad Festa celebranda in aliqua Dominica mensis. — *Rub.* 10, 11 et 12 tradunt cujus ritus sit Officium Dominicae, quomodo sit Ordinandum, etc.

1) Catechismus Romanus, *P. III*, *Cap.* 4, *q.* 18, inquirit, quare Apostoli non septimum hebdomadae diem, sed primum divino cultui consecraint.

R. Placuit autem Ecclesiae Dei, ut diei Sabbati cultus et celebritas in dominicum transferretur diem. Nam ut eo die primum lux Orbi terrarum illuxit, sic Redemptoris nostri, qui ad vitam aeternam nobis aditum patefecit, resurrectione, quae eo die fuit, e tenebris ad lucem vita nostra revocata est; unde et dominicum diem apostoli dici voluerunt. Solemnem praeterea hunc diem esse in sacris litteris animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quodque Spiritus sanctus discipulis datus sit.

Dominicae, ut habetur in tabella supra tradita *Tit. I, § II, ad I,* dicuntur aliae *Majores*, aliae *Minores* seu per annum. „Majores sunt, inquit Merati *h. l.*, illae, in quibus praecipua Creationis, et Redemptionis Mysteria recoluntur; nimirum Dominicae Adventus, et quae occurrunt a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, et praeterea Dominica Pentecostes et Sanctissimae Trinitatis; Dominicae minores, sive per annum sunt reliquae, quae per totum anni decursum occurrunt."

Dominicae vero Majores, ut exhibet tabella citata, dividuntur in duas classes, prout omnia vel quaedam tantum officia excludunt. Ex Minoribus quatuor dicuntur privilegiatae, de quibus Rubrica 2. De Majoribus simul et Minoribus agit Rubrica 1.

Rub. 1. De Dominica semper fit officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque festo duplici vel semiduplici adveniente: quia tunc Festum transfertur (ut in Rubrica de translatione Festorum dicetur), nisi illud Festum sit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Ecclesiae vel loci, aut Dedicatione propriae Ecclesiae: quia tunc de hujusmodi Festo fit tantum in Ecclesia vel loco, cujus est Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio, cum commemoratione Dominicae ([1]); quibusdam ([2]) Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de Commemorantibus. In aliis ([3]) Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum duplex: quia tunc fit de Duplici cum commemoratione Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus, et ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicae, ut dicitur in Rubrica de Commemorationibus. Si semiduplex eodem die occurrat, transfertur, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum.

(1) *Cum commemoratione Dominicae,* quae sit tantum *II classis.* Si enim sit I classis, de ea fit officium, ut statim dicitur.

(2) *Quibusdam Dominicis exceptis,* quae sunt nimirum *I classis.* Referuntur supra, *in tabella cit.*, et infra *Tit. IX de Commemorationibus Rub. 3.*

(3) *In aliis,* scilicet in *Minoribus.*

Rub. 2. De Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi occurrentibus, Officium fit sicut infra octavam ([1]), et in proprio de Tem-

pore, cum commemoratione Octavae, et sine precibus et suffragiis Sanctorum. In Dominicis vero, quae occurrunt infra alias Octavas, totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio et in proprio de Tempore, cum commemoratione Octavae, omissis etiam dictis precibus et suffragiis, ut supra. De Dominica occurrente in die octava fit commemoratio, sicut dictum est, quando in ea fit de Festo duplici, praeterquam in die octava Epiphaniae, in qua nihil (2) fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato praecedenti.

(1) *Officium fit sicut infra Octavam.* Per privilegium tribuitur officium de Octava hisce Dominicis, quae propterea apud A. A. dicuntur privilegiatae, inter *Minores.* Cum tamen in casu Officium Dominicae partim cedat officio diei infra Octavam, rectius diceretur privilegiata haec dies seu Octava, quam ipsa Dominica. Sed haec observatio est tantum de nomine.

(2) *In qua nihil fit de Dominica,* quae ideo dicitur vacare seu *vacans* illo anno. „Dominicae vacantes, ait Merati *h. l.* dicuntur illae, de quibus nihil omnino fit in Officio currentis diei, uti contingit quando Festum *Nativitatis,* aut *Circumcisionis,* aut *Epiphania Domini,* vel *Festa,* aut *Octava Sancti Stephani,* vel *Joannis Apostoli,* aut *Innocentium MM.* vel denique *Vigilia Epiphaniae* in *Dominicam* incidunt: Tunc enim quia in Officio ejusmodi Festorum, vel dierum *de Dominica,* in qua occurrunt nihil fit ne quidem Commemoratio, ideo Dominica eo anno vacare, seu *Dominica vacans* dicitur. Non *Vacantes* dicuntur illae, quae vel totum Officium, vel saltem Commemorationem, et Lectionem Evangelii, de suo Officio habent. Gavantus num. 4 rationem reddit cur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam dantur hujusmodi Dominicae vacantes [1].“

1) Sequentia scribit Gavantus *n. 4 cit.* „Quaeritur, cur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam inclusive dantur Dominicae, in quibus nulla prorsus contigit fieri de iisdem commemoratio, unde, et in Calendariis dicuntur Vacantes? Ratio dubitandi est, quia sicut occurrente Festo S. Sylvestri in Dominica fit de Festo cum commemoratione Dominicae; ita in Festo (puta S. Joannis) occurrente in Dominica, poterat idem fieri. Verum incongruum erat, si occurreret Festum Nativitatis, vel Circumcisionis, vel Epiphaniae in Dominica, quod una simul cum Festo Domini fieret commemoratio eodem die de Festo ejusdem Domini, quod est Dominica; in gratiam autem Nativitatis Domini, et Circumcisionis fuit ordinatum, quod nec

Rub. 3. Positum est autem Officium sex Dominicarum post Epiphaniam, et viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quae esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quae aliquando supersunt post Epiphaniam ante Septuagesimam, ponuntur post XIII. a Pentecoste, hoc ordine.

Rub. 4. Si Dominicae post Pentecosten fuerint XXV, Dominica XXIV. post Pentecosten erit, quae est VI. post Epiphaniam [1]. Si fuerint XXVI, Dominica XXIV. erit, quae

in tribus Festis, et Octavis diebus S. Stephani, S. Joannis, et SS. Innocentium haberetur ratio Dominicae occurrentis, de qua tamen infra Octavam, tanquam de Dominica impedita, fit Officium post Festum S. Thomae, vel in Festo S. Thomae, hoc eodem translato in Feriam sequentem, et ita congruit Evangelium, quod legitur ratione Dominicae, legi post natum Christum, non eodem veluti nascente per quamdam repraesentationem. Eadem ratio militat in Vigilia Epiphaniae, et in Epiphania, in quibus si occurrit Dominica, ea vacat, neque habet Evangelium, quod tempori conveniat, neque consequenter commemorationem: imo neque ex textu Evangelico decerpi potuit, quod legeretur convenienter in Dominicis occurrentibus intra haec Festa, ut rite consideranti patet (Evangelium autem est caput totius Officii, ait *Rupert. lib. 1, cap. 37*) et ea, quae leguntur in Dominica infra Octavam Nativitatis, et in Vigilia Epiphaniae anticipate leguntur, cum ea contigerint post Purificationem Beatae Virginis, ut patet in textu Evangelico S. Lucae, et Sancti Matthaei.«

Haec congruentiae ratio, a Gavanto allegata, fundata videtur, quamvis id neget Lohner *h. l.* Hic nempe contendit *totam* hujus Rubricae causam in arbitrium Ecclesiae esse referendam.

1) Ex hac Rubrica, Dominicae dividuntur in *Vagas* et *Fixas*. »Vagae dicuntur, ait Merati h. l. n. 1, illae, quae nec certum cum aliis ordinem, nec certum *Introitum,* nec alia determinate necessaria (puta *Offertorium, Graduale et Communionem*) in Missa habent, et post longum tempus transferuntur: tales autem sunt tantum Tertia, Quarta, Quinta, et Sexta post Epiphaniam, utpote quae subinde post Epiphaniam, aliquando vero longe post Pentecosten celebrantur, habentque alium *Introitum,* aliud *Offertorium,* et aliam *Communionem* si celebrentur, seu suppleantur post Pentecosten, quam habeant si celebrentur statim post Epiphaniam. Reliquae vero omnes ob rationem contrariam *Dominicae fixae* dicuntur, nisi prioribus addenda etiam sit Dominica XXIII. post Pentecosten, eo quod et ipsa proprium in die Dominico aliquando non habet locum; id quod contingit,

est V; et XXV. quae est VI. Si fuerint XXVII, Dominica XXIV. erit, quae est IV; et XXV, quae est V; et XXVI. erit VI. Si fuerint XXVIII, Dominica XXIV. erit III; et XXV. erit IV; et XXVI. erit V; et XXVII. erit VI; et ultimo loco semper ponitur, quae in ordine est XXIV. post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi XXIII. Dominicae. Tunc enim XXIV. ponitur loco XXIII, et Officium XXIII. ponitur in praecedenti Sabbato, quod non sit impeditum ([1]) festo novem Lectionum; alioquin in alia praecedenti ([2]) die similiter non impedita, in qua fiat officium de Feria ([3]), cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea leguntur tres Lectiones de Homilia Dominicae, omissis Lectionibus scripturae illius feriae; et in laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, et oratio de Dominica XXIII. Quod si tota hebdomada impedita sit festis IX Lectionum, etiam translatis ([4]), vel aliqua Octava ([5]), tunc in Sabbato ([6]), legatur IX. Lectio de Homilia Dominicae XXIII, et de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona et oratione propria.

(1) *Quod non sit impeditum festo novem Lectionum.* Hic comprehenduntur Festa 9 lectionum etiam translata, vel de die infra aliquam Octavam, ut habetur in fine h. Rubricae. Secus autem dicendum de Officiis *votivis* et de Festis *ad libitum.*

1° Ex Rescripto S. R. C. *20 Mart. 1706, Urbis et Orbis n. 3592, 1,* constat non posse in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicae, celebrari Officia quae Congregationibus, Religionibus, etc. conceduntur a S. Sede ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus per annum, non impeditis, celebrentur v. g. de SS. Sacramento, de Beata vel de aliis Sanctis [1].

2° Idem tenendum de Festis *ad libitum.* Nam S. R. C. *die 4 Apr. 1705, in Lycien. n. 3569, 5,* respondit „*Esse omittenda Officia Sanctorum ad libitum.*“ Generale autem erat dubium, hisce propositum: An Officia Sanctorum ad libitum sive duplicia, sive semiduplicia occurrentia *in die,*

quando post Pentecosten usque ad Adventum numerantur solum XXIII Dominicae.

1) Hujusmodi Officia dicuntur *Votiva,* quia non ex praescripto Rubricarum, sed, extra Rubricarum ordinem, ex peculiari Indulto seu Privilegio *ad votum* postulantium concesso, recitantur.

quo fieri debeat Officium de Dominica anticipanda ante Septuagesimam, vel ante Dominicam XXIV post Pentecosten, sint transferenda, vel potius omittenda, vel in die illa Officium praedicti Sancti ad libitum recitandum, et solum sit facienda commemoratio illius Dominicae?

Hoc decreto implicite revocatur aliud in contrarium datum, *die 20 Sept. 1681, n. 2817 in Meliten.* Negat quidem Deherdt, *p. 4, n. 14, 4, not. 2°,* ubi conatur utrumque decretum conciliare, quasi ageretur de diverso casu. „Prius scilicet, juxta ipsum, agit de officio ad libitum occurrente in aliqua feria ante Sabbatum, et posterius de officio ad libitum, in ipso Sabbato occurrente." Sed, ut patet legenti dubium, posterius decretum agit de quocumque die, ac proinde non de *solo* Sabbato in quo anticipandum sit officium Dominicae.

Caeterum afferri possunt rationes congruentiae, quibus adducta fuerit S. R. C. ad revocandum dictum, decretum 20 Sept. Nam *a)* congruit ut officium quod est tantummodo *ad libitum* et omittitur quando in propria die est impeditum, cedat locum illi quod ita est in praecepto ut, propria die impedita, in alia sit recitandum. Insuper cum officia *ad libitum* sint *quasi votiva, b)* congruit, ut quantum fieri possit, iisdem etiam subjaceant regulis.

Duas tamen exceptiones admittit Cavalieri, *tom. 2, dec. 121.* Ibi *n. 2* miratur quomodo Merati, qui hoc Decretum in suum indicem invexit, *sect. 6, cap. 8, n. 5,* adhuc arbitrio committat, vel recitare de Dominica anticipanda cum omissione officii ad libitum, vel de officio ad libitum cum commemoratione Dominicae. Deinde *n. 3 et 4,* duplicem ponit exceptionem. „Valeat tamen Merati sententia, ait, pro casu, in quo intra hebdomadam detur dies altera libera, in qua officium Dominicae celebrari queat; tunc enim et nosmetipsi omissionem festi ad libitum liberam noscimus, non necessariam, cum adhuc servetur intentio Decreti, parandi scilicet locum Officio Dominicae, quod alias cum sola commemoratione deberet peragi, nec necessarium esse possit cum alieno incommodo consulere alicujus commodo, quod adhuc aeque bene haberi potest."

„Amplia etiam ad casum totius hebdomadae impeditae, in quo adsit translatum aliquod, quod statim occuparet diem per omissionem festi ad libitum factam liberam: officium quippe hujusmodi Dominicarum ex Rubrica IV *de*

Domin. n. 4 cedit cuicumque translato; quare cum tunc officium Dominicae adhuc impeditum maneat, non minus ac si celebraretur occurrens festum ad libitum, ad hunc casum haud arbitramur adaptabile esse Decretum, cujus causa finalis, quae *ex l. cum Pater 8 Dulcissimis ff, de legat. 2* restringit, aut ampliat constitutionem ad limites suos, aeque non haberetur."

(2) *Alioquin in alia praecedenti*, scilicet quae est proximior, *die similiter*, id est simili officio 9 Lectionum, *non impedita, in qua*, pro Dominica anticipata, *fiat*, etc. Congruit, ut patet, Dominicae anticipatae officium minus, quam fieri possit, removere a propria sede. Hinc dicitur agendum in *alia*, sed non in *aliqua*, die praecedenti, in ea scilicet quae est proximior Sabbato. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 120, n. 8,* et Gav. *h. l.*

(3) *In qua fiat Officium de Feria.* „Totum officium recitandum erit, inquit Cav. *l. c. n. 10*, ut in feria currenti, perinde ac si fieret de feria; et de Dominica non legentur nisi lectiones de ejusdem homilia cum Antiphona ad *Benedictus*, et oratione propria; Responsoria ad lectiones erunt itidem de feria currenti; non dicetur hymnus *Te Deum,* sed tertium Responsorium; fient Suffragia Sanctorum, et etiam de Cruce; et ejusdem officium incipit a Nocturno, et terminatur ad Nonam instar cujuscumque alterius officii ferialis per annum. In choro recitabitur officium parvum B. Mariae, et si sit prima dies mensis non impedita, etiam officium Defunctorum. Diximus Responsoria debere esse de feria currenti, quod tamen intellige, dummodo Dominica anticipata non habeat propria Responsoria, quae nondum sint posita, quia in hujusmodi casu tria Responsoria primi nocturni Dominicae legi deberent; licet enim id non innuat producta Rubrica, eruitur tamen ex Rubricis aliis, et Auctoribus." Cs. Gav. *h. l. n. 9.*

(4) *Etiam translatis.* Quod fuit in postrema Breviarii recognitione additum, inquit Gavantus *n. 9.*

(5) *Aliqua Octava.* Quod intelligendum venit de tota Octava, ac proinde de diebus infra Octavam.

(6) *In Sabbato,* licet occurrat duplex I Cl. „In duplicibus primae classis, inquit S. R. C. *(4 Sept. 1746, n. 4026, 6)*, semper fit commemoratio Dominicae occurrentis, de qua etiam legitur Homilia, ne omittatur, etiam in Sabbato im-

pedito Officio primae classis, si occurrat anticipari Officium Dominicae.“

Rub. 5. Cum vero interdum contingat, ut Dominica III, vel IV, vel V, vel VI post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post XXIII a Pentecoste, tunc de ea fit Officium in Sabbato ante Dominicam Septuagesimae, ut dictum est supra, numero praecedenti.

Rub. 6. De Dominica II post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediate post Octavam Epiphaniae, quomodo agendum sit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam I post Epiphaniam.

De hac Dominica, praesenti Rubricae inhaerendo, proprio loco agemus. Hic satis erit observasse hanc, quoad anticipationem, hoc, prae caeteris Dominicis anticipandis, gaudere privilegio ut, juxta peculiarem Rubricam, aliquando ei cedat Festum semiduplex.

Rub. 7. Cum autem in proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est cum Responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam Dominicam mensis, quae venit in Calendis illius mensis, vel est proximior (1) Calendis, hoc modo: si Calendae venerint in II, et III, et IV. Feria, Dominica prima mensis erit, quae praecedit Calendas, licet veniat in praecedenti mense: si autem Calendae venerint in V, et VI. Feria, et in Sabbato, prima Dominica erit, quae sequitur post ipsas Calendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ex ea, quae est proximior Calendis Decembris, sed Festo sancti Andreae, vel quae venerit in ipso festo.

(1) *Proximior Calendis.* Haec computandi ratio limitanda est, ad casum peculiarem de quo agit praesens Rubrica, nec extendi potest ad Dominicas quibus affixa sunt aliquod Festum, aut Officium, vel Indulgentiae. Nempe:

1° Quoad aliquod officium seu festum cuidam mensis Dominicae affixum, ea dicitur prima Dominica mensis, quae revera talis est, utpote occurrens in dicto mense. Ratio est „quod Indultorum (quibus videlicet conceditur officium, etc.) verba, ut recte arguit Cav. *t. 2, decr. 241, n. 2,* juxta eorum obvium sensum et communem intelligentiam, sunt accipienda.“ Et confirmari potest ex eo quod Rubr. dum a sensu obvio recedit, hoc ex industria monet: animadvertendum est, ait, Deinde eo ipso quod determinat quo

in casu haec extraordinaria numerandi methodus sit adhibenda, scilicet pro Dom. in qua primo ponitur initium, etc., implicite docet non esse recedendum, in casibus non expressis, a communi usu seu a computu civili. „Mensis autem [1] a prima die, quae in mense ipso, non praecedente, recurrit, communiter censetur incipere, uti et 1ª mensis Dominica putatur illa quae in mense ipso, non in antecedenti, occurrit. Unde festum Rosarii pro 1ª Dom. Octob. concessum, festum Patrocinii pro 2ª Dom. Nov., et fest. VII Dolorum B. M. V. pro 3ª Dom. Septemb. Ditionibus Austriacis indultum, censetur currere in iis Dominicis, quae respective sunt 1ª, 2ª, et 3ª, attento ordine a Dom. 1ª quae in mense recurrit, non ab ea quae proximior est Calendis mensis. Et quidem alias quanam unquam Dominica celebraretur praedictum festum Patrocinii, quando Dominica quae est secunda Novembris, attento ordine a Dom. proximiore Calendis, juxta Rubricas omitti debet?" Quae doctrina, caeterum in se satis clara, sancita fuit a S. R. C.; haec enim *11 Jul. 1739, n. 3941, in Hispan.* declaravit fest. VII Dolorum concessum pro 3ª Dom. Sept. „Indultum fuisse pro Dom. quae est 3ª mensis, et sic quae habet ante se duas in eodem mense;" et *23 Maii 1835, n. 4597, in Namurcen.* respondit 1ªᵐ Dom. Septemb. pro qua concessum est offic. S. Angel. Custod., numerandam esse juxta computum civilem. Quod iterum rescripsit *24 Sept. 1842, n. 4802 in Limburgen.*

Hac tamen non obstante regula, servari potest, ut rescribit eadem S. C. in Namurc. cit., praxis Belgii, ubi dictum officium celebratur Dominica quae est 1ª Sept. juxta computum ecclesiast.

2° Quod attinet 1ªᵐ Dominicam mensis cui annexa est Indulgentia plenaria, talis intelligenda est juxta computum civilem, propter easdem rationes, quibus accedit consuetudo, optima legum interpres.

Rub. 8. Officium Dominicae fit semiduplex (1) et incipit a primis [2] Vesperis in Sabbato: et habet totum Officium

1) Ita prosequitur Cav. *l. c.*

2) Dominicae Diei celebrationem iniere Christiani a Vespere Sabbati, in quo sane a Paganorum Liturgia discedere studuisse videntur; Pagani siquidem Festorum initium a noctis dimidio sumebant. Itaque Dominicus dies sanctificabatur a Vespere diei Sabbati usque ad Vesperam Dominici diei. Festum igitur

integrum usque ad Completorium Dominicae inclusive, nisi cum aliquo concurrat, ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officii.

(1) *Fit semiduplex.* Ritus Officii Dominicae, etiamsi haec sit I classis, est tantummodo semiduplex. Excipienda tantum est Dominica in Albis, quae, ut dictum est Tit. II, celebratur ritu dup., et quidem maj., prout observat Merati *h. l. n. 4.* Dominicae vero Paschatis, Pentecostes et SS. Trinitatis non veniunt proprie excipiendae, cum in eis agatur Officium non Dominicae sed Festi. Caeterae igitur Dominicae Majores dicuntur I vel II Classis, quoad *exclusionem* aliorum officiorum *occurrentium*, non vero quoad *solemnitatem* seu ritum celebrandi, neque quoad *concurrentiam* cum aliis, seu *exclusionem* aliorum *concurrentium.* Earum enim Officium, ratione solemnitatis et concurrentiae, est tantum semiduplex, ut disponit praesens Rubrica. Cf. Merati *n. 4 cit.*

Rub. 9. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones, ut in proprio de Tempore.

Rub. 10. Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper et de Lectionibus, Responsoriis et aliis, et quomodo initia librorum Scripturae cum sua historia sint ponenda, habentur de singulis inferius propriae Rubricae.

TITULUS V.

DE FERIIS.

Quaedam praemittuntur de origine et notione vocis, Feria, *et de Feriarum divisione. — Rub. 1.* Quid sit Officium feriale. — Fit

exordiebantur Christiani a Psalmodia Vespertina, cui intererant, deinde Nocturnis atque Matutinis Laudibus operam dabant, ac tandem mane sacrificio aderant nemine, nisi justa de causa, excepto: *Nullus,* ait incertus auctor, Augustini nomine, serm. 231, de Dominica die locutus, *se ad Missarum sacrarum celebratione separet, neve quis domi remaneat, caeteris ad Ecclesiam pergentibus.* Vespere postremum ejusdem diei iterum Ecclesiam adhibeant ut psalmodia finem festo facerent. Ea fuit primis saeculis Christianae Religionis indoles in Cultu hujus diei. At primo res tepescere coepit, cum a Psalmodia publica abfuerunt laici; tunc enim solis Ecclesiae ministris relictus fuit antiquus mos *Dominicam* a Vespere ad Vesperam celebrandi, atque laici mane duntaxat Sacris aderant. Ita Pellicia a Fornici cit. *P. II Cap. de Dominicis.* Cf. dicenda ad *tit. 17 de vesperis.*

in Feriis *Majoribus* et Vigiliis, quamvis occurrat Festum Simplex. Secus autem in Feriis *Minoribus*. — *Rub. 2.* Incipit *a)* in Feriis *Majoribus* et Vigiliis, a Matutino — *b)* in *Minoribus*, ubi desinit officium diei praecedentis, vel incipit officium simplex, quod continuari non possit feria sequenti. — *Rub. 3* et *4*. Quomodo sit recitandum. — *Rub. 5.* Quomodo sit ordinandum, *remissive.*

Praemittenda. 1. Duplici de causa nomen *Feriae* adhibitum fuisse videtur ad significandas dies hebdomadae, videlicet: *a)* quia non decebat Christianos suas dies appellare nominibus, quae erant in usu apud Paganos aut Judaeos — *b)* praeterea Feriae nuncupatio apta est monere christianos ut a vitiis semper ferientur, et Clericos, ut ipsi, quatenus rebus divinis mancipati, non tantum a vitiis, sed etiam a rebus mundanis, imo et temporalibus, quantum fieri possit, ferientur et soli Deo vacent. Haec ab Auctoribus passim traduntur.

1° Sequentia scribit Gavantus *h. l.* „Feria a fando, inquit *Rabanus 2 Instit. Cleric. cap. 46;* quae vox apud Ecclesiasticos antiquior est Silvestro, *ex eod. ibid.* De ea *apud Tertul. adversar. Psychios. c. 8 et c. 14,* ubi ait: Nobis omnis dies etiam vulgata, consecratione celebratur; cum enim horrerent fideles nominare dies a Diis gentium, vel Judaico more a Sabbato primam, secundam Sabbati, etc., ideo ac si Dominica prima Feria diceretur, appellavere reliquos dies, Feriam secundam, tertiam, etc. retento tantum nomine Sabbati. Vacante itaque die ab aliis Christi vel Sanctorum Festis, fit de Feria, quod Officium Domini est, ut quisque intelligat, se Deo deditum, uni Deo vacare [1] debere." Gav.

1) *Feriae* nomen, quoad hanc acceptionem, potius derivatur a verbo *Feriari,* ut docet Cav. cit. De eodem vocabulo sequentia adnotat Fornici *h. l.* „*Feriae* nomen, ait, quod a gentilibus ad Christianos transiit, dies quibus ab operibus vacandum erat, apud illos denotabat. Eo propterea vocabulo loco profanorum nominum invecto, usi sunt christiani, ut nedum primam, sed caeteros dies Domino sacros esse significarent; praesertim clericis, quibus Festorum loco sunt singuli dies, cum, ob institutum eorum, omnibus saecularibus negotiis renuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare debeant, ut loquitur S. Silvester, qui hanc appellationem longe ante ipsum in Ecclesia receptam confirmavit. Et sicuti Scriptura sacra, habito ad Sabbatum respectu, singulos hebdomadae dies, dominicam, Unam sabbati; feriam vero secundam, Secundam sabbati appellat;

2° Adnotanda etiam merentur quae ad rem tradit Cavalieri *tom. 2, dec. 119, n. 8.* „Quod, inquit, dies hebdomadae feriarum nomine distinguuntur, non quidem ex institutione Sancti Silvestri Papae, ut putarunt nonnulli, inter quos Durandus *Ration. lib. 7, cap. 1, num. 11,* sed ex antiquissimo Ecclesiae usu: de hoc quippe feriae vocabulo saepe mentionem habet Tertullianus, quin et S. Ignatius Martyr *in Epist. ad Philip.* et S. Justinus Martyr *quaest. 65*, qui ante Silvestri tempora floruerunt. Sanctus itaque Silvester antiquum usum illum nonnisi suo Decreto firmavit, ut notatur in lectionibus, quae in ejus festo leguntur: *Sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquas hebdomadae dies feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit;* ubi et subditur ratio hujusce appellationis, videlicet: *Quo significaretur, quotidie clericos abjecta caeterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere.* Unde patet *Feriam* proprie dici *a feriando,* ut ait Durandus ibidem, quia nempe toto tempore a vitiis feriari debemus, et uni Deo vacare, non autem quod sit a necessariis vitae operibus feriandum. Dies itaque Dominica, in qua cessatio item ab operibus servilibus indicta est, quo melius Deo in ea vacare possimus, in hoc sensu utique feria prima est, et appellari valet, uti reipsa a Durando appellatur, licet Dominica apud Ecclesiam ab Apostolicis usque temporibus nuncupetur potissimum in memoriam Dominicae Resurrectionis ea die peractae. At sumpto *Feriae* nomine, prout in Rubricis usurpatur, nempe pro die, in quam nullum officium de festo aut alicujus festi octava incidit, Dominica feria non est, sed prout sic festum est, et Dominica appellatur.“

2. *Feriae* nomen hodiedum duplici sensu adhibetur in liturgia. Dicto nomine intelliguntur *a)* dies hebdomadae, nimirum 2ª, 3ª, 4ª, 5ª et 6ª, abstractione facta an his diebus Officium agatur de Feria aut de Festo. Sic in Rub. 4 *h. t.* dies infra Octavas Paschae et Pentecostes dicuntur Feriae, quamvis in eis fiat Officium de dictis Octavis. — Eodem nomine *b)* intelliguntur dies hebdomadae, quibus, juxta Rub. 1, non occurrit aliquod Festum duplex, semiduplex,

ita, ut inquit Augustinus in *psalm. 93, una Sabbati dies dominica est; secunda Sabbati, quam saeculares lunae diem vocant; tertia feria, quam diem Martis vocant.*“

vel simplex, et non occurrit aliqua octava, vel officium sanctae Mariae in Sabbato. Merati et alii.

3. Hoc posteriori sensu accepta, Feria dividitur in *Majorem* et *Minorem*. *Majores* autem subdividuntur in *privilegiatas* et non *privilegiatas*. Privilegiatae sunt, quae nulli alteri Officio, aut Festo cedunt, et tres sunt sequentes, nempe: primo *Feria IV Cinerum;* secundo *Feriae omnes majoris Hebdomadae;* tertio *Feriae omnes infra Octavam tam Paschae, quam Pentecostes:* Nam et dies infra utramque hanc octavam occurrentes ab ipso Breviario Romano, non tantum in Proprio de tempore, sed etiam in praesenti Rubrica *num. 4,* Feriae appellantur.

Caeterae Feriae Majores, quae Festis Duplicibus, aut etiam Semiduplicibus in iis occurrentibus cedunt, dicuntur non privilegiatae, nimirum respectu Festorum IX Lectionum. Ita Merati.

Rub. 1. Officium feriale, hoc est simplex de Tempore occurrenti, prout in Psalterio et proprio de tempore habetur, fit semper in feriis [1] Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et in Feria secunda Rogationum, quando infra hebdomadam non occurrit Festum duplex, vel semiduplex, vel de octava: quia tunc de hujusmodi Feriis [2] fit commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si vero in eis occurat Festum simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit officium de Feria illis diebus, quibus infra hebdomadam, in Calendario non ponitur aliquod Festum duplex, semiduplex, vel simplex, et non occurrit aliqua octava, vel officium sanctae Mariae in Sabbato, vel aliquod Festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Calendario hujus Breviarii non sit descriptum.

(1) Sunt enim majores.

(2) Imo si hujusmodi feriae Majores sint privilegiatae, de his agendum est officium et transferendum Festum.

Rub. 2. Officium Feriae in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis et prima die [1] Rogationum incipit a Matutino: in aliis vero Feriis per annum, inde fit de Feria, ubi desinit officium praecedentis diei, ita ut si praecedenti die fuerit duplex, vel semiduplex, officium Feriae incipiat sequenti die a Matutino: si praecedenti die fuerit Festum simplex, de Feria [2] fiat a Vesperis illius praecedentis diei inclusive. Similiter et quando in

Feria IV et VI Quatuor Temporum Septembris, et in Feria IV Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod Festum simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc praecedenti die (nisi fuerit Festum novem Lectionum) in Vesperis fit de Feria, ut in Psalterio, sine precibus (3), cum oratione Dominicae praecedentis, et cum commemoratione Festi trium lectionum, in sequenti Feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de concurrentia. Terminatur autem officium de Feria, subsequente duplici vel semiduplici, ad Nonam; subsequente vero simplice, de quo fieri debeat officium, ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo simplici absque ulla deinceps commemoratione Feriae.

(1) Id est Feria secunda.

(2) *Fit de Feria,* quia, ait Rub. 10, Tit. XI, cum Festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam praedictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in praecedenti die.

(3) *Sine precibus*, quia, in dicta praecedenti die, non jejunatur.

Rub. 3. Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum XII Psalmis, secundum ordinem Feriarum in Psalterio, et tribus lectionibus, ut in proprio de Tempore.

Rub. 4. Excipiuntur ab hoc ordinario officii ferialis tres Feriae majores Hebdomadae sanctae, et feriae octavarum Paschae et Pentecostes, in quibus fit officium, ut in propriis locis ponitur.

Rub. 5. Quomodo ordinandum sit officium de Feria ad Matutinum et alias Horas, item de Lectionibus et Responsoriis, et quando dicendae sint preces feriales, ac de aliis, quae ad officium Feriae pertinent, habentur inferius de singulis propriae Rubricae.

TITULUS VI.

DE VIGILIIS.

Quaedam praenotantur de etymologia, notione, jejunio et usu vigiliarum. — *Olim* tria generatim complectebatur Vigilia; secus *hodie*. *Rub. 1.* Quae Vigiliae habeant officium aut solam commemorationem. — *Rub. 2.* Quando officium Vigiliae est anticipandum vel omnino omittendum. — *Rub. 3.* Ubi incipit et terminatur. — *Rub. 4.* Quomodo fit. — *Rub. 5.* Exceptio.

Praenotanda. Ad Vigilias, seu ad modum easdem celebrandi tria *olim* pertinebant, scilicet: *a)* nocturna fidelium

Congregatio in Ecclesiis, *b)* Officium divinum, seu preces, cantica etc. ibi persoluta, et *c)* Jejunium [1]. Primum, id est nocturna Congregatio, est hodie generatim suppressum; Officium vero divinum fuit servatum; imo Jejunium adhuc in quibusdam Vigiliis observatur de praecepto.

1. *Vigiliae* nomen et usus explicantur cum Cavalieri „Nomen Vigiliae, inquit *tom. 2, cap. 15, n. 1,* prout ad praesens spectat, et ipsa fert nominis etymologia, a *vigilando* derivat, eo quod primis Ecclesiae temporibus solerent fideles in praecipuis festivitatibus noctem in Ecclesia divinis laudibus traducere, de qua insignis est D. P. Augustini locus in Psalmum 85: *si modo pugnamus contra nos, quamvis geramus domum somni carnem istam, et evigilamus in his luminaribus, et solemnitas ista* (S. Cypriani) *dat nobis animum vigilandi, dies illa* (aeterna scilicet), *quales nobis vigilias dabit?* Ad id alludit Plinius *in Epist. ad Trajanum,* ubi Christianorum describens mores asserit, *quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere.* Verum nocturnas vigilias crebro quidem, sed praesertim noctibus festos dies proxime praecedentibus, a Christianis fuisse actas, adeo frequentibus, et perspicuis veterum testimoniis compertum est, ut dubitari ea de re minime possit: hinc Martene *tom. 4 veteris edit. cap. 2, num. 1,* congestis pluribus sanctorum Patrum, ac Conciliorum auctoritatibus concludit: *Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo ut praecipuas solemnitates, sanctorumque festivitates vigiliis praeveniret.*"

2. „Cum tamen, prosequitur Cav. *n. 7,* abundante malitia et refrigescente multorum charitate, postmodum adeo sacrae infectae fuerint vigiliae, ut irritos Ecclesiae conatus, quae eas corrigere, et emendare studebat, effecerit populorum pravitas, et antiquae sanctitati easdem restituere posse

1) „Opinantur plerique, auctore forsan Durando *Ration. lib. 6, cap. 7, num. 8,* vigiliarum loco subrogatum fuisse jejunium. Verum in vigiliis observatum itidem fuisse jejunium, ex producto sermone S. Ambrosii, qui et refertur a Gratiano *dist. 76, C. Nosse,* luculenter eruitur: *Jejunavimus Sabbato Vigilias celebravimus, Orationibus pernoctanter insistimus;* cui et consonant, ut in re a nostro instituto quodammodo aliena paucis utamur, Sacramentorum Libri, qui S. Leoni, Gelasio et Gregorio Magno tribuuntur, in quibus omnibus mentio instituitur hujusmodi jejuniorum in Missis, quae in Sanctorum vigiliis recitandae praescribuntur." Cav. *l. c. n. 9.*

eadem Ecclesia diffideret, haec satius adjudicavit bonos praedictis emolumentis privare, quam improbis, et perditis hominibus nefariorum scelerum occasionem permittere...“

3. Hujusmodi autem abrogatio non respicit id omne, quod ad Vigiliam pertinebat, sed modum et tempus celebrandi Vigiliam: id est, abrogata fuit consuetudo vigilandi; retenta vero fuerunt officium [1] et jejunium. Postea tamen etiam suppressum fuit jejunium plurium Vigiliarum.

Quod attinet ad consuetudinem vigilandi, non constat quandonam fuerit suppressa. Juxta Cav. *l. c. n. 6,* invictis antiquitatis congestis argumentis, vigiliarum usum ad saeculum usque 12, et ultra in Ecclesia perdurasse, docto calamo late demonstrat Trombelli *tom. 1, par. 2. de cultu Sanctor.*

4. „Quod certi, prosequitur Cav. *n. 8,* hac in re statui valet, et quod nullo Concilii generalis aut Romani Pontificis Decreto vigiliae sublatae fuerunt: desiere fere tamen, sed non ubique una simul; sed plus minusve, juxta Regionum diversitatem, perdurarunt. Diximus *fere desiere,* quia earumdem aliquae adhuc perstant reliquiae; in universali Ecclesia, Vigilia noctis Natalem Domini praeeundis assolet observari; in occidente, adhuc earumdem plurimas frequentant Monachi, nonnullas Florentini Canonici, Populus Assissiensis pridie festum S. Francisci, Lauretanus pridie diem Translationis Almae Domus, quam Deipara olim incoluit, et Guyeto teste *lib. 1, cap. 17, quaest. 1,* etiamnum aliquae insigniores Ecclesiae pie, et laudabiliter vigilias agunt. . .“

5. De jejunio non est hic locus tractandi. Satis sit notasse plerasque vigilias olim cum jejunio, et paucissimas sine jejunio, consuetudine fere generali celebrari. Cf. Gav. *h. l.* et statim adnotanda ad Rubricam 1.

Dicitur: *consuetudine,* quia quamvis de jejuniis vigiliarum nihil reperiatur in jure Canonico, ait Schmalzgrueber *lib. 3, tit. 46.* de *Observatione jejuniorum,* observanda tamen sunt propter generalem Ecclesiae Latinae consuetudinem, ut communiter notant DD. *ad praesentem Rubricam.*

Dictum fuit: consuetudine *fere universali,* quia ut disci-

1) Caeterum dum sacras vigilias sustulit Ecclesia, preces, hymnos, aliaque pietatis exercitia, quorum causa institutae illae erant, minime vetuit, sed dumtaxat eorumdem tempus immutavit, ait Cav. *n. 7 cit.*

mus ex Cav. *l. c. n. 9,* „opinantur plerique, auctore forsan Durando, *Ration. lib. cap. 7, num. 8,* vigiliarum loco subrogatum fuisse jejunium. Verum, in vigiliis observatum itidem fuisse jejunium, ex producto sermone S. Ambrosii, qui et refertur a Gratiano *dist. 76, C. Nosse,* luculenter eruitur: *Jejunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus, Orationibus pernoctanter insistimus.* Cui et consonant, ut in re a nostro instituto quodammodo aliena paucis utamur, Sacramentorum Libri, qui S. Leoni, Gelasio et Gregorio Magno tribuuntur, in quibus omnibus mentio instituitur hujusmodi jejuniorum in Missis, quae in Sanctorum vigiliis recitandae praescribuntur.

Rub. 1. De Vigiliis fit officium, in omnibus Vigiliis per annum, quae jejunantur, ubi in Calendario annotatur haec vox, Vigilia, nisi in die vigiliae occurrat Festum novem Lectionum, vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona lectio de Homilia Vigiliae, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Antiphona ad Benedictus, et vers. Feriae occurrentis de Psalterio, et Oratione Vigiliae, praeterquam in illis Festis majoribus, quae inferius excipiuntur.

Quae jejunantur. Ut supra dictum est, multae Vigiliae olim jejunábantur, quae nunc absque jejunio celebrantur. Sed cum Officium et Jejunium non sint ab invicem dependentia, ideo jejunii suppressio, sive usu contrario, sive Indulto Apostolico evenerit, non tollit officium neque immutat ejus ordinem. Hinc summus Pontifex Pius VII, in Indulto pro reductione Festorum in territorio Reipublicae Gallicanae, „eam legem adjectam esse voluit, ut in Festis diebus Vigiliisque eos praecedentibus, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil [1] de consueto divinorum officiorum, sacrarumque Caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt.“ Ita etiam Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771, quo plura Festa et Vigiliarum jejunia in ditione Austriaca supprimuntur. *Syn. Belg. tom. 2, fol. 507.* Eodem sensu respondit S. R. C. *die 11 Mart. 1820, n. 4416,* ad 4 dubium sibi propositum, de Vigiliis per Bullam Apostolicam suppressis in Regno Siciliae, anno 1818.

Quaeritur poenam sint vigiliae quae hic dicantur jejunari?

1) Si tamen excipiatur, ut ibi, Solemnitas quorumdam Festorum, ad Dominicam translata.

R. Sunt „Vigiliae 1. Nativitatis Domini, et Pentecostes. 2. Assumptionis B. V. et SS. Apostolorum *praeter Vigilias Apostolorum Philippi et Jacobi, et B. Joannis Evangelistae: quoniam ipsorum solemnitas, intra solemnitatem paschalem* (intra quam nullum est jejunium ex necessitate obligans praeter Vigiliam Pentecostes), *istius autem intra Natalem Domini celebratur* (ut dicitur, *c. consilium 2 pr. h. tit.*). 3. S. Joannis Baptistae. S. Laurentii, et omnium Sanctorum.“ Schmalzgrueber *lib. 3, tit. 46, n. 33.* Cs. Cav. *l. c. n. 11.*

Quo autem jure servarentur hujusmodi jejunia, non est hic locus inquirendi. De hoc cf. Cav. et Schmalzg. *ll. cit.*

Rub. 2. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato (1), quod non sit impeditum Officio novem Lectionum: quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis, et Epiphaniae Domini; quae si venerint in Dominica, fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in Vigilia occurrat Festum solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quae inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti si in Vigilia sancti Joannis Baptistae venerit Festum Corporis Christi), nihil tunc prorsus (2), nec commemoratio fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniae. Idem servetur, quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus: nulla enim in his Feriis de Vigilia fit commemoratio.

(1) *De ea* in casu *officium fit in Sabbato,* propter gaudium Resurrectionis Domini, quae singulis Dominicis recolitur.

(2) *Nihil tunc prorsus.* Itaque Vigilia non est anticipanda, et a fortiori (repugnat enim celebrari Profestum seu Vigiliam post Festum) non est transferenda. *Solus* scilicet excipitur casus quo Vigilia occurrat in Dominica. Hoc declaravit S. R. C. *18 Sept. 1706, n. 3604*, de Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistae occurrente in Festo SS. Corporis Christi.

Rub. 3. Officium Vigiliae incipit ad Matutinum, sicut dictum est in superiori Rubrica de Feriis; terminatur autem ad Nonam, quia Vesperae sunt de sequenti Festo.

Rub. 4. Officium Vigiliae totum fit de Feria occurrenti, ut in Psalterio, et tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliae, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de

Responsoriis descripto. Dicuntur Preces feriales, et commemorationes communes, aliaque omnia sicut in Feriis Adventus, Quadragesimae, et Quatuor Temporum, de quibus et de aliis, circa ordinandum ejus Officium, habentur inferius propriae Rubricae.

Rub. 5. Excipitur, ab hoc ordinario Vigiliarum quae jejunantur ([1]), Vigilia Pentecostes, quae cum tribus Nocturnis sub Officio Semiduplici celebratur, ut ibi, et Vigilia Nativitatis Domini, quae, Nocturno Feriae excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum Officium Duplex. In Vigiliis vero Epiphaniae et Ascensionis, quae non jejunantur, fit Officium, ut in propriis locis notatur.

(1) „Duae sunt in Breviario Romano Vigiliae a jejunio immunes, Epiphaniae scilicet et Ascensionis Domini, ideo tamen retentae, quia in his solemnitatibus, perinde ac in aliis, vigiliae olim solemnes in Ecclesiis haberentur. In illa non jejunatur ob laetitiam Natalis Domini, in hac ob laetitiam temporis paschalis, intra quod recurrit, ut declaratum vidimus ab Innocentio III.“ Cav. *l. c. n. 18.*

TITULUS VII.

DE OCTAVIS.

Praenotanda de notione Octavae, de origine et divisione Octavarum. *1. Notio.* — *2. Origo* repetitur a Judaeis. — *3.* A Christo servatae fuerunt Octavae. — *4.* Et ab Apostolis transmissae. — Aliae ab eorum successoribus institutae. — *5. Divisio.* — Olim habebantur et nunc etiam habentur *Minores* et *Majores*, sed hodie nuncupantur *communes* et *privilegiatae:* hae, quoad privilegium *Officii*, sunt in quadruplici gradu: quae, in 1°, in 2°, in 3° et in 4°. — Ratio discriminis.

Rubricae. 1. Nonnulla recensentur Festa quae gaudent jure Octavae: Talia sunt omnia Festa dup. I Cl., et quaedam insuper dup. II Cl. — Quando incipiunt et terminantur tempora, quibus prohibentur Octavae, in Breviario Rom. non descriptae. — Quid si, transacto tempore prohibito, aliqui supersint dies de Octava. — Quare his temporibus prohibeantur Octavae. — *Rub. 2.* Sicuti Solemnitates Paschatis et Pentecostes incipiunt Sabbato praeced. post Nonam, seu a Missa, ita eorum Octavae terminantur Sabbato seq. post Nonam. — *Rub. 3.* De quibus Festis *Officium* fiat infra Octavas *a)* communes, *b)* privilegiatas in 1°, 2°, 3° aut 4° gradu; de quibus Festis aut Octavis fiat *commemoratio* infra Octavas. — Regula de occurrentia duarum Octavarum. — *Rub. 4.* Officium de Octava generatim fit ut in die Festi: excipe lectiones I, II et III Nocturni. — Unde de-

sumuntur hae lectiones infra Octavas, *a)* quae reperiuntur in Breviario Romano, *b)* infra alias. — Quid sit *Octavarium Romanum.* — Non est quidem de praecepto, sed de consilio adhibendum. — *Rub. 5.* Quo ritu celebrantur dies infra Oct. et dies Octava. — Quomodo ordinantur Vesperae. — *Rub. 6.* Non fiunt Suffragia, etc.

Praenotanda. 1. *Notio.* Octavae nomine hic intelligitur celebratio alicujus Festi per octo continuos dies: quae celebratio per se, id est secluso impedimento, fit officio integro. Cujus tamen vices aliquando supplet mera commemoratio. Quandonam impediatur officium Octavae, imo ejus commemoratio, tradunt Rubricae h. t.

Dies Octavae communiter exprimuntur sequenti modo. Prima dies retinet nomen Festi; ultima dies dicitur simpliciter Octava, aut dies Octava; dies mediae nuncupantur dies Octavae, vel communius dies infra Octavam, v. g. 2ª, 3ª etc. vel indeterminate, aliqua dies infra Octavam.

2. *Origo* Octavarum repetitur a Judaeis. Earum usus fuit a Christo servatus et ab Apostolis transmissus. Qua de re sequentia adnotantur ex Cav. *t. 2, c. 18.*

„Octavae, inquit *n. 1,* hoc est per octo consequentes dies Festa quaedam celebrandi mos, a Judeorum Ecclesia originem suam trahunt, Gavanto teste *in Praef. ad Octav. Rom.* Primus enim Moyses, quamvis alias festivitates non ultra septimum terminaret diem, Festum tamen Tabernaculorum mense septimo ita instituit, ut per octo continuaretur dies, et octavus aeque, ac primus haberetur celeberrimus, atque sanctissimus. *Levitici XXIII, 36* [1]."

„Caeterum quantumvis argumentum e Tabernaculorum festo petitum, haudquaquam subsisteret, non sic tamen est de aliis, quae ex Lege veteri ad eumdem effectum praefatus producit Auctor; Salomon enim post delatam Arcam Testamenti in Templum a se summo Deo dicatum, detinuit

1) „Gavantum utique carpere quis posset, quod nostrarum octavarum originem desumat a Tabernaculorum Festo, quoniam Feriae Tabernaculorum septem dumtaxat durabant diebus, quibus elapsis, octavus, qui sequebatur, ad aliud pertinebat Festum, hoc est, ad Coetum atque Collectam, uti bene docet D. Thomas 1, 2, *quaest. 102, art. 4, ad 10.* Verum quia festum hoc connexum erat cum praecedenti, bene potuisse Gavantum ab his octo diebus nostrarum octavarum originem haurire animadvertit Sarnellus, *t. 4 suarum Epist. epist. 20.* Cav. *l. c.*"

populos diebus octo in hostiis pacificis, et holocaustis, quos dimisit in die octava. *III Reg. VIII, 65.* Cum autem illud idem Templum aliquanto post fuisset profanatum, expiavit illud Ezechias Rex diebus itidem octo, et sanctificavit. *II Paralip. 29.* Haud secus praestitere Machabaei, qui diebus octo Altare dedicarunt offerentes holocausta magna cum laetitia, et sacrificium salutaris, et laudis, statuto etiam hujus dedicationis anno festo ad dies octo. *I Machab. IV.*" *n. 3.*

3. Octavae servantur a Christo. „Hujusmodi uti laudabiles consuetudines, non modo Dei Filius in humanis degens non abolevit, sed exemplo suo confirmavit, et probavit, tum ad Encaenia *Joan. 10.*, tum ad Scenopegiam *Joan. 7* ascendens, et immorans usque ad octavam diem. *In novissimo quippe die magno Festivitatis stabat Jesus, etc.*"

4. Transmittuntur ab Apostolis, aliaeque instituuntur ab Apostolicis viris. „His, prosequitur Cav. *n. 4*, edocti Apostolis et Apostolici viri, octavarum Sacramenta ad nos usque transmiserunt et, pro diversorum ratione Festorum, minus, magisque celebres indixere octavas. Certe ab Apostolorum tempore, ex eorumque institutione teste Baronio *anno Dom. 58, num. 82,* coeptae sunt coli Paschatis octavae, et Pentecostes, ita ut retentis nominibus quae apud Hebraeos erant in usu, augustiora tamen mysteria, quae nova erant, in illis celebrarentur, nimirum Crucis, et Resurrectionis Dominicae in Paschate, et Adventus Spiritus Sancti Paracliti in Pentecoste. Eadem autem ratione, qua Apostoli praedicta festa servanda decreverunt, qui iisdem successerunt, Apostolici viri reliquos dies festos cum octavis invexerunt, ut celebriores solemnitates etiam octavarum additione illustrarent."

5. Earum discrimen seu divisio. „Refert Guyetus *lib. 1, cap. 18, quaest. 9,* quod ex octavis erant olim aliae solemnes, seu minores, quarum utrarumque inter sese discrimen fuse adducit Radulphus *prop. 19.*" Cav. *l. c. n. 6.* Hodiedum etiam dantur Minores et Majores. Aliae enim sunt *communes* seu Minores, aliae vero *Privilegiatae* seu Majores. Hae ab illis distinguuntur, quatenus quibusdam gaudent privilegiis, nimirum, *a) quoad officium,* excludendi Festa occurrentia aut translata, vel habendi saltem commemorationem; et *b) quoad Missam,* excludendi omnes aut aliquas tantum Missas votivas aut defunctorum. Jam satis

apparet dari privilegiatas in diversis gradibus. De privilegiis quoad Missam, suo loco agetur. Hic quaestio est tantum de privilegiis quae Officium respiciunt.

6. Porro Octavae privilegiatae *quoad Officium* sunt quinque, et quidem in quadruplici gradu privilegii, prout supra, *Tit. I, § 2, ad III,* notatum est, et colligitur ex Rub. 4. h. t. Sunt in 1° gradu Octavae Paschatis et Pentecostes, utpote excludentes quodcumque officium; in 2°, Octava Epiphaniae, cujus necnon sequentium privilegia tradit Rubrica 3; in 3°, Octava Corporis Christi; in 4° tandem, Octava Nativitatis Domini, quae licet non raro hic recenseatur inter communes, est tamen privilegiata ad hoc ut semper habeat commemorationem.

Quare quibusdam Festis tantum dentur Octavae, et quidem aliae communes, aliae plus minusve privilegiatae, satis colligitur ex observatis supra, Tit. I, § 2, ad II de varietate rituum, quorum partem constituunt Octavae. Unum tantummodo restat animadvertere, cum Cav. *c. 18, cit. n. 21.* „In Octavarum, ait, institutione plura mysteria, ac sacramenta scitu dignissima refert, et recognoscit Gavantus, quae qui optat ediscere, brevem, sed accuratum legat ejusdem Auctoris tractatum, quem ipse in fronte sui Octavarii prooemii loco apposuit."

Rub. 1. De Octava fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo Festo, vel Dominica impeditur), per octo dies continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis, quibus in Calendario (1) apponitur Octava, item in Festo Dedicationis propriae Ecclesiae, et in Festo principalis Patroni, et Titularis loci, vel Ecclesiae, et in Festis aliorum Sanctorum, quae apud quasdam Ecclesias, Congregationes, et Religiones consueverunt solemniter (2) cum Octavis celebrari, nisi illa Festa venerint in Quadragesima: quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octavae. Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, Paulo ante (3) Quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente (4) Quadragesima, nihil amplius (5) fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes (6), et dies 17 Decembris (7).

(1) *In Festis, quibus in Calendario apponitur Octava.*

Hac generali formula indicantur Octavae hic in specie non recensitae. Generatim vero dici potest Octavam tribui omnibus Festis dup. I Cl. Insuper Octavam habent quinque Festa dup. II Cl., scilicet: Festa Nativitatis et Immac. Conceptionis B. M. V., S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, atque S. Laurentii.

(2) *Quae ... consueverunt solemniter cum Octavis celebrari.* Hic certo permittuntur servari Octavae, Bulla Piana antiquiores. Cf. Cav. *t. 2, cap. 18, n. 8,* et praesertim *cap. 19, dec. 1, n. 5.* Quinimo idem Auctor docet, *dec. cit. n. 9.,* non indiscriminatim reprobatas esse octavas quae, etiam post dictam Bullam, fuerint consuetudine introductae. En ejus verba. „Vides jam igitur, ita concludit, quod ubi ad tuenda festa Sanctorum pro quocumque tempore sufficit, et exigitur consuetudo immemorialis, vel ante Bullam Pianam invecta, et utraque haec consuetudo etiam valida est ad firmandas eorumdem octavas per annum, secus autem pro Quadragesimali tempore, aliisque, in quibus per Rubricas sunt vetitae, sed ad id exposcitur consuetudo immemorialis, vel saltem centenaria in iisdem temporibus celebrandi praedictas octavas, retrocedendo ab anno 1602 seu quae sit coaeva anno 1502.“ Cf. dicta supra *sect. II, art. 3, § 5,* 2°. Et ratio sane est, quia hujusmodi consuetudo implicite videtur hic et alibi approbari a Rubricis. Objici tamen potest dictas Rubricas agere de consuetudinibus tunc existentibus, non vero de futuris.

(3) *Si paulo ante Quadragesimam venerit.* Quaeritur an idem dicendum sit de Festo, quod, non ante tempus prohibitum, sed in ejus fine [1] celebratur: scilicet an in casu, etiam omittendi erunt reliqui dies Octavae, qui occurrunt intra tempus liberum?

R. Negandum videtur. Equidem affirmat Romsee *tom. 3, art. 21, § 3, ad VI* (In casu particulari de S. Sylvestro), „hac motus ratione, quod Rubricae denegent octavas festis incidentibus inter 17 Decembris et diem Epiphaniae utrimque inclusive.“ Eamdem sententiam, generatim de tempore prohibito, propugnat Deherdt, *p. 4, n. 18, II.* Quia, inquit, Rubricae hoc Tit. VII, n. 1, generaliter videntur

1) Quod solum contingere potest diebus ante Epiphaniam. Nam quodcumque officium 9 Lectionum prohibetur celebrari infra Octavas Paschae et Pentecostes.

denegare octavas illis festis quae tempore prohibito celebrantur. Allegatur Romsee *l. c.*

Sed allata ratio non videtur vera. Nam, ut patet legenti textum, Octavae non denegantur generatim festis, sed a citatis temporibus arcentur. Ac proinde, tempore prohibito transacto, nihil impedit quominus Festum proprio gaudeat jure Octavae, quemadmodum fit in casu translati Festi infra suam Octavam. Haec enim, juxta *Tit. X, Rub. 1*, et ex dec. S. R. C. *16 Sept. 1741, n. 3971, 1*, continuanda est per dies quae adhuc remanent, a die quo celebratur Festum translatum.

(4) *Adveniente Quadragesima*, nimirum feria IV Cinerum.

Quaeritur I, an Octava cesset post *Nonam* vel *post completorium* diei, quae immediate praecedit tempus prohibens Octavas, v. g. fer. III ante Cineres?

R. Cum Deherdt, *h. l. n. 18, III*, distinguendo an sit ipsa Octava dies, vel alia infra Octavam, quae occurrat prima die temporis prohibiti, v. g. feria IV Cinerum. In priori casu, Octava cessat post Nonam; in posteriori autem, post Completorium.

1° „Si dies octava, inquit Deherdt *l. c.*, incidat in feriam IV Cinerum, Vigiliam Pentecostes aut in diem 17 Decembris; certum est ex dec. *23 Jun. 1736, n. 3895, 4* et *5* (datur hic in 2) et ex communi sententia, contra Guyetum *lib. 4, c. 12, q. 6*, officium octavae cessare post Nonam diei ante diem octavam, ita ut post Nonam nihil amplius fiat de octava, nec etiam commemoratio in Vesperis; et Vesperae, si festum non occurrat nec concurrat, dicuntur feriales; quia officium diei octavae quod incipit a primis Vesperis, inchoari non potest, cum terminari nequeat.“ Cf. *Tit. XI, 10.*

2° „Si autem tempus prohibitum incipiat a die infra octavam post unum aut plures dies infra octavam transactos; tunc officium octavae tantum cessat post Vesperas et Completorium, ita ut vel dicantur de octava, vel si de festo, cum commemoratione octavae, et sine suffragiis ac precibus.“ *Ita Guyetus loco cit.* — Mer. *sect. 3, c. 8, n. 15.* — Lohner. *p. 5 in Rub. Brev. Tit. VII, Rub. 1, lit. l.* — Cav. *t. 2, dec. 154, n. 2.* Quia magna datur differentia inter diem octavam et diem infra octavam: officium enim diei octavae incipit a primis Vesperis; incipi ergo nequit, quia sequenti die perfici non potest: officium autem diei infra octavam finitur

tantum post Vesperas et Completorium; absolvi igitur potest et debet, ut aliud festum semiduplex, quia nihil obstat: nam Vesperae et completorium illi detrahi nequeunt ob sequentem feriam, cujus officium inchoatur dumtaxat a Matutino. Item in dec. cit. *23 Jun. 1736* ad 5, statuitur quoad octavam S. Scholasticae: „in primis Vesperis Dominicae Passionis facienda est comm. de die infra Octavam [1], quando Octava celebratur post Dominicam Passionis: secus autem si dies octava incidat in Dominicam Passionis, quia propter Dominicam privilegiatam cessat octava.“ Idem hic est casus ac ille, de quo hic agitur; idem igitur de utroque dici debet.“

Quaeritur II, quando terminentur tempora Octavas inhibentia, quorum hic initium tantummodo, non finis indicatur?

R. Hoc traditur in Rubrica quae sub Tabula occurrentiae, *n. 6*, reperitur posita, his expressa: *„De aliis octavis, quae non sunt in Calendario, nihil fit a feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.“* Verba, *De aliis,* ita commentatur Cav. *tom. 2, cap. 19, n. 1:* „Jam vides itaque, quod praeter octavas Nativitatis Domini, SS. Stephani, Joannis Evangelistae, ac Innocentium, Paschatis, ac Pentecostes, quae iis temporibus in Calendario notatae sunt, et celebrari praescriptae, quaecumque aliae proscriptae manent, et interdictae.“ — Et ad verba, *usque ad Epiphaniam,* haec scribit *n. 18:* „Rubrica octavas inhibet, et accipi debet in sensu exclusivo ab ejusdem octava, quare festa quaelibet Patroni, Titularis, aut Dedicationis, quae infra octavam Epiphaniae alicubi occurrere valent, sua non carebunt octava.“

(5) *Nihil amplius.* Quaeritur quare hoc et sequentibus temporibus prohibitis, nihil fiat de Octavis?

R. Ratio generalis est ut tota meditatio nostra feratur et in Mysteria quae tunc recoluntur, et in percipiendos pietatis fructus, quos tunc praesertim intendit et nobis exoptat Sancta Mater Ecclesia, ac proinde ne per occurrentem commemorationem octavae vel parumper ad aliena distrahamur. Cf. Cav. *tom. 3, cap. 19, n. 7,* et *dec. 1 ejusdem cap. n. 2.*

(6) *Quando supervenit Festum Pentecostes,* id est ejus

1) Supervacaneum est animadvertere hanc Octavam ex privilegio tantum celebrari.

Vigilia, ut censent Rubricistae omnes, ait Cav. *cap. 19, n. 10,* atque probatur ex Rub. 6. Tabullae occurrentiae, cit. hic *ad 4, q. II, A Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive.* Quare, inquit Cav. *n. 10* cit. ad hanc Rubricam, cum Rubricae Rubricis concordari debeant, dicendum est, quod in priori illa Rubrica *Festum Pentecostes* non sumitur in sensu exclusivo, sed inclusivo vigiliae, quae nedum ut communiter ceterae, tanquam proxima praeparatio ad suum spectat festum, sed peculiari quadam ratione, ob quam prae ceteris contra quodcumque festum illam privilegiatum noscimus, et insuper in officio Evangelium, et in Missa, quae ad idem spectant festum, usurpari."

(7) *Et dies 17 Decembris,* quia illa die incipiunt antiphonae Majores.

Hucusque dicta intelligenda sunt de jure communi. Nam aliquando conceduntur peculiaria Indulta agendi octavas infra tempora prohibita. De modo celebrandi hujusmodi octavas videantur dec. *24 Jan. 1682, n. 2824 — 10 Jun. 1790, n. 3073 — 23 Jun. 1736, n. 3895, 4 et 5 — 12 Sept. 1840, n. 4753, 1.* Vid. etiam Cav. *tom. 2, cap. 19, ad citata decreta,* praeter ultimum.

Rub. 2. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes Officium Octavae terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.

Horum Festorum Octavae terminantur in Sabbato ad Nonam, quia illorum solemnitas incoepit Sabbato praecedenti, id est, a Missa Sabbati S. et Vigiliae Pentecostes. Vid. Gav., *ad h. t. in Octavar. Rom.* Cf. Fornici *P. II, cap. 40, op. cit.*

Rub. 3. Infra Octavas [1] fit de Festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis [2], ut dicetur infra de translatione Festorum *n.* 5. cum commemoratione Octavae: nisi illa Festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava: exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschae et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam Principali Patrono, vel Titulari Ecclesiae, vel Dedicatione ejusdem; sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum [3] de Patrono, vel Titulari Ecclesiae, et Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava) cum commemoratione Octavae. Infra

Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, cum commemoratione Octavae: de Semiduplicibus vero infra eam non fit, sed transferuntur post Octavam, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum. De Simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus, fit tantum commemoratio, praeterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten, ut dicitur in sequenti Rubrica de commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium, ut dictum est supra (4) in Rubrica de Dominicis. Si duae Octavae simul occurrant, ut Octava sancti Joannis Baptistae, et Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni vel Titularis Ecclesiae cum alia Octava, quando non erunt celebranda Festa novem lectionum vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori, cum commemoratione alterius. De die autem Octava cujuscumque Festi fit totum Officium duplex, cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava, servetur, quod dicitur in Rubrica de translatione Festorum.

(1) *Infra Octavas*, intellige non privilegiatas, quoad officiorum exclusionem.

(2) *Ac etiam translatis:* Quod verificatur 1° quoad duplicia generatim loquendo, et 2° quoad semiduplicia, quando, per exceptionem, de qua Tit. X, transferuntur ad diem infra Octavam.

(3) *Fit tantum de Patrono*, id est fit tantum de Festis dup. I Cl. Quaedam Festa hic nominantur, quia regulariter alia Festa dup. I Cl. tunc temporis non occurrunt. Sed haec enumeratio nequaquam fit in sensu exclusivo, ut clare eruitur ex decreto S. R. C. *22 Apr. 1741, n. 3961, 8,* iterato datum *die 22 Mart. 1817, n. 4380, 2 et 3.*

(4) *Ut dictum est supra,* exceptis scilicet quatuor Dominicis infra Octavas occurrentibus, totum Officium fit de Dominica.

Rub. 4. Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis et novem Lectionibus (exceptis Octavis Paschae et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur) et omnia (1) dicuntur sicut in die festi, praeter Lectiones; quarum primae tres semper (2) sunt de Scriptura occurrente in officio de tempore, praeterquam infra Octavam Assumptionis beatae Mariae, in qua singulis diebus positae sunt Lectiones propriae de Canticis Canticorum: aliae Lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quae infra Octavam (3) positae sunt. Infra Octavam

vero Patroni, vel Titularis Ecclesiae aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriae et approbatae Lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam repetantur (4) Lectiones positae in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin (5) Lectiones diei Festi.

(1) *Et omnia*, sive infra octavam, sive die octava, *dicuntur sicut in die festi*, nisi, ut supponitur, aliter assignetur, ut fit v. g. pro officio de Octava SS. Petri et Pauli, et pro oratione diei Octavae S. Laurentii Protomartyris.

(2) *Tres semper*, intellige de diebus *infra Octavam*. Si desit Scriptura occurrens, tunc dictae Lectiones sumuntur de Communi, juxta Tit. XXVI, Rub. 9. In *die* vero *Octava* sunt de Scriptura occurrente si aliae ibi non assignentur.

(3) *Quae infra Octavam positae sunt*, vel assignatae sunt. Sic v. g. in die Octavae Dedicationis Ecclesiae assignantur, pro I et II Nocturno, Lectiones Festi.

(4) *Infra Octavam vero Patroni, etc.* Hucusque de Octavis in Breviario Romano positis. Nunc de Octavis quae non reperiuntur in dicto Breviario, sed celebrantur apud quasdam Ecclesias, sive titulo patronatus, sive quocumque alio legitimo. In I Noct. Lectiones erunt, ut dictum est supra de aliis Octavis. In II et III, si non habentur propriae ab Ecclesia permissae, id est, approbatae aut consuetudine antiquiore Bulla Piana (ut expositum est) introductae, *repetuntur positae in Communi Sanctorum*, vel melius sumuntur ex Octavario Romano [1].

Dicitur: *melius ex Octavario Romano*. Nam hic liber non est quidem in praecepto, sed valde consulendus, quemadmodum extra dubium ponitur per decretum approbationis ipsi praefixum, quod sic sonat: „*Octavarium* hoc a R. P. Bartholomaeo Gavanto, Clerico Regulari S. Pauli, celebrandis cum Octava Festivitatibus jampridem elaboratum, ac, referente bon. mem. Illustriss. Cardinali Bellarmino, a Sacra Rituum Congregatione non semel laudatum, probatumque ut recitari possit, ne diutius religiosi viri desi-

1) **Octavarium Romanum** nuncupatur liber „*complectens* (sunt verba ejus tituli) *Lectiones II et III Nocturni recitandas infra Octavas Festorum praesertim Patronorum locorum, et Titularium Ecclesiarum, quae cum Octavis celebrari debent, juxta Rubricas Breviarii Romani, a S. R. C. ad usum totius Orbis Ecclesiarum approbatus.*

derarent, eadem Congregatio, posse imprimi seorsum a Breviario, unanimi Illustriss. Patrum consensu decrevit, die 19 Febr. 1622." Et ratio congruentiae est, quia varietas lectionum magis apta videtur ad fovendos pietatis sensus.

Ut autem eadem congruentiae ratio aliquatenus servetur, etiam quando non adhibetur Octavarium Romanum, lectiones, saltem II Nocturni, sumantur alternatim ex *1° et 2° loco* de communi Sanctorum, si de sanctis fiat Octava. Imo idem putamus dicendum de lectionibus III Nocturni. Quod quidem negat Deherdt. *h. l. n. 20.* „Si, inquit, Octavarium Romanum non habeatur, tunc singulis diebus, in quibus fit de Octava, in III Nocturno repetendae sunt lectiones diei festi, quia Evangelium Missae concordare debet cum Evangelio et homilia tertii Nocturni: hic autem fieri nequit, quod supra pro usu Octavarii Rom. dictum est, quia Rubricae hoc Tit. n. 4, id non permittunt, et quia, cum in Breviario pro singulo Evangelio una tantum homilia assignetur in communi, mutationes nimis forent frequentes, et conformitas servari non posset." Sed hic allegatis satisfieri videtur per sequentia quae Gavantus pro usu Octavarii adnotat ad hanc Rubricam 4, ibi relatam. „Hic (in Octavario scilicet), inquit, habentur approbatae lectiones pro Octavis propriis et communibus Sanctorum. Quod si in III Nocturno communes non deserviant aliquibus festis, quae videlicet proprium habent Evangelium, eo casu post diem festum (in quo legi debet proprium Evangelium cum sua Homilia) in sequentibus diebus infra octavam lege Evangelium in Missa et Officio vel primum vel aliud congruentius de communi cum suis homiliis, ut fit infra octavam ss. Petri et Pauli. In die vero octava legatur in tertio Nocturno ut in die festo, si propriis caret seu communibus lectionibus in Evangelium diei festi, nisi aliud notetur."

Satisfit itaque priori difficultati, quia idem est Evangelium in Officio et in Missa. Insuper non apparet ratio quare fieri non posset, in casu, quod permittitur quando adhibetur Octavarium Romanum: in utroque enim casu par habetur ratio, nullaque deprehenditur repugnantia cum Rubrica 4ª citata, quae nequaquam definit ex quo loco, scilicet an ex 1° vel 2°, sumendae sint lectiones. Quinimo dicta mutatio fit ad mentem Rubricarum, prout dictum est,

et confirmatur argumento *a pari*, sumpto ex Octava SS. Petri et Pauli.

Quandonam ex 1° aut 2° loco sumendae sint lectiones I, II et III Nocturni, dicitur ad proprium *Tit. 26 de lectionibus.*

(5) *Alioquin*, si nempe non de sanctis, sed v. g. de Mysterio quod Commune non habet. Hic etiam supponitur deesse proprias lectiones a S. Sede permissas.

Rub. 5. Infra Octavam Officium fit semiduplex ([1]), in die Octava duplex ([2]). In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi; et in primis Vesperis diei Octavae omnia sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.

(1) *Semiduplex*, excipe fer. II et III Octavae Paschae et Pentecostes: haec nempe feriae habent rationem festi.

(2) *Duplex* minus est officium diei Octavae, quamvis habeat, *Tit. X, 2,* jus excludendi duplex vel maj. occurrens.

Quid sentiendum sit de usu celebrandi officium de diebus infra Octavam, aut de die Octava, sub ritu diverso ab eo quem tradit praesens Rubrica?

R. Cavalieri, *tom. 2, cap. 18, n. 8 sqq.*, docet eum esse tollendum quamvis sit antiquior Bulla Piana. „Hujusmodi consuetudo, inquit *n. 8*, tanquam difformis, ac contraria Rubricis Romanis, tollenda foret ac reformanda juxta Rubricam citatam, quae diebus intermediis officium semiduplex, et in die octava duplex minus faciendum esse praescribit *in illis festis, quae apud quasdam Ecclesias, Congregationes, et Religiones consueverunt solemniter cum octavis celebrari.*“ Idipsum, ait *n. 9*, dici debet, si quae ex Ecclesiis diem octavam ad semiduplicem ritum deprimeret.“

Deinde *n. 10,* sequentem sibi proponit objectionem: „Octavae, vi consuetudinis ante Bullam Pii V invectae, sustinentur; quidni igitur et earumdem ritus altior, aut depressior?“

Respondet *n. 11*, „quod dispar est ratio, quoniam festa, et octavae consuetudini memoratae innixae, in Rubricis approbationem habent, et ideo et titulum, quo se tueantur, legitimum. Quoniam vero eaedem Rubricae, quae octavas approbant, ritum, quo debent celebrari, insimul insinuant, ideo ille solum legitimus, et approbatus censetur, et quicumque alter illegitimus, atque prorsus proscriptus.“ Alteram difficultatem movet *n. 12*, et ei respondet *n. 13.*

Rub. 6. Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur preces ad Primam et Completorium,

etiamsi fiat Officium de Dominica, vel Festo semiduplici. In aliis, quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriae Rubricae.

Huic Rubricae inhaerendo, *de aliis*, quae respiciunt Officium de Octava, agemus in propriis titulis. Sic de Sociis Patroni dicetur *Tit. X de Translatione*, de modo celebrandi Vesperas de Octava, Sabbato ante Dominicam privilegiatam, *Tit. XI de concurrentia.*

TITULUS VIII.

DE OFFICIO SANCTAE MARIAE IN SABBATO.

1. Quaedam praenotantur cum Fornici, *Inst. liturg. P. II, cap. 15,* de antiqua Sabbati dedicatione in honorem B. M. V. „Tum, inquit, ex specialibus devotionis ac pietatis operibus a Christiano populo in honorem Deiparae sabbato exhibitis; tum etiam Officiis Ecclesiasticis eadem die in illius laudem ordinatis, observat Gavantus *part. 1, t. 4, n. 1,* constare praedictam diem ab Ecclesiae primordiis fuisse B. M. V. dicatam. Quapropter auctor Micrologi *Ecclesiasticis obs. c. 48* ait, quod dies sabbati *per totum annum venerationi S. Mariae solet obsecundare.*"

„De origine et causa dedicationis hujusmodi fatetur Suarez *t. 2, p. 3, disp. 22, sect. 1,* se hujus rei certum initium reperire non potuisse. Et re quidem vera aliqui originem petunt ex quodam miraculo circa imaginem B. Virginis Constantinopoli veneratam, quod narrat Durandus in *ration. lib. 4, cap. 1, n. 31;* alii ex eo quod Christus in Virginis utero requievit eodem modo, quo sabbato Parasceven consequente requievit in sepulcro; alii denique (omissis quibusdam aliis minus notatu dignis) docent sabbatum cultui B. Virginis specialiter fuisse dicatum ad lugendam ipsius Genitricis solitudinem, postquam die proxima praecedenti mortem filii planxerimus ex exemplo apostolorum, ac discipulorum Domini, ipsarumque mulierum, qui procul dubio isto die apud sanctissimam matrem sese congregaverunt, ut consolarentur eam super passione et morte Filii et vicissim ab ea consolationem reciperent, et veluti filii, amisso patre, spem reposuerant in matre, eamque, ut suam ipsorum quoque matrem honorare coeperunt ab hac potissimum die."

„Sit autem haec dedicationis origo sive alia causa, ex Divo Bernardo, S. Petro Damiano, nonnullisque aliis Patribus,

ut demonstrat Vicecomes, *lib. 3 de Missae ritib. cap.* **21** et multiplici eruditionis copia Benedictus XIII, *t.* **2**, *ser.* **16**: evidentissime constat universalem Ecclesiam ex antiquissimo tempore cultui Dei Genitricis diem Sabbati specialiter dedicavisse." Cf. Bened. XIV *de Festis B. M. V. n.* **230**.

2. Duo in Breviario habentur Officia B. M. V. Sed utriusque non est idem nomen, neque eadem ratio. Unum nuncupatur Officium B. M. *in Sabbato*, de quo praesens Titulus, tenetque locum officii diei et adhuc hodiedum recitatur ex praecepto generali, juxta Rubricas h. t. Alterum vero dicitur *Parvum Officium* ejusdem nec tenet locum officii diei cui e contra superadditur, et, extra chorum, non amplius ex praecepto, sed ex devotione tantum, recitatur a tempore Bullae Pianae (vide hujus Bullae paragraphos 10 et sqq. supra, *P. II, sect.* **2**, *art.* **3**).

Illi tamen officio, pluribus in locis, aliud de Beata subrogatum est. Sic in pluribus locis ex indulto apostolico recitatur officium Conceptionis B. M. V. in Sabbatis, uti concessit Bened. XIII, pro omnibus regnis, dominiis et ditionibus Caesareae Majestati subjectis extra Italiam. Quinimo in locis non paucis, inter quae Dioecesis Tornacensis [1], ex Indulto S. Sedis recitatur, sub ritu duplicis minoris, Officium votivum [2] Immaculatae Conceptionis B. M. V.

1) **Tornacen.** Quum pridie Calendas Octobris superiori anno 1847, pro Clero Urbis Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, propria manu approbavit Officium integre proprium cum Missa in Festo et per octavam Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ac officium itidem votivum per menses distributum, R^mus^ Tornacen. Episcopus, pro singulari sua erga Sanctissimam Dei Genitricem pietate, eumdem Sanctissimum Dominum humillimis precibus rogavit ut, ad suum Clerum Tornacensem saecularem et Regularem, non exceptis cujusque Ordinis Sanctimonialibus Dioecesano Calendario utentibus, hoc ipsum Officium cum Missa in honorem Beatae Mariae Virginis, sine labe originali conceptae, extendere dignaretur, servato in officio votivo ritu duplicis minoris. Sanctitas sua, referente me subscripto Sacrorum rituum Congregationis Secretario, benigne in omnibus annuit juxta preces: dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Quod Indultum ab omnibus, ad quod spectat, servari mandavit RR. DD. Episcopus Tornacensis, die 27^a^ Novembris 1848.

2) De officiis votivis agitur Tit. X.

Quibus praemissis, exhibendus venit textus Rubricarum h. t., paucis notis adjectis ex Lohner.

Rub. 1. In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, ac nisi Quatuor tempora aut Vigiliae occurrunt, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicae aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est, et nisi fiat Officium novem lectionum, vel de Octava Paschae et Pentecostes; semper fit Officium de sancta Maria, eo modo quo fit de festo simplici (1) quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De Festo autem simplici in Sabbato occurrente, fit tantum commemoratio.

(1) A Capitulo scilicet Vesperarum praecedentis diei, et cum tribus Lectionibus, ut n. 3 clarius dicetur.

Rub. 2. Cum vero supradictis diebus fieri non potest Officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum; sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur (1) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.

(1) Nam in eo casu non fit Commemoratio de illa inter Suffragia, cum mox integra Hora de illa dicenda sit; non deceat autem de eodem simul Commemorationem et Officium fieri, nisi B. V. sit Titularis Ecclesiae.

Rub. 3. Ejus Officium in Sabbato incipit Feria VI, ad modum festi simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria VI occurrat Officium novem lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de Sancta Maria, cum Antiphona, Versu et Oratione, quae habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem lectionum sit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est (1).

(1) Ne bis explicite ejusdem in eadem Hora fiat mentio in Orationibus, et ne de eadem fiat Commemoratio simul et Officium.

Rub. 4. Ad Matutinum, post Invitatorium et Hymnum de sancta Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio (1); Versus de sancta Maria, prima et secunda lectio ex Scriptura de Tempore occurrente; tertia lectio et alia omnia, tam in Matutino, quam in Laudibus et Horis, ut in Officio sanctae Mariae in Sabbato assignantur.

(1) Ex quo tamen Psalmi pro Laudibus non sumuntur, sed ex Dominica, vel Officio parvo B. Virginis.

Rub. 5. Dicuntur preces Dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt Suffragia consueta de Apostolis et Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschae. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragiis quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

TITULUS IX.

DE COMMEMORATIONIBUS.

Praenotanda. 1. Commemoratio *specialis* supplet officium concurrens cum alio in vesperis, vel occurrens eadem die, si neutrum transferatur. — 2. Quid generatim statuant Rubricae h. t. — In his addiscendis tria praesertim veniunt attendenda. — *Rub. 1.* Quando fit commem. de festis simplicibus. — *Rub. 2.* De Feriis Majoribus et Vigiliis. — *Rub. 3.* De Dominicis. — Quid si occurrat Festum Principalis Patroni et Ecclesiae, Capellae aut Oratorii. — Notio Capellae. — Divisio Capellarum seu Oratoriorum. — An et quibus competat Titularis, cum vel sine jure ad officium et ad commemorationem inter Suffragia Sanctorum. — *Rub. 4.* De Octava. — Ubi et quae commemor. omittuntur in dup. I Cl. — Ubi fit tantum de dup., semid. et Dominicis. — *Rub. 5.* Recensentur Dup. I Cl. — Pro commem. remittitur ad praeced. Rub. 3 et 4. — *Rub. 6.* Recensentur Festa secundi ordinis, id est, Dup. II Cl. — Quas admittunt vel respuunt commemorationes in I aut II Vesp., in Matut. et Laud. — *Rub. 7.* Commemorationes fiunt ad Vesp., ad Matut. et ad Laud. — *Rub. 8.* Modus eas agendi ad Vesp. et Laud. — Unde desumantur ant. et verss., quando variari debent. — *Rub. 9* et *10.* Ad Matut. fiunt per nonam Lectionem. — *Rub. 11.* Ordo inter eas servandus.

Praenotanda. 1. Per occurrentiam (Tit. X), aut per concurrentiam (Tit. XI) fieri potest, ut duo officia *per se* (abstractione nempe facta, an unum alteri cedat), jus habeant ad officium vel saltem ad vesperas ejusdem diei. Ecclesia tamen in casu non vult, ut eodem die divinum officium aut vesperae bis recitentur. Propterea *a)* in casu occurrentiae duorum officiorum, unum integre recitatur et alterum vel transfertur, juxta Tit. X, vel aliquatenus suppletur per commemorationem, vel omnino omittitur, prout tradit praesens Titulus. — *b)* In casu autem concurrentiae, vesperae dicuntur partim de uno et partim de altero, vel integrae

de uno recitantur, et de alio fit sola commemoratio vel nihil prorsus. Haec commemoratio dicitur specialis [1], et est, ut patet, exigua Officii seu alicujus Horae pars quae Officium aut Vesperas supplet.

Dantur etiam commemorationes, quae dicuntur communes, seu suffragia Sanctorum. Sed de his agit Tit. III.

2. Rubricae praesentis Tituli ordinant de quibus, quando, ubi, quomodo et quo ordine agenda sit commemoratio. Quo autem facilius hae regulae intelligantur et memoriae mandentur, animadverti possunt sequentia: 1. commemorationem fieri contingit de Feria Majori, de Vigilia, de Simplici, de Sancta Maria in Sabbato, de die infra Octavam, de Semiduplici, de Dominica, de die Octava et de duplici omnium classium. Aliquando tamen commemoratio omittitur propter solemnitatem Festi. — 2. Commemorationes fiunt, pro diversis circumstantiis, vel ad Vesperas tantum, vel ad Matutinum et Laudes tantum, vel simul ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes. — 3. Primae Vesperae habentur ut magis solemnes quam secundae (excipe tamen Vesperas Dominicae, *Tit. XI, Rub. 3 et 4*), ac proinde primae magis respuunt commemorationes quam secundae.

Ut autem doctrina completa habeatur de commemorationibus, oportet etiam recurrere ad *Tit. X de Translatione*, et ad *Tit. XI de Concurrentia.* Hi enim Tituli et praesens sese mutuo complent, ut jam colligitur ex his quae ad hunc Titulum praenotantur.

Rub. 1. Commemorationes fiunt de festis simplicibus, quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum etiam translatum, vel Dominica, vel octava, vel Sabbatum (1): et quando fieri debet de feria (2), ut ponatur Officium alicujus Dominicae, quae eo anno supersit.

(1) *Vel Sabbatum,* quia in eo agitur vel de Beata, vel de Feria Majori aut de Vigilia.

(2) *Quando fieri debet de feria,* fit commemoratio festi Simplicis, non solum in casu Dominicae anticipandae, sed etiam quando officium est de feria majori aut de Vigilia, ut in Rub. seq.

Hanc Rubricam et sequentes intellige cum limitatione quae apponitur Rub. 4 et sqq., scilicet nisi commemorationem excludat solemnitas Festi.

1) Communiter commemoratio specialis intelligitur quando simpliciter, seu absque ullo adjuncto adhibetur.

Rub. 2. De feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum fit commemoratio, quando festum novem lectionum in illis feriis occurrit. Si simplex festum in eisdem feriis occurrat, Officium fit de feria, et commemoratio de festo simplici.

Attamen commemoratio Simplicis, occurrentis feria V in Coena Domini, omittitur in primis vesperis. *Tit. XI, Rub. 10.*

Aliae Feriae non habent commemorationes, et ideo dicuntur *Minores.*

Rub. 3. Praeterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusive, quando festo duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit commemoratio, occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur: nisi illud festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiae, non autem alicujus Capellae (1), vel Altaris ejusdem Ecclesiae; et tunc de hujusmodi principali festo fit tantum in eo loco vel Ecclesia, cujus est Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio, cum commemoratione Dominicae: excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Dominica Paschae, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecostes et Trinitatis: in quibus hujusmodi occurrens festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam: dummodo non fuerit infra majorem hebdomadam, et per octavam Paschae et Pentecostes; quibus diebus non fit de aliquo festo duplici occurrente.

(1) „Nisi illud festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut dedicationis *ipsius Ecclesiae, non autem alicujus Capellae*, vel Altaris *ejusdem Ecclesiae.*" Ex his Rubricae verbis liquet Festum Tituli Ecclesiarum proprie dictarum, non vero Tituli Capellarum, quae sunt intra Ecclesiam, celebrari sub ritu dup. I Cl. Cav. *tom. 1, dec. 13, n. 13, et dec. 25, n. 24 cit. hic ad quaest. II.* Resp. 2°.

Quaeri potest an sub alio ritu, inferiori scilicet, celebrandum sit officium Tituli, qua talis, Capellarum aut Altarium Ecclesiae?

R. 1° Cavalieri *t. 1, dec. 25 cit. n. 28* agendo de dictis Capellis, vix audet suum judicium proferre. Pars tamen negativa ei probabilior ac sustinenda videtur. Cf. *n. 25—37.*

Deherdt *P. V. n. 34, 10,* absque ulla haesitatione negat de utroque Titulo Altaris vel Capellae in Ecclesia existentis, juxta dec. *28 Aug. 1628, n. 622.* Ei adhaerendum ducimus, observando tamen decretum cit. agere de Titulis Altarium.

2° Cavalieri *l. c. n. 36* idem dicendum docet de Titulis Altarium. Idem dicimus, et *a fortiori*, stante cit. S. R. C. 28 *Aug. 1628,* „quod propter solos titulos Altarium officia non debeantur." Neque excipiendus est casus quo altare sit Titulus beneficii. Gav. *sect. 3, c. 12, n. 16.* Et ratio est, juxta Guyetum *lib. 1, cap. 16, quaest. 3,* quod Altare, non ad Officium, sed ad certas Missas destinatum sit.

Praeter *Ecclesias proprie dictas* et *Capellas ejusdem Ecclesiae,* dantur aliae aedes sacrae quae etiam nuncupantur Capellae [1] vel Oratoria [2], et dicuntur *per se stare,* quia sunt extra Ecclesiam. Saepe tamen certo definiri nequit an haec vel illa aedes sacra jure et proprie nomen *Ecclesiae* sibi vindicet. Vide notata ante responsum ad quaest. II, infra.

De his Capellis, quae per se stant, paulo latius dicendum venit. Investigandum est an de earum Titulo recitandum sit Officium, celebranda Missa. Sed antequam solvatur haec duplex quaestio, quaedam sunt praenotanda, ex quibus, quantum fieri possit, Ecclesiae a Capellis secernantur, et accurate demum definiendus est status quaestionis.

I. Inter Ecclesias proprie dictas, apud omnes, recen-

1) De etymologia vocis, *Capella,* non una est Auctorum sententia. Eam derivant alii a *Capella,* sumpta pro parva capra, quia olim Capellae caprinis pellibus tegebantur adversus aëris insidias; alii a capiendo populos; alii, et quidem melius juxta Guyetum *l. c. q. 1,* a *Cappa,* quod Francum nomen est et tegumentum significat; alii denique a *cappa S. Martini.* „Alii, ait Cavalieri *dec. 25 cit. n. 19,* contendunt, ut scribit Durandus *lib. 2, cap. 10, num. 8,* praedictum Cappellae nomen derivare a Cappa S. Martini, quam religionis ergo Francorum Reges procedentes ad praelia, secum portabant. Verum ut bene advertit Macrus, ex dicta Cappa non nomen Cappellae, sed Cappellani originem trahit, quatenus Sacerdotes muneri deferendi praefatam Cappam, et alias Reliquias mancipati, dicti fuere Cappellani, quemadmodum colligitur ex epistola Carlomanni Ducis Francorum data Anno Domini 742; quae descripta habetur in Capitular. Francor. *lib. 5, cap. 2.*"

2) Vox, *Oratorium,* ab orando derivatur et promiscue usurpatur pro Capella. Quinimo potius nomen Oratorii quam Capella adhibetur pro designando sacello privato.

sentur Ecclesiae Cathedrales [1], Collegiatae [2], Parochiales et Conventuales seu Regulares [3]. Ex his Ecclesiis quaedam sunt Matrices, quaedam insignes, quaedam Basilicae. Cf. Reiffenstuel *lib. 3, tit. 48, n. 3,* Devoti *Inst. Can. lib. 2, tit. 7, § 5.*

II. Aliae aedes sacrae vocantur Capellae seu Oratoria. „Oratoria autem, inquit Auctor (C. R. de M.) *Instit. Juris canonici publici et privati, P. II, lib. 1, c. 1, art. 1, 6°,* sunt minores quaedam Ecclesiae, ac orando specialiter denominatae, quia populum certum sub se non habent, adeoque vulgo neque praepositum cum proprie dicta cura animarum, in jure saltem expressa; sed magis ad ultro accedentium preces excipiendas sunt destinatae."

1° Ex his alia sunt *publica,* alia *privata,* seu *domestica.* „Oratorium publicum, ait Auctor cit. *cap. 2, art. 1, § 5,* est aedes sacra ad Dei cultum et quidem perpetuo, auctoritate Ecclesiastica competenti deputata, habens liberum ingressum et egressum per viam publicam [4]. Iis assimilantur, ac pro talibus reputantur oratoria quaedam, quorum accessus aut recessus non omnibus quidem patent, sed ad utilitatem communem collegii, seu communitatis cujusdam

1) Si Ecclesia Cathedralis sub se habeat alias Cathedrales, vocatur Metropolitana, et si plures Metropolitanas, Primitialis aut Patriarchalis. Sic Lateranensis Romana caeterarum omnium in universa Ecclesia matrix ac princeps est et dicitur, et patriarchium totius mundi sibi merito vindicat, quia sedes est Romani Pontificis cujus primatus ad omnes Ecclesiae catholicae partes porrigitur.

2) Collegiatae dicuntur quae habent collegium canonicorum.

3) Conventuales Ecclesiae sunt quae a monachis et regularibus administrantur. Aliis verbis, „Ecclesia *Regularis* est, inquit Reiffenstuel *lib. 3, tit. 48, n. 3,* quae pro habitatione, Divinisque Officiis Religiosorum principaliter erecta est."

4) Hujusmodi ingressus requiritur ex ipsa natura Oratorii publici. „Quia, inquit Gatticus, *cap. 3, n. 2, de Oratoriis domesticis,* nunquam aliquod Aedificium publicae commoditati patere poterit, nisi janua illius in publico loco, id est, in via publica patuerit... Ubi ergo, ait *n. 5,* per domus atrium, per praedium, aeram, campumque alicujus dominio addictum necesse fuerit transire ad subeundum Oratorium, vera publici Aedificii destruetur natura, nisi vel saltem *immemorabili* consuetudine transitus ille pro publico haberetur, nec ulla superesset facultas, in Domino praedii domusque, qua ingressum impedire possit ... aut nisi Dominus atrii solique, publico instrumento renunciaverit suae jurisdictioni."

competenter approbatae inserviunt, uti oratoria carcerum hospitalium. . .“

2° Oratorium privatum ab eodem Auctore ita describitur, *l. c.* §. 6. „Sicuti, ait, oratorium publicum est illud quod ad Dei cultum auctoritate Ecclesiae, et quidem perpetuo, est deputatum, habens insuper liberum accessum et regressum in via publica per quos ad communem usum multitudinis inserviat, unde recte *publicum* dicitur, ita oratorium privatum est utique locus ad cultum Dei deputatus (alioquin nihil de re et nomine *oratorii* haberet), tamen non auctoritate Ecclesiastica, verum privato arbitrio erectus, nec perpetuo saltem ex essentia, sed pro tempore et perseverantia voluntatis aedificantis, nec inserviens in usum multitudinis, habensque propterea publicum accessum, sed e contra privatae pietati destinatus, ideoque multitudini occlusus. Haec sunt enim ex quibus recte oratorium nuncupatur et est *privatum.*“ Cf. Cav. *dec.* 25 *cit. n.* 21, Gardellini *n.* 4415, *ad* 10.

III. *Status quaestionis.* 1° Agitur de Capellis publicis, quae per se stant et ad S. Missae sacrificium sunt deputatae sive per benedictionem, sive per consecrationem: quaeritur an dictarum Capellarum Titulo, qua tali, ea competant quae per Rubricas et jura tribuuntur Titulis seu Patronis Ecclesiarum?

2° De Titulo Oratorii privati quaestio esse non potest. Cum enim hujusmodi Oratorium non sit benedictum, benedictione Oratoriis publicis propria, qua constituitur Titularis, hunc, in sensu liturgico acceptum, non habet.

3° Jam vero Titulari in sensu liturgico, saltem ubi de Ecclesiis agitur, tria conveniunt, videlicet: Titularis *a)* locum de profano reddit sacrum eumque proinde facit gaudere juribus, quae loco competunt, cf. dicta *Tit. I,* § *3, n. 5; b)* Aedi sacrae, in ipsius honorem dicatae, nomen tribuit et patrocinatur; et *c)* gaudet privilegio Officii et Missae, necnon commemorationis inter suffragia Sanctorum et in oratione *A Cunctis.*

De juribus quae per leges tribuuntur locis sacris, non est hic locus inquirendi. Investigandum est solummodo de recensitis sub litteris *b* et *c.* Quoad primum, nuncupationem scilicet et patrocinium, nulla est difficultas. Capellae publicae, non secus ac Ecclesiae nomen et patrocinium accipiunt a Titularibus qui ipsis fuerunt legitime

constituti. Quid autem juris circa alia, investigatur in sequentibus quaestionibus, quarum prior erit de Missa utpote minus difficilis et brevior.

Quaestio I.

An Titulus aut Patronus dictarum Capellarum, qua talis, habeat jus ad Missam et ad nominationem in oratione *A Cunctis?*

R. 1° Missa potest in die Festo celebrari sub ritu dup. I Cl. de Tali Titulo, etiamsi de illo Officium non fuerit recitatum, et praesertim, ait Cav. *l. c. n.* 22, si ad Capellam fiat concursus populi, qui ad eam accedit, Missam de praefato sancto auditurus. Quod confirmavit S. R. C. *die 8 Aprilis 1808 in Compostellana, n. 4357,* 8, sequente declaratione: „In publicis Oratoriis, cantari potest Missa de Titulari occurrente in Dominicis Adventus et Quadragesimae privilegiatis, non autem in illis exceptis, et in Missa dicenda est commemoratio Dominicae, et diei octavae tantum occurrentis, cum Evangelio ejusdem Dominicae in fine."

Dicitur: *potest*, quia in Capellis quae non habent Clerum addictum nec proinde officium, nullum existit praeceptum de peculiari colore paramentorum aut qualitate Missae. Haec ibi subsunt juri communi.

2° Neque dubitandum est quin idem Sanctus Titularis nominandus sit in oratione *A Cunctis.*

Priori parti responsi obstare non videtur aliud S. R. C. Rescriptum *12 Nov. 1831 in Marsorum n. 4520, 34.* Ibi enim respondetur ad dubium, prout jacet, in concreto sumptum. Cum vero proponatur de Oratoriis publicis simul et privatis, de Festo cum octava, tacitoque an publica habeant Clerum vere adscriptum; cumque Sacra cong. noluerit per partem respondere ad dubium ita complicatum, ideo non potuit non respondere *negative,* quamvis de solis Capellis publicis interrogata, saltem quoad Missam in die Festo, secus respondisset.

Caeterum ita esse intelligendum praefatum responsum satis declarat aliud rescriptum *die 7 Decemb. 1844 editum in Mechlinien. n. 4839, ad II, 1, 2.* En illud II dubium. „Juxta dec. S. R. C. *diei 12 Nov. 1831* celebrari non debet ritu duplici I Classis cum *Credo* et octava festum Titularis capellarum publicarum, quae existunt in hospitalibus domibusque Regularium. Verum existunt in Dioecesi Mechliniensi

plura hujusmodi oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus saltem Sacerdos, tanquam Director seu Pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam pastoralia exercet, v. g. instruendo populum, aliqua Sacramenta administrando etc. Quaeritur ergo, an sub decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta oratoria, 1. si sint publica; 2. si non sint publica, sed tantum inserviant determinatis personis, ex. gr. infirmis in Nosocomio, vel Monialibus, aut aliis in Monasterio, sive Conventu commorantibus? Et S. R. C. respondendum censuit ad quaestionem 1 et 2. Negative juxta decretum diei 12 Nov. 1831." Exinde quod sub dec. 12 Nov. 1831 non comprehendantur Oratoria, de quibus in dubio, concludit Deherdt, *P. V, n. 34, 9,* 1ae *editionis,* illorum Titularem esse celebrandum sub ritu dup. I Cl. cum octava a Clero, qui illis est adscriptus [1]. Hanc quidem sententiam mutavit in altera editione. Sed alienus a responso 7 Decemb. 1844 videtur sensus quem ibi tribuit cum aliis nonnullis. Ad dictum responsum sequentia scribit. P. IV, n. 5, 2ae *editionis.* „Si ergo non comprehendantur sub decreto 12 Nov. 1831, sequeretur illorum Titularem esse celebrandum sub ritu I Cl. cum octava uti dicetur p. 5, n. 34, ad 9. Verum responsio negativa decreti 7 Dec. 1844 in indice decretorum authenticorum S. R. C. *tom. 8, fol. 555 de oratoriis publicis n. 2*, hoc anno 1852. Romae impresso, explicatur in hunc sensum: *Titulares oratoriorum seu capellarum publicarum non sunt colendi ritu I Cl. cum octava.* Ita ut juxta hanc explicationem dicendum sit: 1° S. R. Congregationem in Dec. 1844 non respondisse ad petitionem, an sub decreto supracitato comprehendantur praedicta oratoria; sed ad sensum petitionis, scilicet an horum oratoriorum Titulares sub ritu I Cl. cum octava sint celebrandi: et 2° oratoria, quae existunt in hospitalibus domibusque Regularium, sive benedicta aut etiam consecrata, quibus aliquis Sacerdos adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii ibidem munia quaedam pastoralia exercet, comprehendi sub decreto 12 Nov. 1831, et proinde illorum Titularem, qua talem, non esse celebrandum cum officio sub ritu dup. I Cl. cum octava. In festo tamen Titularis publicorum oratoriorum Missa de eodem cantari

1) Cf. etiam *P. IV, n. 5, I, 1°.*

potest sub ritu dup. I Cl., cum *Credo*, et commemorationibus occurrentibus, quae locum habent in festis I Cl., iisdem diebus, quibus permitteretur officium, si fieri deberet, juxta *dec. S. R. C. 9 Apr. 1808, n. 4357, 8.*"

Ad haec ita responderi potest. 1° Necesse non est verba a propria significatione in sensum ipsis repugnantem inflectere. Nam, ut expositum est, unum responsum alteri non contradicit; quin e contra ei consonat. 2° Index Decretorum, unde aliud deducitur argumentum, non excedit vim documenti privati: non enim a S. R. C. aut ejusdem nomine, sed a persona privata, qua tali fuit confectus. Itaque cum allata interpretatio videatur fundamento carere, non minus quam sententia alterius auctoris rejici potest.

Quaestio II.

An Officium dicti Titularis, qua talis, recitandum sit sub ritu dup. I Cl. cum Octava, et agenda sit de eo commemoratio inter suffragia Sanctorum?

Praenotanda. 1. Haec quaestio est satis intricata. Eo difficilior est solutu quod, pro officio recitando, non sufficit Titularis per se habeat jus ad officium, sed praeterea requiritur adsit clerus *strictim* adscriptus. Cf. dicta supra *sect. 2, art. 5, n. 5.*

2. Ut vitetur quaestio de *solo* nomine, sedulo attendendum est quo sensu accipiatur vox Capellae. Si quoad praesentem materiam, Ecclesiae nomen tribuatur omnibus Capellis quae clerum habent strictim adscriptum, qui sit obligatus ad officium suae Capellae seu Oratorii publici, notio Capellae seu Oratorii publici sumitur in sensu strictiori quam communiter apud auctores, uti videre est ex dictis supra I et II. Ex qua strictiori acceptione sequetur nonnullas ex minoribus Ecclesiis, quae nuncupari solent Capellae publicae, dicendas esse Ecclesias, quarum Titulus habet Officium ritus dup. I Cl. cum Octava. Si Capellae publicae sumantur in hoc strictiori sensu, procul dubio solis Ecclesiarum Titulis competet jus ad Officium dup. I Cl.

3. An autem vocabulum *Capellae* seu Oratorii potius accipiendum sit in sensu latiori quam strictiori, non est meum definire. Tantum haec duo adnoto: illud vocabulum *a)* apud AA, communiter sumitur in sensu latiori, prout deduci potest ex classibus Ecclesiarum datis supra: inter capellas nempe numerari censendae sunt Aedes quae non

pertinent ad aliquam ex classibus Ecclesiarum ibi recensitis — *b)* in eodem sensu sumi videtur a S. R. C. in Rescripto 12 Aug. 1854, in *Lucionen.* dub. XI. Ibi enim interrogata an recitandum esset officium Titularis quarumdam Capellarum, quibus Presbyter ab Episcopo adscriptus est *tanquam capellanus Monialium*, respondit, *die 12 Aug. 1854, negative* ... quia, inquit, „Capellae in Dubio expressae *habendae* semper sunt *ceu Oratoria.*" Ex hac allegata ratione concludendum sane videtur duplicis generis dari Capellas publicas: *a)* eas nempe quae non veniunt, et *b)* eas quae veniunt nomine Ecclesiae, id est quae, *quoad Officium Titularis*, non habentur *ceu Oratoria*, sed tanquam Ecclesiae, licet alio sub respectu adhuc sint et nuncupentur Capellae vel Oratoria. Hinc capella publica seminario adnexa saepe, praesertim si sit ex minoribus, nuncupatur Oratorium publicum; et tamen cum habeat clerum vere adscriptum, ratione scilicet habitationis, venit nomine Ecclesiae. Et ea videtur esse ratio ob quam S. R. C. sequenti rescripto, declaravit recitandum esse officium ejus Titularis sub ritu dup. I Cl. cum Octava. S. R. C. *dec. 27 Febr. 1847 in Ruremonden. n. 4926, ad 5.* — Quomodo quis vere seu strictim adscribatur alicui Ecclesiae, dictum fuit supra *sect. 2, art. n. 5.* Quidam ex modis ibi recensitis conveniunt etiam Oratoriis publicis prout dicitur hic *resp.* 2°. Quibus praemissis solvitur quaestio proposita.

Resp. 1° Negative, juxta omnes, si Capellae non habeant Clerum strictim adscriptum, v. g. si adsit tantum Presbyter adscriptus, tanquam Capellanus Monialium. Quod confirmatur ex dec. cit. *in Lucionen.*

Resp. 2° Affirmandum est cum Cavalieri, si Capella habeat clerum strictim adscriptum, v. g. ratione beneficii [1],

1) „Si autem, inquit Cav. *l. c. n. 22*, est Titulus Beneficii, poterit, imo debebit Beneficiarius, qui ei praeest, ita de illo Sancto recitare, ut docet Guyetus *lib. 1, cap. 16, quaest. 3.*" „Quod ad Capellam separatam attinet, ait Guyetus *l. c.* si ea Titulus est Beneficii ... ad quam forte fiat quoque consursus populi in Festo Patroni seu Tituli ipsius, non dubius assero, posse, imo et debere Beneficiatum qui ei praeest, recitare de illo Sancto. Quidni enim veniat ejusmodi Capella nomine Ecclesiae, ut a pari arguunt de immunitate Panormitanus in cap. *Ecclesiae, n. 7, de immunitate Ecclesiarum*, Sylvester verbo *immunitas* et alii." Guyetus non assignat alium casum quo agendum sit Officium Tituli Capellae per se stantis.

curae plene commissae, habitationis in conventu aut in Seminario uti dictum est. Et ratio est, ait Cav. *dec. 25 cit. n. 22,* „quia praefatae Capellae publicae veniunt nomine Ecclesiae, ut docent Guyetus *lib. 1, cap. 1, quaest. 5, cap. 16, quaest. 3 etc.* Panormitanus *in cap. Ecclesiae, num. 7 de Immunitate Ecclesiarum.* Silvester *V. Immunitas*, Barbosa *de appel. verb. V. Ecclesia num. 16.* Leander *tract. 5, disp. 14, quaest. 73,* Diana Coord. *tom. 4, tract. 2, resol. 60 et 61*, et alii communiter loquendo in materia favorabili. Cum igitur veniant nomine Ecclesiae, et per Rubricas festum Tituli Ecclesiae sub ritu duplici primae classis, et cum Octava celebrari debeat, quidni in iisdem ita celebranda erit saltem Missa, si quoad Officium in praedictis Rubricae locum non habent ob defectum Cleri Choro dictarum Capellarum addicti?" Et *num. 24* argumentatur ex textu hujus Rubricae. „Deduciturque, ait, ex Breviarii Rom. *tit. 9, num. 3* ubi statuitur, quod quodlibet festum in Dominicis II Classis occurrens transfertur, *nisi illud Festum principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiae, non autem alicujus Capellae, vel Altaris ejusdem Ecclesiae*, ex qua patens fit, et praefati deducunt Auctores, quod Festum Tituli Capellae, quae non est pars alicujus Ecclesiae, sed Sacellum per se stans, celebrari debet, et sub ritu duplici primae classis, et cum Octava, quemadmodum et nos ipsi dicebamus, loco citato agentes de Festo Dedicationis earumdem Capellarum." Attamen ut argumentum vere probet, stabiliendum est dictas Capellas venire, in praesenti Rubrica, nomine Ecclesiae, et non constituere specialem classem Aedicularum sacrarum.

Huic responso non contradicunt, prout eruendum est ex disputatis, decreta S. R. C. *12 Nov. 1831, ad 34,* vel *12 Aug. 1854*, neque aliud, de hac materia datum *die 23 Maii 1846, n. 4904 ad IV.* Sacerdotes enim, de quibus agitur in dubio, non sunt strictim adscripti.

E contra favet Responsum *7 Decemb. 1844, ad 2, in Mechlinien.*

Caeterum, uti fuit praenotatum, quaestio non est de nomine. Ideo si quis voluerit Capellas, quae habent Clerum strictim adscriptum, nuncupare Ecclesias proprie dictas, ac proinde earumdem Titulari tribuere Officium, nolumus cum eo contendere: in re enim consentimus. Si vero quis neget has Capellas venire nomine Ecclesiae, quoad Offi-

cium Titularis, ab eo quaerimus, quibusnam qualitatibus, Capellas ab Ecclesiis discernat.

In praxi aliquando difficile erit discernere an Capella habeat necne Clerum strictim adscriptum. Vide dicta locis, supra citatis, *praenot. 3.* In dubio, an officium recitandum sit necne, servetur solitum usquedum aliquid certi haberi possit.

Idem ac supra resolvit Cavalieri *l. c.* de Capellis publicis, quae Clerum quidem non habent proprium seu peculiarem, sed adnexae sunt Ecclesiis in quibus est usus chori. At huic resolutioni obstat dec. S. R. C. *23 Maii 1846, n. 4904, ad IV.*

Quaerit Guyetus *l. c. q. 7* quid censendum sit de Patronis seu Titulis Domorum hospitalium?

Respondet: „Domus hospitalis, sive ea sit Nosocomium, sive Orphanotrophium, sive . . . Domus hospitalis quaecumque, locus quidem semper est pietatis ac misericordiae, at non continuo sacer, nisi Episcopi auctoritate exstructus, vel etiam dotatus ac deputatus fuerit, cap. *Ad haec de Religiosis domibus.* Si ergo sacra non est, neque Sanctum Patronum aut Titulum habebit. Si vero sacra est, vel est instar Beneficii Curati, vel Beneficii simplicis: si primum venit nomine Ecclesiae, ideoque de ejus Patrono seu Titulo, perinde ac de Patrono seu Titulo Ecclesiae judicandum; multoque adhuc magis, si est ipsamet Conventualis aut etiam Collegiata Ecclesia: si secundum, quod de Capella dictum est, de tali quoque domo accipiatur." Quid dicat de Capella, per se stante, habetur supra in nota ad hoc responsum apposita.

De commemoratione, inter Suffragia Sanctorum facienda, idem resolvatur ac de Officio.

Rub. 4. De Octava etiam, quando festo novem lectionum vel Dominica impeditur, fit commemoratio, nisi illud festum novem lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, ut supra (¹). Nam in primis Vesperis et Laudibus hujusmodi festi nulla fit commemoratio festi simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliae, excepta Vigilia Epiphaniae, nec alicujus diei infra octavam, nec alicujus praecedentis festi novem lectionum (nisi id festum fuerit ex iis, quae infra in hac eadem Rubrica enumerantur), nec diei octavae, nec Dominicae, si festum illud solemne celebretur feria secunda: exceptis Dominicis (²) Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad octavam Paschae inclusive: de

quibus Dominicis, sicut etiam de feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, et secundae Rogationum semper fit commemoratio, quocumque festo adveniente. Quod si hujusmodi festum solemne venerit in quacumque Dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et Laudibus. Et similiter si occurrat in die octava alicujus festi habentis octavam, de ea fiet commemoratio etiam in utrisque Vesperis et Laudibus. In secundis autem Vesperis festi praedicti fit commemoratio de duplici, semiduplici, et Dominica sequentibus, et non de aliis.

(1) *Nisi illud festum . . . fuerit . . . ut supra.* Quae exceptio intelligenda est de quocumque Festo dup. I Cl., ut infra Rub. 5.

(2) *Exceptis Dominicis Adventus etc.* Inter Dominicas exceptas non numeratur Dominica I post Pentecosten, cui affixum est Festum SS. Trinitatis. Nam, ex dec. S. R. C. *27 Mart. 1824, n. 4454*, de hac Dominica omittitur commemoratio in II Vesperis, si Festum I aut II Cl. celebretur feria II. Et ratio est quia privilegium ad instar Dominicarum I Cl., id est quatenus nunquam omittitur, non tribuitur Dominicae I post Pentecosten, sed Dominicae seu Festo SS. Trinitatis. Cf. adnotata ad dec. cit. in collect. Gardelliana.

Rub. 5. Idem servatur in quibusdam festis majoribus (1) per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus officio nulla fit commemoratio de sancta Anastasia, sed in secunda tantum Missa), in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proxime antecedentibus, et duobus sequentibus diebus, in festo Corporis Christi, in festis Nativitatis Joannis Baptistae sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis beatae Mariae, in festo omnium Sanctorum, et in festo Dedicationis propriae Ecclesiae: in quibus festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de festo solemni alicujus loci.

(1) Majora dicuntur Festa I Cl. quae recensentur supra in Indice *Tit. I*, *§ 2*, et in praesenti Rub. ac praeced. 2a.

Rub. 6. In festis autem secundi ordinis, videlicet, Circumcisionis, Trinitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, et Nativitatis B. Mariae, in Natalitiis XII Apostolorum (1) et Evangelistarum, in festo sancti Josephi, Inventionis sanctae Crucis, et in festo sancti Laurentii, et Dedicationis sancti Michaelis Archangeli (2), in primis

Vesperis fit commemoratio festi duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur: de Dominica vero, de die infra octavam, et de festis semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo quo nec in festo solemni alicujus loci, ut dictum est supra. De simplicibus et Vigiliis in his festis occurrentibus legitur nona lectio, et fit commemoratio in Laudibus tantum (³). In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequente festo, etiam simplici, et de die infra octavam, si de ea fieri debeat officium die sequenti. De octavis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi, semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio festo officium celebrari juxta Rubricam de octavis num. 3.

(1) Non tamen Apost. Petri et Pauli: horum enim Natalitium festum est dup. I Clas. juxta Rub. praec.

(2) Festis secundi ordinis, id est, II Cl. quae hic recensentur, quaedam fuerunt decursu temporis addita. Haec habentur in Indice *cit. Tit. I.*

(3) *In Laudibus tantum.* Pariter omittitur, in I Vesperis, commemoratio simplicis, quando dup. II Cl. non habet I Vesperas, sed dicuntur II Vesperae de praecedente digniori dup. II Cl. Quia quamvis duplex II Cl. admittat commemorationem simplicis in suis II Vesperis concurrentis, hic tamen omitti debet ob sequens duplex II Cl., quod excludit commemorationem simplicis in suis primis Vesperis, et quamvis Vesperae de eodem non fiant, habet tamen jus ad illas, et consequenter jus excludendi commemorationem simplicis. *Gav. s. 3, c. 11, n. 5 et Mer. ibidem n. 3.* Et ita declaravit S. R. C. *27 Mart. 1824, n. 7454, 1* quoad commemorationem Dominicae in eodem casu. Quod igitur magis de simplice dicendum est. Deherdt *P. IV, n. 23, ad 1.*

Rub. 7. De Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae Commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus (¹). De feriis Quatuor Temporum, Vigiliarum et secunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantum. De festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) commemoratio fit in primis Vesperis et Laudibus eo die, quo in Calendario assignantur. De aliis vero Dominicis per annum et octavis commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus, nisi concurrant cum supra enumeratis (²) festis.

(1) Aliquo sensu dici etiam potest commemoratio fieri

de Dominica, Feria, Vigilia et Simplice in Matutino per nonam lectionem, quae legitur in III Noct. juxta Rub. 9 et 10 h. t.

(2) Duplicibus nempe I et II Classis.

Rub. 8. Commemorationes fiunt hoc modo: post orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona, quae posita est ad *Magnificat*, et in Laudibus, quae posita est ad *Benedictus* (1) in communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post hymnum Vesperarum et Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem communi (2), unde sumpta sunt in officio diei; in festo commemorationes (3) variantur, ita ut in Vesperis (4) sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem communis, nisi aliter signetur (5). Et similiter si in secundis Vesperis sanctae Agathae, aut alterius Sanctae novem lectionum fieri debeat commemoratio beatae Mariae, pro ejus officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur v. *Diffusa est gratia*, dicatur v. *benedicta tu* ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem (6) sit oratio festi, de quo fit officium, et ejus de quo fit commemoratio, mutetur oratio pro commemoratione in aliam de communi (7). Si de tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet vel feria, antiphona et versus ante orationem eodem modo sumantur ex proprio de Tempore, si habuerit proprium; alioquin de Psalterio: oratio vero ex proprio de Tempore.

(1) „Ratio vero, ait Gav. *sect. 3, c. 11, n. 31,* cur pro commemoratione sumantur Antiphonae ad *Magnificat, et Benedictus*, ea esse potest: quia sunt nobiliores Antiphonae tum ratione Canticorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad Orationem, quae dicitur pro commemoratione." Cav. *tom. 2, dec. 287, n. 2.*

(2) *Ex eodem communi*, id est ex eodem loco v. g. Antiph. ad *Benedictus*, vers. e Laudibus. Et ratio est ne idem bis dicatur in eodem officio. Ac proinde mutatio seu variatio, non fit nisi in quantum opus sit, scilicet vel sola Ant. vel solus vers., vel utrique varianlur pro necessitate. Gav. Ut autem oratio aut versus debeat variari, non sufficit si quaedam tantum verba sint eadem. Hinc Cav. *l. c. dec. 286, n. 3*, merito adhaeret Gavanto, quatenus, *sect. 3, c. 11, n. 29.* Antiphonas ad *Benedictus* de Communi Con-

fessorum Pontificum, et non Pontificum facit esse diversas, et unam pro officio, et alteram pro commemoratione posse deservire: satis enim illa Pontificum per ea verba. *Dicit Dominus*, diversificatur ab illa non Pontificum, quae eorumdem loco tenet *Intra in gaudium Domini tui*, unde Breviarium ipsum Romanum cum in festo S. Bonaventurae pro currenti officio dixisset Antiphonam Pontificum, assignabat olim Antiphonam non Pontificum pro commemoratione S. Henrici tunc simplicis, et eadem die occurrentis. Secus autem sentit de vers. *Ora pro nobis*.

„De versu, ait *n. 4*, *Ora pro nobis* difficilius est stabilire, num per sequentia verba puta *S. Augustini*, et *S. Dominici* diversificetur adeo, ut pro officio, et Commemoratione valeat usurpari. Pro diversitate faciunt, quae modo dicta sunt in diversitatem praefatarum Antiphonarum, quibus addi potest, quod in officio S. Elisabeth Reginae Portugaliae dicitur versus *ora pro nobis, Beata Elisabeth*, licet non signetur, versum, *ora pro nobis, sancta Dei Genitrix*, in suffragio de S. Maria esse variandum. Pro identitate sentit Guyetus *lib. 6*, *cap. 17*, *qu. 6*, cui nos subscribimus, quia alias nunquam variandae forent orationes, utpote quae per nominationem respectivi Sancti semper sufficienter forent diversae, quod est contra eamdem Rubricam *de commem. n. 8;* nonnisi enim per nominationem respectivi Sancti versus censeri possent diversi. Par nec est ratio de praefatis Antiphonis, quia verba, quae in fine tenent, nec in sensu, nec in materialibus terminis conveniunt, et idipsum fortasse est de versu *ora pro nobis, sancta Dei Genitrix*, qui licet in petitionis scopo conveniat cum eo S. Elisabeth, non tamen in materialibus terminis, ut fortasse eveniret si cantaret *S. Maria*, utpote quia tunc non diversificarentur versus, nisi in Sanctorum nomine, quorum intercessio imploratur. Cum itaque bis versus *ora pro nobis* ut supra dici deberet, eumdem commuta in alium de respectivo communi de eo, de quo commemoratio est facienda; et quatenus in memorato casu S. Elisabeth, quod non consulerem, diversitatem in versus invehendam esse putes, pro S. Maria ad Vesperas dicito *Diffusa*, et ad Laudes *Benedicta tu*, ut habet officium ejusdem S. Mariae in Sabbato.“

Quaeritur an pro commemoratione ejusdem possit dici eadem Ant., idem vers. in Vesperis et Laudibus?

R. Affirmat Gav. *l. c. n. 28.* Negat autem Cav. *l. c.*

dec. 286, *n.* 2, suamque sententiam praesertim probat ex S. R. C. dec. 5 *Maii 1736,* quod exponit, *in Ord.* 287. Huic sententiae adhaerendum putamus ex dicto decreto, de quo infra, 4, *ad 1.*

(3) *Commemorationes,* nimirum festi simplicis, et quidem simplicis *per se.* Praesentem enim Rubricam et decretum 5 Maii 1736, de ea editum procedere de commemoratione simplicis *per se,* non autem de Simplici *per accidens* [1], neque de Octava [2], probatur a Cav. *l. c. dec.* 287, *n.* 1, 4 *et* 7, ex ipso contextu. Attamen nomine Simplicium, hic veniunt etiam suffragia, quae de Patrono, aut Titulo ejusdem qualitatis fieri deberent. Cav. *n. 4 cit.*

Commemorationes variantur. Variatio fit in Ant. et vers. pro commemorationibus adhibendis, non autem pro Ant. et vers. ipsius Officii; imo si Ant., non vers., sit eadem, haec tantum variatur, et vicissim, ut dictum est.

(4) *Ita ut in Vesperis,* primis scilicet. Quia II Vesperas non habet Simplex. Et revera hic agi de I Vesp. inde patet quod si in II Vesp. Ant. et vers. sumerentur ex Laudibus, varietas quidem poneretur in Antiphona non in Versu, cum vers. Laudùm sit idem ac vers. II Vesperarum, qui in casu jam pro festo dictus fuisset. Cav. *l. c. n.* 7.

Sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex I Vesp. Haec, uti dictum est, procedunt de Simplice *per se* et quidem unico. Quaeritur ergo quid agendum sit in casu 1° plurium Simplicium occurrentium; 2° unius quidem Simplicis, sed ubi, in Vesperis acta jam fuit commemoratio de Festo praecedente ejusdem qualitatis; 3° Simplicis *per accidens,* et 4° diei infra Octavam.

Responsum ad 1 habetur verbis expressis in sequenti Declaratione quam S. R. C. dedit pro varianda commemoratione unius aut plurium Simplicium. „*Ad Vesperas:* primo accipienda est Antiphona cum versu Laudum. Si vero plures sint commemorationes simplicium, tunc secunda Commemoratio sumetur ex secundis Vesperis cum versu secundi Nocturni, tertia vero Commemoratio fiet desumendo Antiphonam primam ex tertio Nocturno, cum versu ejusdem Nocturni. *Ad Laudes:* prima Commemoratio cum versu erit propria ex primis Vesperis; secunda Commemoratio fiet

1) De simplici per accidens vid. dicta ad *Tit. X, Rub.* 7.
2) Quod patet ex dec. cit. infra 4, *ad IV.*

cum Antiphona tertia [1], et versu assignatis jam in primis Vesperis; tertia autem Commemoratio fiet desumendo Antiphonam et versum dictos secundo loco in primis Vesperis, nempe Antiphonam secundarum Vesperarum et versum secundi Nocturni.“ *Die 5 Maii 1736 in Einsidlen. n. 3894, ad Tit. XXIV de Versibus, dub. 3.*

Si Varianda sit Ant. de communi plurium SS. Virginum, ubi eadem est Ant. *ad Magnificat* in utrisque Vesp. et *ad Benedictus*, tunc „pro commemoratione simplicis servanda est Antiphona: *Istarum est enim regnum etc.*, ut in festo SS. Perpetuae et Felicitatis Martyrum *7 Mart.*“ *Die 7 Sept. 1680, ad 11.* Cf. Cav. *l. c. dec. 288.*

Ad 2. Respondet Cavalieri *n. 4 cit.* „Pro praecedenti festo, ait, usurpanda est Antiphona cum versu secundarum Vesperarum, quae jam in usum essent, si de eodem fierent Vesperae, adeoque [2] erit Antiphona *Amavit* cum versu *Justum*, in reliquis vero minus laede ordinem, quam fieri potest, unde pro primo simplici deserviet Antiphona *Euge* cum versu *Elegit*, quia versus *Justum* jam dictus fuit; pro secundo simplici *Domine iste Sanctus*, cum versu *Tu es Sacerdos;* et si adhuc simplicium commemorationes supersunt, substitue Antiphonas, et versus, de quibus infra dicemus. Ad Laudes vero pro primo simplici erit Antiphona *Sacerdos* cum versu *Amavit;* pro secundo, cum jam assignata Antiphona de eodem, dicta fuerit in Vesperis, substitue Antiphonam, quae eidem assignata fuerat pro Vesperis, et fuit sibi praerepta a commemoratione praecedentis festi, nempe Antiphonam secundarum Vesperarum *Amavit;* versus vero itidem erit, qui in iisdem Vesperis dici debebat, nempe versus secundi nocturni *Elegit*, qui licet in Vesperis jam dictus fuerit, non tamen pro secundo, sed primo simplici. Pro tertio denique simplici ad Decreti tramites remanent Antiphona, et versus, qui substitui possunt, nempe prima Antiphona tertii nocturni *Domine iste Sanctus* cum suo versu *Tu es Sacerdos*, et ideo ad alia confugiendum non erit.“

Ad 3. Respondet etiam Cavalieri *l. c. n. 10.* Primo proponit ordinem cui non adhaeret, et deinde exhibet modum

1) Non praescribuntur Antip. et vers. II Vesperarum, ne repetatur in Laudibus ea Ant. cum vers., qui pro eodem jam dicti fuerunt in Vesperis. Sunt verba Caval. *n. 287, dec. cit. 3,* supra *ad 2.*

2) Supponitur casus de Confessore Pontifice, ut ibi *n. 2.*

qui ipsi probandus videtur. 1° „Si in primis vesperis ponatur Antiphona cum versu laudum, et in laudibus Antiphona cum versu primarum vesperarum, equidem invehitur varietas in laudibus et primis vesperis; at quid postea praestabis in secundis? Alterutram ex Antiphonis laudum, aut primarum vesperarum repetere, vel aliam ex nocturnis subrogare, contra memoratam Rubricam esse videtur, quae semper, si fieri potest, easdem Antiphonas, quae ablato impedimento dici deberent, alio loco praescribit." 2° statim subjungit: „Tu itaque in primis vesperis dicito Antiphonam cum versu secundarum vesperarum et in laudibus Antiphonam cum versu primarum vesperarum, in secundis vesperis Antiphonam laudum cum versu itidem primarum vesperarum; jam enim vides, quod statim omnes, quae alias dici deberent, Antiphonas recitas, et si iteras versum primarum vesperarum, non aliud praestas, quam praestare deberes de versu laudum, qui et ad laudes, et ad 2 vesperas foret dicendus; quare huic versui non subrogas, nisi versum primarum vesperarum."

Ad 4. Respondit ipsa S. R. C. „scilicet pro Laudibus sumendam esse Antiphonam de secundis Vesperis et pro secundis Vesperis de Laudibus: in utroque tamen casu cum versu de primis Vesperis. „*Die 18 Dec. 1779 in una ord. S. Francisci n. 4246, ad 6.* Antiphona non desumitur ex primis Vesperis, quia has non habet dies infra Octavam. Versus tamen desumitur ex I Vesp. tum quia vers. II Vesp. jam fuit adhibitus in Officio, tum quia dictus vers. alienus non est ab officio diei infra Octavam, sicuti Ant. II Vesp., siquidem usurpatur ad I Nocturnum. Cf. Cav. *dec. 287 cit. n. 8.*

De ipsa Octava die, cujus fit sola commemoratio propter aliud officium in ea occurrens, idem dicendum venit quod, de Simplice *per accidens*, resolutum est ad 3.

Cavalieri *l. c. n. 9*, duos casus ponit et resolvit. „Quod si, inquit, die praecedenti actum sit de festo ejusdem qualitatis, ac consequenter pro hoc adhibenda sit Antiphona cum versu secundarum vesperarum, pro commemoratione octavae deserviet Antiphona laudum cum versu secundi nocturni, cum versus laudum jam dictus esset pro commemoratione, vel in vesperis festi praecedentis. At quid si itidem occurrat festum simplex ejusdem qualitatis? Dicito Antiphonam primam cum versu tertii nocturni."

(5) *Nisi aliter signetur.* Cujus rei exempla habentur in commemor. S. Hilarii, ad II Vesp., 15 Januarii; item in I Vesp. SS. Euphemiae, etc. occurrentium 16 Sept. cum SS. Cornelio et Cypriano. Hujusmodi autem Ant. non assignantur, in praedictis casibus, qua propriae, sed varietatis gratia. Hinc si Festum transferatur, non variantur Ant. et vers., quemadmodum disponit Rubrica peculiaris de S. Hilario, et S. R. C. declaravit de SS. Euphemia et sociis, *die 14 Dec. 1709, n. 3669.* Cf. Cav. *ad h. dec. 285 l. c.*

(6) *Si eadem sit Oratio.* Quod evenit non solum quando Oratio ex toto eadem est, sed praeterea *a)* quando adest varietas unius tantum vocis, *b)* vel etiam plurium vocum, si tunc *postulatio* utriusque iisdem verbis constet. Rem ita explicat Guyetus *lib. 3, cap. 2, quaest. 7.* „Quod (identitas nempe Orationis) facile advertitur, inquit, quando ex toto Oratio eadem est. At quando tantum variat in parte aliqua, aut etiam in uno verbo, caeteris iisdem manentibus, estne par ratio?

Respondeo parem esse, primo, quando variatio tantum est unius vocis, sic Oratio SS. Philippi et Jacobi Apostolorum non differt ab Oratione de Communi plurimorum Martyrum, cujus initium est, *Deus qui nos annua,* quod haec in fine habeat *accendamur exemplis,* illa vero *instruamur.* Itidem Oratio SS. Tiburtii et Susannae, eadem prorsus cum Oratione SS. Cypriani et Justinae, nisi quod una incipit *Sanctorum Martyrum tuorum,* alia vero *Beatorum.*

Secundo: par item est ratio, quando postulatio utriusque iisdem verbis constat, licet nonnihil varium sit initio seu in Oratione aut Gratiarum actione. Sic eamdem esse censeo Orationem S. Matthaei Apostoli et S. Josephi. At quando utriusque postulatio omnino diversa est, licet caetera sint eadem, non tamen censeri debent eaedem Orationes, sed plane diversae, quales sunt Oratio secunda pro uno Martyre Pontifice, et prima pro Confessore non Pontifice. Identitas illa frequentius occurrit in Secretis et Postcommunionibus, de quibus agetur ubi de Missa.“

Dicta de varianda Oratione, intelligenda sunt de casu quo Officium et Commemoratio non sint de eodem. Alias enim prorsus omittenda est Commemoratio. Nam regula generalis est quod de uno et in eadem parte officii non potest simul fieri officium et commemoratio. Hanc regulam tanquam communiter receptam tradit Cavalieri *tom. 2, dec. 279.*

Addit: „Suffragium suum non denegat Rubrica 8, *num. 3*, dum si feria VI celebratum sit officium 9 lectionum de B. Maria, nulla commemoratio decernitur de sequenti officio S. Mariae in Sabbato, uti et Rubrica 35, *num. 4*, quae in officio B. Virginis supprimit ejusdem suffragium.“ Dici potest probata ex S. R. C. decretis statim allegandis. Sic S. R. C. declaravit omittendam esse commemorationem diei infra Octavam Nativitatis B. M. V. quando simul *occurrit* Festum SS^{mi} Nominis ejusdem. *13 Sept. 1684*, *n. 2920*, *et 24 Sept. 1685*, *n. 3250.*

Nec aliter agendum, ubi concurrunt duo officia de eodem. Cf. S. R. C. *17 Aug. 1771, n. 4208, 3* et *27 Mart. 1824, n. 4454, 2* [1], de Octava Corporis Christi concurrente cum Festo SS. Cordis; et *22 Julii 1848, n. 4974, 1*, de duobus Officiis B. M. V. ejusdem ritus. Conferri etiam possunt decreta *2 Sept. 1741*, *n. 3970*, *10*, de Festo Annuntiationis concurrente cum Officio 7 Dolorum; *27 Mart. 1779, n. 4244, 12* de Festis B. M. V. et Exspectationis Partus — Item *11 Apr. 1840, n. 4731, 7,* de duobus officiis Passionis. Cf. Cav. *l. c. n. 2.*

Quaeri potest an omnia Domini aut Sanctorum festa, quae non sunt de eodem, sed de diverso Mysterio aut facto, ita censenda sint de eodem objecto, ut alterutrum sit prorsus omittendum?

Resp.: 1° *Quoad Festa seu Officia Domini* negat Cav. *l. c. n. 3.* Sed hoc *generatim* negari nequit, stante decreto citato de Octava Corporis Christi concurrente cum festo SS^{mi} Cordis. Attamen neque id *generatim* affirmari potest, cum nihil hujusmodi clare doceatur sive per Rubricas, sive per Decreta S. R. C. et potius contrarium opinentur Auctores magni nominis. Itaque si casus nondum definitus occurrat, resolvatur vel ex paritate cum alio jam soluto, vel ex ipsa rei natura, vel ad S. R. C. recurratur.

Interim juvare poterunt sequentia, quae a Cav. *l. c. n. 3* traduntur. „Scribit Gavantus, *inquit Cavalieri*, sect. 7, cap. 9, n. 3, *si concurrant festa Ascensionis, et Inventionis S. Crucis, fiat commemoratio de festo S. Crucis, licet videatur festum de eodem Domino, et differentia satis patet in diversitate mysterii, quidquid alii contra scripserint;* quidni igitur idipsum fieri poterit in diversis Deiparae mysteriis? Fateor, quod magis arrideret mihi id, quod contra scripsere

1) Vid. Gardellini *h. l.*

Auctores suppresso nomine allegati, verum cum obsistat communis usus, qui in omnibus Christi festis agit alterius commemorationem, cum quo concurrit, ut in festo SS. Nominis Jesu de praecedenti octava Epiphaniae, quoties cum hac concurrit, idcirco praefatam arbitrior fallere regulam in solis festis Dei, et Christi eo quod cum ab ipsis respective ut auctore, et intercessore bona nostra cuncta procedant, de iisdem numquam a nobis satis agitur."

Resp.: 2° *De Festis seu Officiis B. M. V. generalis* traditur regula in Resp. *22 Jul. 1848, ad 1 cit.* Ibi quaerebatur quomodo ordinandae sint Vesperae, quando concurrunt duo Officia B. M. V. ejusdem ritus? Et S. R. C. respondit: „In concurrentia faciendum esse totum de Officio occurrenti, sine ulla prorsus commemoratione de sequenti.“ In alia parte responsi declaratur quodnam de duobus sit praeferendum in occursu.

Si forte similis occurrat casus de Officiis aliorum Sanctorum, idem resolvatur ac de Officiis B. V.

(7) *In aliam de communi.* Si autem una tantum habeatur Oratio in communi, ut pro Doctoribus, adhiberi potest alia de communi Confessoris.

Quando oratio *Indulgentiam* adhibetur ad varietatem in concursu aut occursu duarum Virginum vel SS. Mulierum, tunc tacentur qualitates *Virginis* et *Martyris*. Cf. Gav. *sect. 8, c. 4, n. 7.*

Rub. 9. Quando fit commemoratio de Dominica vel feria quae habent propriam Homiliam, nona lectio in officio diei novem lectionum legitur de Homilia Dominicae vel feriae; quae erit vel prima de Homilia, vel tres simul in una lectione conjunctae.

Rub. 10. Si in die, in quo fit officium novem lectionum, fiat commemoratio de festo trium lectionum, nona lectio legitur de festo trium lectionum, si propriam habuerit: si duas, ex duabus fiat una lectio, quae sit nona in officio novem lectionum. Quae lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis, quae habent nonum responsorium, nec quando nona lectio legenda est de Homilia Dominicae vel feriae, ut supra; nec in feriis et aliis diebus, quando in officio diei leguntur tantum tres lectiones: nec etiam nona lectio legitur de die infra octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo festo, licet habeat Evangelium proprium et Homiliam.

Haec et praecedens Rubrica repetuntur infra Tit. XXVI *de Lectionibus*, Rub. 3. Vide ibi dicta.

Rub. 11. Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo (1). De duplici fiat ante Dominicam (2), de Dominica ante Festum semiduplex, de Semiduplici ante diem infra Octavam (3), de die infra Octavam ante ferias Adventus, Quatuor Temporum, Vigiliarum et Rogationum; et de dictis Feriis ante Festum simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem lectionum, quod Feria VI celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit commemoratio ante suffragia seu communes commemorationes de Cruce, sancta Maria, Apostolis et de Pace, et ante commemorationem cujuscumque Tituli, vel Patroni Ecclesiae, quae etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis praedictis praeponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

(1) *Servetur hic ordo.* Hic ordo non comprehendit commemorationes quae Officio adduntur *quasi per modum unius,* licet fiant sub distincta conclusione. Hujusmodi sunt commemorationes S. Petri in Festis S. Pauli et vicissim; item commemoratio quae, quibusdam in locis, fit de SS. Martyribus in Festo S. Stephani Protomartyris. Hae nimirum commemorationes considerantur tanquam partes Officii, illique immediate junguntur, id est, fiunt 1° loco. De commemoratione SS. Martyrum vid. dicta ad 26 Decembris. De illa SS. Apost. Petri et Pauli, sequentia hic animadvertere juvat.

Sancti Apostoli Petrus et Paulus id commune habent, ut, quemadmodum in vita dilexerunt se et in morte non sunt separati; ita nec unquam in Festis aut Officio separentur, quin saltem in Officio unius fiat commemoratio alterius, et quidem ante alias commemorationes, uti notatur in propriis festis. Quae distincta commemoratio, ubi Festum S. Petri v. g. ad Vincula, vel Conversio S. Pauli, est Titulus Ecclesiae, semper per octavam facienda est prout in die Festi. *S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970, 10.* Cf. Cav. *l. c. ad hoc Decret. in ordine 282.*

(2) *De duplici fiat ante Dominicam, etc.* Ordo hic praescriptus ordinat, ut commemorationes *Speciales* fiant ante *Communes.* Speciales autem ordinantur juxta ritum et

dignitatem; communes, juxta dignitatem. Quis ordo servandus sit inter Patronum Ecclesiae et Patronum loci, dicitur infra *Tit. XXXV.*

De commemorationibus Specialibus, ad juvandam memoriam, animadvertere est, hic eumdem constitui ordinem, quam pro Officio. Regula nimirum est, ut prius agatur commemoratio de eo qui, secluso impedimento, praeferretur quoad Officium.

Quae regula, juxta Rescripta S. R. C. servanda est etiam in casu simplicium per accidens, id est, in casu quo vel dies octava, vel aliud officium 9 Lectionum *solam* habeat commemorationem. Haec nempe facienda est, habita ratione ad ritum quo descripti sunt in propriis Calendariis.

Decretum diei *10 Jan. 1693, n. 3152, 7* respicit diem Octavam impeditam. „Concurrente, ait S. C., Dominica secunda Adventus die 7 Decembr. cum Festo Conceptionis B. M. V., et die octava Sancti proprii, fieri debet in Vesperis prius commemoratio Sancti proprii, deinde de Dominica, juxta dispositionem tabellae secundae de concurrentia Dominicae majoris, sive primae et secundae classis, cum die octava, ut ibi regula 3, quemadmodum praecise docet rubrica Breviarii Romani de commemorat. num. 11."

Alterum, quod est diei *18 Decemb. 1779, n. 4246, ad 1, 2 et 3,* datum fuit de Simplicibus per accidens. „Quoad ordinem vero [1], ait S. C., si, die eorum (Sanctorum 9 Lectionum qui in fine anni supersunt) propria, aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Officium, aut Vesperae integrae, aut Capitulum, aut dimidiae."

Dictum fuit: *prius agatur commemoratio de eo qui, secluso impedimento, praeferretur* quoad Officium. Uti ex his verbis eruitur, non necesse est, ut praeferentia existat simul in occurrentia et in concurrentia: sufficit habeatur in sola occurrentia, quamvis ratione concurrentiae officia sint paria ac proinde dimidias habeant Vesperas. Nam eo ipso quod aliquod officium alteri praefertur in occurrentia, nobilius est illo et consequenter ipsius commemoratio prius agenda venit. Itaque, quamvis semiduplici concurrente cum die infra octavam, utrumque officium, quatenus habet dimidias

1) In priori parte hujus decreti, alia de hujusmodi Simplicibus definiuntur. Ad haec remittit S. R. C. *12 Apr. 1823, n. 4444, 8.*

Vesperas, sit aequale, nihilominus semiduplicis, qua nobilioris, commemoratio *semper* praefertur commemorationi diei infra Octavam, ac proinde etiam in casu quo Semiduplex concurrit cum Duplice infra Octavam. Cf. statim dicenda.

(3) *De Semiduplici ante diem infra Octavam*, non excepto, uti dictum est, casu quo Semiduplex concurrat cum Duplice infra octavam. Si quis putet hoc adversari illi Rubricae quae praescribit, ut Semiduplici concurrente cum die infra Octavam, Vesperae dimidientur; putetque, propter hanc rationem, prius de die infra Octavam quam de Semiduplice agendam esse commemorationem, quando Semiduplex cum Duplice concurrit, Gavantus ei respondet dari disparitatem. „Nam, inquit, in ratione Officii dividuntur Vesperae, ita ut ad praecedens Festum prima pars spectet; ad sequens altera a Capitulo; sed in ratione simplicis commemorationis, puta, quando semiduplex concurrit cum duplici infra Octavam Festi habentis Octavam, quia semiduplex Festum est nobilius per se loquendo (quia Festum est) quam dies infra Octavam, quae est continuatio Festi, ut diximus supra *cap. 8, num. 4* idcirco fit commemoratio semiduplicis ante diem infra Octavam. Casum habet in terminis in secundis Vesperis S. Thomae Cantuariensis, quando concurrit cum Festo S. Sylvestri, in quibus integrae Vesperae sunt de duplici cum commemoratione S. Thomae semiduplicis, et deinde Octavarum.“ Gav. *h. l. n. 39.* Cf. dicta *supra 2.*

De commemorationibus communibus dicitur *Tit. XXXV.*

TITULUS X.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

§ I. PRAENOTANDA.

Notio translationis, — Officia concessa: Ad libitum; Votiva, — Secundaria, — Translatio perpetua seu immutatio Festorum.

1. Notio Translationis. — 2. Materia tractanda. — 3. De *Officiis concessis.* Notio officii concessi. Triplex formula concessionis. — 4. Formulae facultativae habent vel non notulam, *Ad libitum.* — 5. Votiva late et stricte dicta. — 6. Nonnulla affixa sunt Dominicis et Feriis. — 7. *De Officiis ad libitum.* Origo non antiquior Paulo V. — 8. Quo sensu sint liberae recitationis. — 9 et 10. Regula est ut, dum impediuntur, prorsus omittantur, qua talia. — 11. *De Officiis Votivis* in sensu stricto. — Quando

impediuntur Votiva de SS. Sacramento et de Immacul. Conceptione. — 12. Non transferuntur. — Quale officium recitandum. — 13. *De Festis secundariis.* Praecipuae eorum notae. — 14. Secundaria recensentur. — 15. Major eorum dignitas non attenditur, quando occurrunt cum primariis *ejusdem* ritus. — 16. *De Immutatione Festorum.* Locum habet propter impedimentum perpetuum. Varia ejus nomina. — 17. Dies assignata habetur tanquam sedes propria. — 18. Attamen non sub omni respectu aequiparatur *diei natalitio.* — 19. Haec Immutatio non comprehenditur in Rubricis Breviarii. Hodiedum tamen fit, non ex peculiari gratia, sed ex praecepto generali. — 20. Ejus Regulae dantur ad Rub. 1, 6 et 7. — 21. Datur et alia Immutatio, nempe *Accidentaria.* — 22. Dies accidentaliter assignati.

1. Praecedens Titulus agit de *Commemorationibus*, id est, de supplendis, per commemorationem, officiis impeditis. Praesens Titulus est etiam de officiis impeditis, sed quatenus non supplentur per meram commemorationem. Intitulatur: De Translatione *Festorum,* nulla mentione facta de translatione Officiorum aut Octavarum, quia officia, sive de tempore scilicet de Dominica [1], de Feria aut Vigilia, sive de Octava non transferuntur. Et, per se loquendo, idem est dicendum de Officiis votivis, uti traditur in puncto 1 h. §.

Translatio Festi locum habet, quando aliquod Festum 9 LL. occurrit in die quae pro hujusmodi festo reperitur impedita, sive privilegio, sive alio festo 9 Lect. Translatio autem Festi, ut ipsa vox sonat, est ejusdem amotio a propria die impedita, et repositio, (ut ita loquar cum Cav.) ad aliam diem non impeditam. Itaque, in peragenda festorum translatione, duo considerandi sunt termini, unus *a quo*, et alter *ad quem* fit translatio. Scilicet videndum est *a)* quibus diebus impediantur seu quibus impedimentis excludantur haec vel illa festa 9 Lectionum, et *b)* ad quas

1) Officia de tempore nunquam transferuntur in sensu proprio. »Quamvis enim, ait Merati *sect. 3, cap. 10, n. 1,* aliqua pars Officii Dominicalis, aut Ferialis, puta Lectiones primi Nocturni, Responsoria, Historiae, expositio item Homiliae et Evangelii Dominicae alia die interdum resumantur, numquam tamen totum Officium talis Dominicae, aut talis Feriae alio die fit, quam tali Dominica, aut tali Feria. Non sic Festa Sanctorum; haec enim idonea sunt aeque uno die fieri atque alio, unde si suo proprio die impediantur, facile resumi possunt in alio; hincque est, quod translatio proprie Festorum dicatur.«

dies festa, sic impedita, sint reponenda. Haec autem tradunt Rubricae h. t., ordinando quid agendum sit, 1° quando Festum dup. aut semid. occurrit in quibusdam Festis solemnibus, in Dominicis, Feriis aut Vigiliis privilegiatis, aut infra Octavas tum privilegiatas, tum communes (Rub. 1—5); item 2°, quando simul occurrunt plura Festa ejusdem aut diversi ritus, 9 Lectionum (Rub. 6—9).

Translatio est duplicis generis, nempe *accidentalis* et *perpetua* prout impedimentum est accidentale seu temporarium, aut perpetuum. De utraque translatione agitur infra, *punct. 3 h. §*, et *§§ 2 et 3.* Hic satis sit monuisse Translationem accidentalem intelligi, quando simpliciter adhibetur vox *Translatio.* Excipe tamen si aliud colligatur ex contextu caeterisque adjunctis.

2. Materia, ad hunc titulum tractanda, dividitur in tres §§. In 1° quaedam praemittuntur expositioni textus Rubricarum, in 2° exponitur textus, et in 3° per modum appendicis, datur tabella occurrentiae et exponitur Rubrica de officio Sancti cum sociis.

Cum, post ultimam Breviarii reformationem, quaedam concessa fuerint officia [1] peculiaris indolis, puta *Ad libitum, Votiva, Secundaria,* ideo per Rubricas praesentis tituli satis provisum non est, quoad translationem, multis casibus qui occurrere possunt [2]. Qui defectus supplendus venit ex aliis Rubricarum fontibus. Ne autem textus longioribus interrumpatur commentariis, quaedam praemittuntur illius ex-

1) Quoad praesentem materiam non refert distinguere Festum ab Officio. Hinc brevitatis causa unum pro utroque adhibetur vocabulum. Cf. supra *pag. 87.*

2) Ad dubium de praeferendo Festo, quod transfertur infra suam Octavam, sequentia adnotat Gardellini n. 4444, III: »Si, inquit, standum esset literaliter Rubricae generali (*scilicet* 7ae *h. t.*), huic Dubio respondendum fuisset: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam,* videlicet prius translatum reponendum esse in primam diem non impeditam: sed quoniam, dum Rubricae dispositae fuerunt, nec translationes tam frequentes erant, neque tot Festa decorabantur Octava, data equidem fuit regula generalis, sed non omnes casus contemplati fuerunt, qui contingere imposterum poterant ex adjectione Festorum et Octavarum. Ideo S. C. tuendis Ritibus praeposita, quae Rubricarum interpres est juxta diversas contingentias id declarat, quod forte non videtur sufficienter expressum, et iis, quae non fuerunt praevisa, opportune consulit.«

positioni. In primo § investigatur an et quatenus Rubricae h. t. applicandae sint necne *a)* Officiis concessis ac praesertim iis quae dicuntur *ad libitum*, vel *votiva*, *b)* Officiis secundariis et *c)* Officiis quae, propter impedimentum, iisdem diebus semper occurrens, sunt perpetuo impedita. In hoc tertio puncto datur notio translationis ejusque distinctio in *accidentalem* et *perpetuam*.

PUNCTUM I.

De Officiis Concessis.

3. *Notio et divisio.* Officia dicuntur *concessa* in duplici sensu, *lato* scilicet et *stricto*. Per officia concessa in sensu *lato* intelliguntur omnia officia quae S. Sedes indulget, sive ea praecipiendo, sive solum permittendo; in sensu autem *stricto*, ea quae tantummodo permittit recitare, praecepto non imposito. „Multiplici licet formula, ait Cavalieri *tom. 2, cap. 23*, reperiantur expressa officiorum Indulta, reapse tamen dumtaxat triplex est, ad quam reliquae vel spectant vel facile reducuntur. Sunt quae praeceptivis terminis constant, puta *Recitari debere censuit, fieri debeant, recitare teneantur, celebrari mandavit, agant etc.* . . . . Alia sunt, quae terminis facultativis sunt concepta, et insuper adnexam habent notulam *Ad libitum*, videlicet *indulsit fieri ad libitum Cleri, celebrari posse ad libitum concessit etc.* . . . Sunt denique, quae per verba quidem dumtaxat facultativa exarata inveniuntur, sed sine additione notulae *Ad libitum*, cujusmodi sunt v. g. *Fieri posse concessit, Recitari posse censuit.* . . . .“ In dubio autem utrum termini Indulti importent praeceptum vel simplicem facultatem, recurrendum est ad S. R. C. quoad casus particulares, prout declaravit eadem S. C. *12 Nov. 1806, n. 4351, 10 et 11.*

4. De officiis per terminos praeceptivos concessis, non est hic agendum in specie. Communes enim sequuntur regulas, nisi et quatenus ab eisdem excipiantur in Indulto. Agitur de solis officiis quae tantummodo permittuntur a S. Sede, quaeque, juxta praedictas formulas, in duplicem classem distingui possunt. Alia scilicet permittuntur cum notula *Ad libitum;* alia vero simpliciter et sine adjuncto. Olim inter Rubricistas disputabatur an haec ultima specialem constituerent classem, vel referenda essent ad classem officiorum quae sunt *Ad libitum*, aut quae sunt de prae-

cepto [1]. Hodie dubium non est ea mediam constituere classem, quatenus participant de natura tam officiorum quae sunt *Ad libitum*, quam eorum quae sunt *de praecepto*. Hujusmodi officia vocari possunt cum Cavalieri *l. c. dec. 181, n. 6, de non praecepto* seu *ex privilegio*.

Conveniunt autem *a)* cum officiis ad libitum, quatenus Ordinarii possunt ea non acceptare [2]; et *b)* etiam cum officiis de praecepto conveniunt, quatenus, accedente Ordinarii praecepto, recitanda sunt, non ad arbitrium, sed ex obligatione, prout declaravit S. R. C. *die 23 Maii 1835 in Namurcen. n. 4597*, *10*. Quod caeterum jam satis declaraverat *die 6 Sept. 1798, n. 3929*. Cf. dicta *supra pag. 123* de potestate Ordinariorum in casu, et Cav. *ad cit. dec. 6 Sept. 1738 ordine 281, n. 11* [3]. Praeterea, posita acceptatione, non amplius videtur in potestate acceptantis aut ejus successorum interrumpere eorum recitationem, juxta dec. *14 Jun. 1845, n. 4878, et 23 Maii 1846, n. 4904, in una Ord. Praedicatorum*.

5. *Officia concessa dicuntur etiam votiva*, sed in sensu plus vel minus lato. Omnia quidem officia concessa possunt dici votiva, quatenus nempe originem habent a voto seu devotione postulantium, quamvis postea, utpote acceptata

1) Cf. Cav. *l. c. dec. 179* et Merati *sect. 3, cap. 10, n. 11 verb. Praeter*.

2) »Opinamur, inquit Cav. *l. c. dec. 181, n. 15*, ... superioribus, quibus officiorum praedictorum competit acceptatio, integrum esse ab acceptatione recedere, privilegiisque renuntiare; per concessionem enim privilegiorum non onus, nec obligatio, sed favor, et gratia intenditur communicari; quare non est, cur huic renuntiari non possit.«

3) »Alia, inquit ibi, nec deest satis congrua Decreti expositio, si dicatur per acceptationem a superioribus habitam, imponi praeceptum subditis ea officia recitandi; sic enim hujusmodi officia, quae vi suae concessionis erant liberae recitationis, evadunt necessariae, fiuntque per accidens de praecepto, nec ab eorumdem recitatione, et translatione in casu impedimenti se subditi valent eximere. Verum hoc modo accepta, non sunt presse de praecepto, et per se, sed late, et per accidens, adeoque a Sacra Congregatione *de non praecepto* appellantur, et dicuntur *tanquam de praecepto reputanda*, et ratione praecepti a respectivis superioribus lati, a subditis esse *omnino transferenda*, si cadant in dies impeditos. Sic autem integra perstant omnia Congregationis Decreta, et facili negotio, quaecumque in contrarium objici queunt, dissolvuntur.«

et a superiore praecepta, desierint esse liberae recitationis. „Tametsi, inquit Cavalieri *cap. 24 cit. n. 4*, in praecepto forent (officia scilicet *de non praecepto*), *Votiva* dici possent, eo quod ex devotione fuerunt assumpta, sicuti hac de causa a nonnullis *Votivum* dicitur officium S. Mariae in Sabbato, etsi in praecepto sit constitutum.“ Usus tamen invaluit, ut non omnia concessa, sed quaedam tantum ex eis dicantur *Votiva*. Hoc enim nomine vocari non solent tam officia *Ad libitum*, quam alia concessa quae non recitantur periodice. Sed ea tantum officia solent dici *Votiva*, quae duas conjunctas habent conditiones, nimirum *a)* ex Indulto et *b)* periodice recitantur, v. g. semel aut pluries in mense. Talia sunt quae permittuntur certis diebus recitari de SS. Sacramento, de Passione Domini, de Immaculata Conceptione B. M. V., vel de SS. Patronis.

6. Ex officiis concessis alia diebus mensis, alia Dominicis, alia Feriis sunt adnexa. Sed de his officiis, hoc respectu consideratis, non est hic in specie agendum. Nam *a)* ea quae sunt certis diebus mensis affixa et recitanda de praecepto, saltem Ordinarii, regulantur Rubricis Breviarii, nisi, quod ordinarie non fit, aliter statuatur in Indulto. Quod autem *b)* attinet ea quae Dominicis vel Feriis adnexa sunt, omnino attendenda sunt Indulta. Quia alia transferri vetantur, alia permittuntur et quidem juxta communes vel peculiares regulas translationis. Hinc S. R. C. ad dubia proposita de praeferendis vel non Officiis Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis, quando cum aliis occurrunt, respondit *die 11 Sept. 1847, n. 4953, 1 et 2:* „standum peculiaribus Indultis, et si satis non sit, in casibus particularibus recursus habeatur ad Sacram Congregationem.“ Regula tamen est ut, secluso speciali Indulto, non transferantur, quemadmodum ibi declaratur ad 3. Cf. dec. *12 Nov. 1831, n. 4520, 39*, et *12 Sept. 1840, n. 4763, ad 3.*

Hujusmodi officia Mysteriorum. . . Dominicae Passionis, concessa sunt Dioecesi Tornacensi, die 19 Sept. 1851, cum indulto eadem transferendi ad primas insequentes dies liberas, intra Quadragesimam, quoties designatis feriis locum habere nequeant ob occursum officii superioris ritus. Vid. Calendarium ecclesiasticum Tornacen. *an. 1852, pag. 66.*

De peculiaribus dictorum officiorum Indultis agetur, quantum opus visum fuerit, in propriis locis Sect. IV et V.

Hic sufficiat adnotasse concessa officia Breviarii Romani, quae sunt de praecepto, quaeque, etsi Dominicis et Feriis adnexa, nihilominus transferuntur, si impediantur. Ea autem officia seu Festa sunt SS. Nominis Jesu; Septem dolorum B. M. V., feria 6ª post Dom. Passionis et Dominica 3 Sept.; Patrocinii s. Joseph, Dominica 3 post Pascha; Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica prima Julii; s. Joachim, Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V.; S. Nominis B. M. V., Dominica infra octavam ejusdem Nativitatis, et Rosarii, dominica 1 Octobris. Hic tamen exponuntur, utpote generales, regulae officiorum ad libitum, necnon votivorum de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V.

A. De Officiis ad libitum.

7. *Origo.* Haec scribit Cav. *tom. 2, cap. 22.* „Festa, inquit, Sanctorum ad libitum teste Guyeto *lib. 1, cap. 12, quaest. 9,* antiquiora non sunt Paulo Papa V., qui primus omnium eadem in Ecclesiam invexit, dum sub die 27 Sept. 1608 festum S. Angeli Custodis ad libitum Cleri celebrandum indulsit prima die non impedita post festum S. Michaelis Archangeli; quod et postea praestitit de festis S. Caroli Borromaei, et Impressionis Stigmatum in corpore S. Francisci pro suis respective diebus, et deinde id alii egere Summi Pontifices de aliorum Sanctorum festis. De Sanctis ad libitum nihil quidem expresse disponunt, et statuunt Rubricae generales Breviarii, sed non desunt Decreta plurima, ex quibus abunde eorumdem elucescit natura, atque conditio, ac dubia quaecumque, quae hinc exoriri valent, dirimuntur ubertim.“

8. *Natura.* „Uti — sunt verba Cavalieri *l. c. dec. 166, n. 1* — officia de praecepto sunt ea, quorum celebratio in praecepto est posita, Clerumque adstringit, ita officia ad libitum erunt ea, quorum celebratio in Cleri relicta est arbitrio, qui propterea eadem aeque poterit recitare, et omittere. Quae tamen si recitet, nonnisi sub ritu, et die in Indulto expressis ea valet exsolvere, nec integrum est, eadem altiori, vel depressiori ritu, aut alia die celebrare. Duplicis sunt generis, alia scilicet ad libitum ubique, ut sunt festa SS. Canuti, Laurentii Justiniani et Remigii, Ecclesiae universali concessa; alia vero solum alicubi, ut festum S. Juliani in toto Dominio Regis Catholici. Officia

haec sub semiduplici ritu reperiuntur concessa, olim tamen non defuere sub ritu duplici minori indulta, ut festa S. Angeli Custodis et S. Felicis de Valois; quae vero altiori ritu gavisa fuerint, observare non licuit.“ Cs. Merati sect. 3, cap. 10, n. 11, Gardellini n. 4431, 7.

Ex his sequitur liberam recitationem esse de natura officiorum quae a S. Sede conceduntur cum notula *Ad libitum*. Proinde hujusmodi officia non possunt ab Ordinariis locorum propria auctoritate proponi recitanda de praecepto, quamvis hoc fieri possit pro officiis quae sine illa notula permittuntur quaeque a Merati *l. c.* dicuntur ad libitum.

9. *Translatio.* Officia ad libitum hoc peculiare habent, ut, si die propria impediantur, secluso particulari indulto, non transferantur, neque de illis fiat commemoratio, sed prorsus omittantur [1], qua talia.

Dies impediti pro Festis ad libitum, sive semid. sive dup. [2], sunt sequentes: 1° omnes dies qui excludunt officia de praecepto (uti patet), cujusmodi sunt dies privilegiati contra officia occurrentia, et dies quibus *occurrunt* Festa 9 Lectionum de praecepto; 2° dies infra quamlibet octavam [3]; 3° dies ad quem anticipandum est officium Dominicae [4].

Dies vero occupata vel officio translato, saltem si alia adsit libera ante finem anni, vel officio votivo, non impedit officium ad libitum. Sed unum aut alterum potest in casu recitari pro arbitrio [5].

Praedictae peculiares regulae, servandae quando officium ad libitum cum alio occurrit, expressae habentur in cit. S. R. C. Decretis, vel saltem ex iisdem clare fluunt. Tria supersunt explicanda nimirum haec dicta: *1. Secluso particulari indulto. . . 2. omittantur, qua talia — 3. saltem si adsit alia dies libera ante finem anni.*

10. Circa *primum*, S. R. C. *die 7 Mai. 1746, n. 4032, 3*, in Varsaviensi concedit „Ordinario, ut semel et pro semper assignare possit diem non impeditam extra Dominicam et Octavas, SSrum Festis Canuti, et Laurentii Justiniani, nec non S. Remigii Episcopi et Confessoris, non immutata tamen lege SSrum ad libitum.“

1) Dec. *24 Jan. 1682, n. 2827.*
2) Dec. gen. cit. *24 Jan. 1682,* et *2 Dec. 1684, n. 2924, 10.*
3) *28 Dec. 1682, n. 2856, 1,* et *25 Sept. 1688, n. 3023, 1.*
4) S. R. C. cit. *supra Tit. IV, Rub. 4, 2°, pag. 167.*
5) *24 Jan. 1682 cit.*

De *secundo*, notandum est Festum, quod est *Ad libitum* qua semiduplex, v. g. festum S. Remigii, aut duplex, et *de praecepto* qua simplex, servare jus officii simplicis, si impediatur qua semiduplex aut duplex ad libitum. Hinc S. R. C. interrogata de Festis SS. Alexii et Remigii, impeditis qua semiduplicibus ad libitum, respondit *die 12 Mart. 1678, n. 2710, 7:* „Faciendam commemorationem Festorum praedictorum, ut de simplicibus juxta Rubricas."

De *tertio* denique quaeritur, an officium ad libitum fieri possit etiam die ad quam transfertur officium, si alia dies libera pro officio translato non supersit ante finem anni?

R. Negandum est cum Cavalieri *l. c.* ad dec. *cit. 24 Jan. 1682, ord. 167, n. 11,* ubi haec scribit de dicto casu. „Omitterem, inquit, officium ad libitum, et eo die de translato agerem; supponit namque Decretum, quod dies adsit libera pro translati repositione; *et officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre;* quare si nulla adsit anni dies, in quam transferri queat, haud locum habet dispositio Decreti, quae liberam facit celebrationem festi ad libitum cum ulteriore protractione festi translati. Et quidem si officium ad libitum penitus omitti debet, ne officium de praecepto simul occurrens, quod caeteroquin adhuc alio die integre resumeretur, solum subeat incommodum amotionis e proprio die, multo magis omitti debebit, si festum translatum nullam reperiat diem utilem pro sui repositione, sed alias necesse foret, idem ad simplicem redigi commemorationem, vel penitus omitti."

B. De Officiis votivis [1].

11. Agitur, uti dictum est supra n. 5, de Officiis votivis in sensu stricto, quae scilicet ex indulto periodice recitantur. Pro dignoscendis conditionibus horum officiorum

1) Petitiones pro facultate obtinendi officia votiva ita frequentes fiebant, ut S. R. C., Decreto generali *diei 7 Julii 1753, n. 4085,* statuerit »quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense, amplius non recipiantur.« Eademque de causa et ne dictum decretum in desuetudinem abiret, *die 11 Maii 1816, n. 4367,* S. R. C. jussit »Memoratum generale Decretum ad omnimodam observantiam revocari, ejusdemque exemplar, ut cunctis pateat; ad Secretariae parietes affixum perpetuo retineri.«

saepe quidem reccurrendum est ad peculiaria Indulta [1]. Dantur tamen generales regulae pro officiis quae semel aut pluries celebrari permittuntur in mense vel hebdomada, qualia sunt votiva de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V. [2]. De his, sicuti supra de officiis ad libitum, quaeritur quibus diebus permittantur?

R. 1° Hujusmodi officia impediuntur iisdem diebus ac officia ad libitum.

R. 2° Insuper Feriis majoribus et Vigiliis etiam quae non jejunantur. S. R. C. dec. gen. *20 Mart. 1706*, quod legitur initio Breviarii, et in collect. Gard. n. 3592.

Hocque generale Decretum abrogat consuetudines contrarias eisque resistit [3]; quinimo abrogat omnes particulares concessiones aliquibus Dioecesibus vel Ecclesiis antea factas [4], et a S. R. C. mandatur servari, quando petitur ejusdem derogatio [5]. Quae cum ita sint, probabilitate carent quae in oppositum tradit Cav. *l. c. dec. 182, 186 sq.*

1) Nam sunt »consideranda verba Indulti Apostolici, et servanda, prout sonant verba.« S. R. C. *die 28 Dec. 1682, n. 2856, 3.* Cf. Cav. ad hoc dec. *ord. 182 l. c.* Subintelligendum autem est: modo Indultum non sit revocatum, v. g. per cit. Decret. gen. 1706, juxta hic dicta *R. 2°.*

2) Ex concessione Clementis XI, Officium votivum de SS. Sacramento potest Feria V cujusque Hebdomadae, extra tempus Adventus, Quadragesimae et Vigiliarum, non impedita Officio novem Lectionum, etiam translato, fieri sub ritu Semiduplici ab omnibus qui, in Regnis, Dominiis ac Statibus hereditariis Domus Austriacae, ad Horas Canonicas tenentur.

Pariter Benedictus XIII concessit universo Clero saeculari et Regulari, in omnibus Regnis, Dominiis et Ditionibus ejusdem Domus Austriacae, extra Italiam subjectis, Officium Conceptionis B. M. V. posse, ritu Duplici, recitari quolibet Sabbato anni (extra Adventum, Quadragesimam et Sabbata Vigiliarum et Quatuor temporum), non impedito Festo 9 Lectionum etiam translato. Vid. ad calcem Brev.

Hoc officium, uti supra Tit. VIII notatum est, et ex concessione patet, subrogatum fuit officio S. Mariae in Sabbato et postea ipsum, in Dioecesi Tornacensi, locum dedit alteri de Immaculata Conceptione B. M. V. iisdem diebus et sub eodem ritu recitando. Nihil aliud scilicet immutatum fuit, nisi ipsum Officium.

3) S. R. C. *17 Maii 1760, n. 4142, 13 Sept. 1760, n. 4147* et *16 Feb. 1781, n. 4252, 12 et 14.*

4) *27 Feb. 1847, n. 4935, 1.*

5) *Dec. cit. 16 Feb. 1781, ad 13 et 15.*

R. 3° Officia concessa, ut *semel* in mense recitari possint, omittenda sunt mensibus, quibus fit de illis officium de praecepto, prout declaravit S. R. C. [1].

R. 4° Die autem quo occurrit Festum ad libitum, recitari potest, vel omitti, officium votivum, uti supra dictum est.

12. De translatione officiorum votivorum non quaeritur, quia cum sint concessa, ut semel vel pluries in mense aut in hebdomada vel tali Feria recitentur, non possunt transferri sine speciali indulto. Supra *n. 6.*

Quale officium pro votivo sit recitandum, petendum est ex Indulto. „Sic, inquit Deherdt *P. IV*, *n. 37, ad IV*, juxta dec. *12 Jul. 1664, n. 2137, 3, 13 Jun. 1682, n. 2839, 8,* et *18 Jun. 1689, n. 3034, 2*, lectiones officiorum votivorum, de quibus in illis decretis agitur, semper recitandae sunt prout in die festivitatis; et contra juxta dec. *5 Mai. 1736, n. 3894*, *ad tit. 8 de off.* diversae pro vario mense leguntur, prout etiam in Breviario Rom. Romae edito in typographia Salviucci 1843 pro officio votivo ss. Sacramenti et Conceptionis B. M. V. lectiones octavarum per menses disponuntur. Officium votivum ss. Sacramenti recitari debet ut in die solemnitatis Corporis Christi, exceptis sequentibus: 1° lectiones I Nocturni dicuntur de Scriptura occurrente, et II atque III Nocturni, ut modo dictum est, recitantur ut infra octavam ss. Sacramenti, prout in fine Breviariorum disponuntur. 2° Non omittitur nona lectio simplicis occurrentis. Cav. *tom. 2, dec. 195, V.*"

De *Alleluja* omittendo in Officio votivo, vide dicta infra, *sect. 4 de Tempore paschali.*

Notari tandem potest ordinem dignitatis non attendi in officiis votivis, quae cum aliis ejusdem ritus concurrunt, sed, in casu, Vesperas dividi, juxta dec. *27 Sept. 1698, n. 3348, 5,* et *1 Jul. 1747, n. 4042.*

PUNCTUM II.

De Festis secundariis.

De Festis secundariis duo sunt notanda: unum ad notionem, alterum ad translationem spectat.

13. I. *De Notione.* Quid praecise veniat nomine Festi secundarii, neque in Rubricis, neque apud Rubricistas definitum habetur. Nonnullae tamen circumstantiae seu

1) *5 Oct. 1697, n. 3298, et iterum 15 Sept. 1815, n. 4366.*

qualitates, quae plus minusve pertinent ad rationem Festi secundarii, assignantur in Collectione Gardelliniana, ad Decretum *Orbis n. 4429*, datum de Festo SS. Cordis Jesu occurrente cum Festis primariis ejusdem ritus, sed inferioris dignitatis. Juxta adnotata ibi Festum SS. Cordis Jesu aliis, ejusdem ritus et minoris dignitatis, a S. R. C. postponitur, quoad translationem, propter sequentes rationes. „1. Quod Sacri Cordis Jesu Festum noviter institutum, auctumque Apostolica auctoritate Officio, et Missa, licet dignissimum prae aliis objectum habeat tamen primariis non adnumeratur, sed secundarium est, et accessorium, ac veluti quaedam appendix ad Festum Corporis Christi. — 2. Non versatur circa peculiare Mysterium, cujus specialis solemnis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est veluti compendium aliarum Festivitatum, in quibus diversa celebrantur Mysteria, et memoria recolitur immensae illius charitatis, qua Verbum caro factum est pro nostra redemptione et salute, Sacramentum Altaris instituit, peccata nostra portavit, seseque Divino Patri in cruce moriens, obtulit hostiam, et sacrificium. — 3. Licet ubique vigeat cultus sacro Cordi Jesu debitus, ejus tamen Festum cum Officio, et Missa non ad totum Catholicum Orbem extenditur, sed peculiare est pro Ecclesiis, Dioecesibus, Ordinibus, Sodalitatibus, quibus petentibus indultum fuit. — 4. Concessio celebrandi idem Festum cum Officio, et Missa, ut plurimum, est permissiva, et facultativa, non autem praeceptiva. Quod si praeceptiva, praeceptum tamen coarctatur ad aliquod Regnum, aut ad aliquam Dioecesim, Civitatem, Ecclesiam. . . — 5. Quamquam pro aliquibus locis elevatus sit hujus Festi ritus ad dup. I Cl., tamen non obtinet Octavam.“

Non examinamus an omnes illae rationes simul sumptae, vel quaedam ex illis, seorsim spectatae, veram constituant rationem Festi secundarii, ita ut postponendum sit in occurrentia. Si enim occurrat casus nondum definitus, in se aut saltem in simili, et, omnibus attentis, dubium maneat utrum sit secundarium, solutio petenda erit a S. Sede.

14. Ex decretis autem a S. R. C. editis, tanquam secundaria habentur Festa sequentia, videlicet: Patrocinii S. Josephi [1]; Dedicationis Ecclesiae, quatenus consideratur

1) S. R. C. *16 Feb. 1781, n. 4252, 17,* et *11 Sept. 1847, n. 4956, 1.*

tanquam *Festum Domini* [1], SS. Cordis Jesu [2], et SS. Redemptoris [3]. Quibus adjungenda putamus Festa Patrocinii et S. Cordis B. M. V. Praeterea secundarium esse Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. satis constat ex ipso Decreto institutionis dato Cajetae *die 10 Aug. 1849*. Decretum enim supponit hoc officium posse impediri Festo aequalis ritus.

Festum Dedicationis non est *in se* secundarium, sed quatenus consideratur tanquam Festum Domini. Hinc, cum in se spectatum videatur [4], dignius Festis Apostolorum, his in occurrentia praefertur, quando sunt ejusdem ritus, juxta S. R. C. *7 Sept. 1816, n. 4376, 9.* Excipiendum tamen est solemne Festum SS. Apost. Petri et Pauli [5].

15. II. *De translatione.* Ex dictis palam fit Festa secundaria non comprehendi in rubricis h. t. de translatione neque juxta has Rubricas regulari eorum translationem [6]. In hoc enim differt eorum translatio, quod, occurrente Festo secundario cum primario *ejusdem ritus,* hoc, quamvis sit *minoris dignitatis*, alteri praefertur. Si autem secundarium sit *majoris ritus*, tunc servatur Rubrica 6ª h. t. et primarium inferioris ritus transfertur.

1) S. R. C. *21 Aug. 1688, n. 3014* et *5 Mart. 1695, n. 3205, 1, 20 Sept. 1806.* „Cur autem ita, ait Gardellini, *n. 4429 cit. 1?* Quia, *respondet,* licet Dedicatio Ecclesiae Festis Domini adnumerari velit, non ullum respicit peculiare Mysterium, sed generalem habet relationem ad Deum, cui dedicatur Templum ad Divina Mysteria in eo celebranda; sed hujusmodi ratio communis est etiam Festis Sanctorum, quae licet instituta sint ad Coelicolas honorandos principaliter tamen ad Deum diriguntur. Quamobrem Dedicatio Ecclesiae, si ad Festa Domini referendum sit, ut *secundarium,* non primarium habendum erit.“

2) S. R. C. *5 Apr. 1821, n. 4429, 1, 2, 3 et 4.*

3) S. R. C. *1 Sept. 1838, n. 4696, 4.*

4) Dicitur: *videatur,* quia hoc non est definitum. „Haud tamen, ait Gardellini *n. 4429 cit. 1,* putandum est S. Congregationem posterioribus Decretis (1806 etc. quae ibi laudantur) quidquam decidere voluisse de qualitate Festi Dedicationis, imo quaestionem intactam reliquit.“

5) S. R. C. *20 Sept. 1806, n. 4350, 10.*

6) Nam Rubrica, quae inter Festa aequalis ritus illa Dominii aliis omnibus praeferenda esse jubet, intelligenda est, caeteris paribus, de Festis aeque primariis, non autem de occursu Festi secundarii majoris dignitatis, cum primario minoris, sed aequalis, quoad ritus solemnitatem. Gardell. *l. c.*

PUNCTUM III.

De immutatione Festorum.

16. Uti jam observatum est, Festum duplici modo impediri potest, nimirum perpetuo vel accidentaliter, prout impedimentum semper vel aliquando tantum occurrit cum Festo. Sic v. g. Festum Natalis Domini, Festum et dies Octava Patroni sunt impedimenta perpetua. E contra Festa mobilia, uti Paschae et Pentecostes, sunt impedimenta dumtaxat accidentalia, quia, secus ac immobilia, non semper recurrunt iisdem diebus mensis seu Calendarii, nec proinde semper eadem festa impediunt. Ex hoc duplici qualitate impedimentorum, duplex et correlativa exurgit species translationis, una nempe perpetua et altera accidentalis. Haec, juxta communem usum loquendi, dicitur simpliciter *Translatio*, quamvis etiam aliquando addatur epitheton: *accidentalis*. Illa vero communiter nuncupatur vel *Translatio perpetua*, vel *Translatio ad diem fixam* seu *assignatam*, vel simpliciter *Immutatio*, *Permutatio* aut *Mutatio*.

17. Prior translatio dicitur *accidentalis* quia fit tantum pro vice qua festum impeditur, et, impedimento cessante, in propria die celebratur. Altera vero nuncupatur *perpetua*, quia cum impedimentum sit perpetuum seu semper eadem die occurrat, haec dies desinit esse dies festi, cui proinde alia, ceu propria, assignatur in perpetuum. Quae dies, utpote propria, reputatur tanquam natalitia (supra *Tit. I, § 4, n. II, 2°*), ita quidem ut festum censeatur in ea occurrere. Hinc *a)* ab ea die non transfertur nisi propter impedimentum quo excluderetur in sua die occurrens, cf. Cav. *tom. 1, dec. 91, n. 4; b)* si accidentaliter impediatur v. g. Festo Paschatis aut Dominica, tunc transfertur pro hac vice tantum et habetur tanquam translatum non a prima, sed ab ultima sede, scilicet assignata. Cav. *tom. 1, dec. 93, n. 19.*

18. Attamen dies assignata non potest omni sub respectu aequipari diei natalitio. Nam *a)* differt, saltem aliquando, quoad octavam, si ultra eam reponatur; *b)* Festum occurrens in die natali, caeteris paribus, praefertur mutato, quod simul occurrit; *c)* si dies natalis tractu temporis evaserit libera, huic diei restituendum est festum amotum, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et

confusio in ordinando Calendario, prout declaravit S. R. C. *die 18 Oct. 1818, n. 4403, 8.* Cf. Cav. *tom. 1, dec. 93, n. 11 sqq.*

Pariter excipiendus est, vel saltem excipi potest, juxta Cavalieri, casus, quo Sancti immutati „in die assignata ab immemorabili celebrari extitissent, aut ubi in ea specialem sortiti essent celebritatem, vel solemnitatem; in priori enim casu dies propria veluti desiit, et loco propriae jure successit assignata, et ne in secundo solemnitas perturbetur, aut ex immutatione scandalum exurgat, et ut solemnitati correspondeat officium. Qui tamen secus faceret, admodum damnandus non esset, nisi ea immutatio, vel assignatio contigisset ante Bullam Pii V, post quam nulla fieri licet immutatio." Cav. *l. c. n. 16.* Vide tamen dicta de consuetudine, *n. 20 sq.*

Observandum, quod supra dictum est, haec intelligenda de particularibus assignationibus, quae, vigore Decretorum potestatem generaliter facientium immutandi Sanctos perpetuo translatos, apud particulares Ecclesias vel Religiones eveniunt, non autem iis de assignationibus, quae immediate per Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem in officiorum concessione primitus fiunt. Ita Cav. *l. c. n. 14.*

d) Item occasione conficiendi novi Calendarii, aliquando conceditur facultas amovendi festa a diebus assignatis, ut ad alias fixe reponantur. Non autem ita permittuntur amoveri a die natali, extra casus in quibus hoc fit juxta Rubricas. Cf. quae adnotantur de nova constructione Calendarii, ad Rub. 1.

e) Quandoque contingit, ut dies assignata mutetur, occasione concessionis generalioris, ut exponit Deherdt P. IV, n. 30, II. „Regula est, ait cum Gardellini, pluribus S. R. C. responsis [1] confirmata, quod officia peculiariter concessa, certis assignata diebus, si temporis successu aut ad totam Dioecesim, et respective ad provinciam, vel ad universalem extendantur Ecclesiam, pro diversis tamen diebus, in his recitanda sint, relictis sedibus in particulari concessione assignatis. *Ita Gardell. in dec. n. 4431, ad 6.*"

19. In praesenti Titulo aliisque Rubricis Breviarii, agitur de Translatione simpliciter dicta seu accidentali. Cf. Rub. 1 h. t.; S. R. C. *dec. 11 Dec. 1709, n. 3670, 2;* Cav. *tom. 1, ad hoc dec. ord. 86, n. 4 sq.* Unde spectata Bulla

1) Plura hujusmodi responsa citantur apud Deherdt *l. c.*

S. Pii V, immutatio Festorum non potest fieri nisi a S. Sede aut ex ejus licentia. Quod caeterum praeterea constat ex S. R. C. dec. *13 Jun. 1671, n. 2390, 1.* „Jure antiquo, inquit Gardellini n. 4416, 1, in casu hujusmodi *(scilicet perpetui)* impedimenti Sac. Rit. Congregatio novam assignationem sibi reservaverat. Et merito quidem; ne quispiam sibi datum crederet ad placitum Rubricas interpretari. Sed postea certa data fuit regula ubique servanda, quin opus foret ad eamdem pro assignatione confugere. Plura sunt Decreta, quae hoc evincunt. Unum afferre sufficiat.“ Affertur decretum 22 Apr. 1741 *in Wilnen.* n. 3961, 7 [1]. Hodie non aliud requiritur, nisi ut mutatio fiat juxta regulas, approbante Ordinario. „Prima dies, ait S. R. C. *in Frigisen. 22 Aug. 1744, n. 4012,* proxime non impedita assignanda est cuilibet Festo a suo die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies propria, et fixa Festi translati; justificatis tamen apud Reverendissimum Episcopum loci Ordinarium translatorum numero, et causis, dierumque assignatorum ordine, et qualitate.“ Hodiedum igitur ad assignandos hujusmodi dies, non requiritur specialis gratia, sed hoc fit ex praecepto seu regula generali, ita ut pro immutandis festis perpetuo impeditis Calendarii tum Romani [2] quam Proprii, satis sit Ordinarius cognoscat servatas fuisse regulas quae in decretis traduntur pro hujusmodi assignatione.

20. Porro dictae regulae non aliae sunt quam ipsae Rubricae h. t., ratione tamen habita discriminis quod, ex ipsa rei natura, intercedit inter translationem quae fit pro una vice tantum et eam quae fit in perpetuum. Quapropter *a)* die occurrentiae, eaedem servandae sunt regulae [3], quam pro translatione accidentali, nisi quod impedimentum debeat esse perpetuum; *b)* mutatio, sicuti translatio fieri debet in primam diem liberam S. R. C. *in Frigisen. cit.* et *15 Mart. 1745, n. 4022, 1.*

Hinc, quod consequens est, si assignata non fuerit *prima* dies libera, corrigendus erit error. S. R. C. *11 Mart. 1820.* Hoc tamen intelligendum est cum limitatione, nisi exinde

1) Cav. *tom. 1, dec. 87, n. 16,* docet Decretum, *2 Jul. 1712, n. 3697 in Pisauren.* datum, esse primum ex Decretis quo universaliter concedatur facultas immutandi festa perpetuo impedita.
2) Cf. Cav. *t. 1, dec. 88, n. 3.*
3) Cf. Cav. *t. 1, dec. 92, n. 1,* et S. R. C. *hic cit.*

sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando Calendario, et probabiliter nisi, ut dictum est *n. 18 praeced.*, festum sortitum sit in illa die specialem celebritatem aut solemnitatem.

Quaeritur an idem dici possit de consuetudine, *in se sola* spectata, si sit immemorialis?

R. Negandum est, quia nequidem per tempus immemoriale praescribi potest contra Rubricas, uti dictum est *P. I, sect. 2, art. 2, n. 32*, et de praesenti casu docet Gardellini n. 4416, 3 [1]. „Quod, ait, ex errore, vel ex ignorantia factum est, corrigi omnino debet, ac tolli, neque ullo tempore potest praescriptionem inducere, praesertim si recens sit, et cum lata lege pugnet. Id revera accidit in allata facti specie, ut supra notatum est. Quamquam nec admittenda foret, nullamque vim obtineret, dato etiam, quod non recens esset, sed antiqua, cum nec laudabilis, nec rationabilis sit quales esse illas oportet, quas servari posse jura concedunt."

Notandum autem est quaestionem esse de consuetudine *in se sola* spectata. Nam secus dicendum *a)* si consuetudo fuerit a S. R. C. approbata, uti v. g. contigit *2 Dec. 1673, n. 2517, in una Urbis* — vel *b)* si cum immemoriali consuetudine, prout contingere solet, adsit aliqua legitima ratio, nempe vel specialis celebritas, vel casus turbationis aut confusionis non levis in Calendario.

Dicta paritas, in regulis utriusque translationis servanda, non est tamen omnimoda. Cum enim aliud sit reponere accidentaliter, aliud in perpetuum, ideo habentur dies liberae pro translatione, quae tales non sint pro immutatione, et vicissim. Attamen propter hujusmodi similitudinem, regulae immutationis exponuntur infra ad Rub. 1, 6 et 7, post regulas translationis. Ibi dicitur quae festa sint praeferenda, quae dies assignandae, et quo ordine.

21. Haec de immutatione perpetua. Sed praeter hanc, datur alia immutatio, quae dicitur *accidentaria*, et locum habet, quando dies assignatur alicui festo, quod non quidem singulis annis, sed interdum eodem officio seu festo impeditur. Cum autem non sit generatim permissa a S. Sede, ideo pauca de ea veniunt dicenda.

Quid sit, jam satis dictum est. Quare dicatur immu-

1) Quod dubium sic sonat: An consuetudo quindecim annorum possit suffragari hujusmodi assignationi perperam factae?

tatio et quidem accidentaria, ita explicat Cavalieri *tom. 1, cap. 10, n. 1.* „Ab adeptione alterius sedis, seu diei veluti propriae dicitur itaque *immutatio*, et, quia talis adeptio perpetua non est, sed accidentaria, hoc est uno dumtaxat, vel altero anno contingens, *accidentariae* denominatio in eamdem derivat, uti *perpetua* appellatur, quoties impedimentum est perpetuum et perpetua est alterius sedis adeptio."

22. Privilegium immutationis accidentariae habent, *a)* ex Rubrica 1 h. t., Festa Purificationis [1] et Annuntiationis B. M. V. atque Nativitatis S. Joannis Baptistae. Item duplex, quod infra suam octavam transfertur et semidup. prout dicitur ad Rub. 1 et 5 — *b)* ex decretis, Festum ss. Nominis Jesu, quod, occurrens in Dominica Septuagesimae, reponendum est ad diem 28 Jan. [2] — item Festa pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., septem Dolorum B. M. V. His aliquatenus adnumerari possunt festa semiduplicia occurrentia in Dominica infra octavam, et S. Matthiae in anno bissextili. Cf. Cav. *l. c.* et dicenda de singulis festis *prop. l. sect. 4.* De hac immutatione sermo non est infra ad Rub. 6 et 7, nec generatim quando occurrit vox *immutatio* et similis, sine adjuncto.

§ II. EXPOSITIO TEXTUS RUBRICARUM.

Triplici formula designantur dies ad quas reponenda sunt festa translata. — *Rub. 1.* Festum quodcumque occurrens Dominicis I Cl., necnon Festis I Cl. aliisque diebus aeque privilegiatis, in hac Rub. 1ª recensitis, transferendum est, et quidem *regulariter* ad primam diem quae non sit impedita festo dup., semid., aut officio similiter privilegiato. Quaedam vero festa reponuntur ad diem accidentario assignatam, vel liberam, vel etiam impeditam. — Dies liberae pro festo accidentaliter translato. — Quae dies generatim assignari possit festo in perpetuum immutando. Quae in specie non sunt de se perpetuo liberae. Agitur de diebus Calendarii seu mensis. — Pro casu quo festum dup. I aut II Cl. occurrat aliis diebus, vid. quae traduntur in Rub. — Festum habens Octavam, infra eamdem est reponendum prae aliis translatis; imo, si prima dies libera sit octava occurrens in Dominica minori, hac die celebrandum erit. — Octava, secluso privilegio, non transfertur cum festo; sed dies, ultra quos transfertur, prorsus omittuntur. Festa, quae celebrantur ad diem fixam extra suam octavam, jus ad hanc amittunt, saltem si octavam habeant non vi Rubricarum, sed ex peculiari concessione. Privilegium

1) Cf. etiam S. R. C. *23 Maii 1835, n. 4597, 15.*
2) S. R. C. *3 Apr. 1821, n. 4431, 7.*

Titularis Ecclesiae. — *Rub. 2.* Festum dup. I aut II Cl., occurrens in ultima die Octavae communis, non transfertur; secus si sit tantum dup. maj. — *Rub. 3.* Ad diem infra Octavam, aliter non impeditam, transferri potest festum dup. — *Rub. 4.* In Dominicis minoribus celebratur festum dup. occurrens. — *Rub. 5.* Festum vero semid. non transfertur ad diem infra octavam communem, nisi in proxime sequentem. — *Rub. 6.* Regulis datis Rub. 1, de occurrentia seu translatione, aliae adduntur servandae extra casus ibi expressos. Quae regulae non applicantur officio immutato quod occurrit cum novo Officio, cui S. Sedes assignavit diem natalem. Hae autem regulae sunt sequentes: Praeferenda sunt festa quae aliis praestant ratione 1° ritus, 2° dignitatis, modo tamen festum majoris dignitatis non sit secundarium, 3° feriationis, 4° specialis respectus ad Ecclesiam, Ordinem, aut Locum. Caeteris paribus, attendi potest solemnitas extrinseca. Hae regulae explicantur. — Quid si ante finem anni non supersit dies libera. — *Rub. 7.* Ordo, servandus inter plura festa reponenda, desumitur a praecellentia ritus vel dignitatis, aut a prioritate temporis. — Exceptiones. — Idem ordo servandus est inter plura festa fixe reponenda, non autem inter duo festa quorum unum transfertur et aliud immutatur. — *Rub. 8 et 9.* Festum simplex nunquam transfertur.

Triplex formula usurpatur in Rubricis et Decretis ad designandos dies, ad quos reponenda sunt festa, suis diebus impedita. Haec nempe statuuntur transferri *in primam diem liberam* seu *non impeditam; in sequentem; in sequentem, quamvis impeditam.* Cf. Cav. *t. 1, dec. 96, n. 5 sqq.* Singula formula explicatur prout occurrit in praesenti Rubrica: exponitur quaenam dies sint liberae, seu non impeditae, juxta unamquamque ex dictis formulis.

Cum autem per 2^am^ et 3^am^ formulam exprimi soleat dies accidentaliter assignata, hinc notari potest regulam generalem esse, ut festum translatum reponatur ad diem primam non impeditam, aut ad diem assignatam.

Inter dies impeditas, aliae excludunt quodcumque officium translatum, aliae nonnisi quaedam officia. Juxta hanc distinctionem exponenda venit praesens Rubrica quae, juxta primam formulam, statuit duplex, supradictis diebus occurrens, transferendum esse *ad primam diem . . . non impeditam.* Dicendum est nempe quaenam dies sint impeditae pro quocumque officio translato, quaenam pro quibusdam tantum. Deinde dicendum erit ad quas dies reponenda sunt festa in perpetuum translata.

***Rub. 1.* Si aliquod festum duplex occurrat in Domi-**

nicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in tota octava Epiphaniae, in feria quarta Cinerum, in tota majori hebdomada; et infra octavam Paschae, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad festum Trinitatis inclusive, in festo Corporis Christi et ejus die octava, in festo Assumptionis beatae Virginis et omnium Sanctorum, transfertur in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam (1), exceptis tamen (2) festis Nativitatis sancti Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae in die octava Corporis Christi celebrantur: excepto quoque festo quocumque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus (3) occurrens, scilicet in Dominicis II, III et IV Adventus et Quadragesimae, Dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et diebus infra octavam Epiphaniae (ut in Rubrica de commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem festum Purificationis B. Mariae venerit in aliqua Dominica II Classis, transfertur in feriam II sequentem quamvis impeditam (4); idemque est de Annuntiatione B. Mariae. Item si festum Nativitatis sancti Joannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem (5), cum commemoratione octavae, et in secundis Vesperis Corporis Christi, fit tantum commemoratio sancti Joannis: sequentibus autem diebus fit officium de eadem octava Corporis Christi, cum commemoratione octavae sancti Joannis. Dies autem octava sancti Joannis tunc veniens in die octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei octavae Corporis Christi; et id semper servetur (6), quando festum habens octavam transfertur; ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno (7) celebretur sine octava: nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat (8).

(1) *Transfertur in primam diem* . . . Non enim est in arbitrio eligere diem bene visam, sed sumenda est prima quae non est impedita pro tali festo.

Non impeditam . . . Impeditae sunt 1° *pro quocumque*

festo dies sequentes: *a)* omnes dies, ut patet, quae hic dicuntur excludere festa occurrentia — *b)* dies occupatae festo dup. vel semid. occurrenti, aut immutato *(§ praec. n. 17)*, et dies in quibus occurrit officium quod aequiparatur festo duplici aut semiduplici. Hujusmodi sunt dies Dominicae, S. R. C. *12 Mart. 1618, n. 406*, si tamen excipias casum festi translati ad diem octavam, ut dicitur hic *adnot. 5;* dies in qua recitandum est officium de Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, S. R. C. *24 Sept. 1842, n. 4801*, *2*, vel in qua anticipandum est officium Dominicae 2ae post Epiphaniam *(Rub. pecul.)*. — Item dies Octava, Rub. 2 h. t. — Vigilia Epiphaniae, quoad festum in ea accidentaliter reponendum. Cf. Merati *sect. 3, cap. 10, n. 3, verb. Alia quoque.*

Inter dies impeditas non est recensita, modo absoluto, dies accidentaliter assignata alicui festo. Quia haec dies tunc tantum est impedita pro festis translatis, quando reperitur *occupata* festo accidentaliter immutato. Sic v. g. quando Festum SS. Nominis non transfertur, dies 28 Jan. libera est pro festo accidentaliter translato.

2° Dies infra Octavam Corporis Christi impeditae sunt *pro festis ritus dup.*, S. R. C. *7 Sept. 1680, n. 2779, 2, etiam maj.*, ut recte docet Merati; sed non pro dup. I et II Cl., S. R. C. *30 Mai. 1699, n. 3372, 2, in Ulysbonen.*

3° Dies infra Octavas communes (Rub. 3) et dies 30 Dec., quando in ea reponenda non est Dominica infra Nativitatem Domini, S. R. C. *27 Sept. 1842 cit. in 1°*, liberae sunt pro duplici, sed *excludunt semiduplex,* extra casus exceptos Rub. 5.

Dies impeditae vel liberae pro Immutatione perpetua. Hucusque dicta procedunt de mera seu accidentali translatione, sed possunt, cum sequenti limitatione, applicari immutationi perpetuae. Hoc scilicet existit generale discrimen inter utramque: pro immutatione, secus ac pro translatione, non sufficit ut dies sit *hic et nunc* libera, sed requiritur, ut dies sit *de se* perpetuo libera. Cf. dicta *§ praec. n. 20.*

Dicitur *de se,* quia *a)* festo in perpetuum immutando assignari potest dies accidentaliter impedita, v. g. occurrens in Dominica etiam I Cl.; et *b)* e contra assignari nequit dies accidentaliter assignata alteri festo, quamvis hic et nunc sit libera. Ratio posterioris est, quia festum immutandum, minus quam fieri possit, exponendum est periculo translationis. Quod non caveretur, si assignaretur dies quae

jam partim est impedita, jure scilicet quod officium accidentaliter immutatum habet ut ad eam reponatur, quando contingit transferri.

Quaeritur in specie quae dies non sint de perpetuo liberae, ita ut assignari non possint festis immutandis?

Notandum est 1° hic intelligi dies Calendarii seu mensis, non autem Dominicas et ferias. Cf. S. R. C. dec. 26 Nov. 1735, n. 3889, 2, de Patrocinio S. Joseph. „Si autem, inquit Cavalieri ad hoc decretum, Patrocinio S. Joseph., quod jam diei Dominicae addictum est, in casu perpetuae translationis non potest fixe assignari dies altera Dominica, multo minus id fieri licebit relate ad alia festa, quae pro die propria diem Dominicam non recognoscunt." *Tom. I, dec. 93, n. 44.*

Notandum est 2° impedimentum accidentale, quale est festum mobile, Dominica vel feria, non obstare quin dies aliunde libera assignetur. Sed si impedimentum excludat festum, tunc dabitur locus translationi accidentali.

R. Sunt sequentes: *a)* Dies in quibus occurrit perpetuum impedimentum quod excluderet tale festum etiam occurrens, v. g. Vigilia aut Festum Natalis Domini — *b)* dies in quibus celebratur Festum natalitium, etsi ad libitum [1], ritus dup. aut semid. — *c)* dies jam aliis festis assignata, etiam accidentaliter [2], nisi forte novum construatur Calendarium [3], ex indulto [4] aut approbatione [5] S. Sedis. In casu enim hujus novae constitutionis Calendarii, fieri potest ut festa, immutata in Ecclesiis particularibus, locum cedant immutandis pro tota Dioecesi, juxta S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 4763, 1 *in Mechlinien.* — *d)* dies octava festi immobilis. — De Vigilia Epiphaniae, quatenus possit vel non assignari, dicitur proprio loco, *sect. 4.*

Dies Calendarii, accidentaliter assignati alicui festo, sunt sequentes: 18 Jan., Festo ss. Nominis Jesu; 3 Feb., Festo Purificationis; 26 Mart., Festo Annuntiationis. Quibus adnumeranda est 30 Dec., pro Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, prout eruitur ex dec. cit. 24 Sept. 1842. Cf. § 1, n. 22.

1) S. R. C. 3 Apr. 1821, n. 4431.
2) Ibidem cf. alia dec. cit. supra, § 1, n. 22.
3) 22 Aug. 1744, n. 4011, 4.
4) 19 Sept. 1801, n. 4329, 8.
5) 12 Nov. 1806, n. 4351, 6.

Quaeritur an dies infra Octavas possint assignari Festo immutando?

R. 1° Ex dictis assignari possunt dies quae aliquando occurrunt infra Octavas mobiles, puta Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi.

R. 2° Dies infra Octavam non privilegiatam et immobilem, v. g. Patroni, assignari possunt festo etiam semiduplici. Et ratio est quia infra hujusmodi Octavam fit de semiduplici occurrente, cui aequiparatur festum immutatum. Quod declaravit S. R. C. dum *die 15 Maii 1745, in una Ord. disc. ss. Trinit., n. 4022*, respondit: „Hujusmodi Festa (scilicet perpetuo impedita) [1] posse stabiliri infra illas Octavas quae hujusmodi Festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut est Octava Corporis Christi quae admittit duplicia currentia non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas Octavas quae hujusmodi Festa occurrentia excludunt, juxta regulas praescriptas in Rubrica de octavis n. 3."

Quaeritur an assignari possit dies infra Octavam privilegiatam?

R. 1° De Octavis Paschae, Pentecostes, Corporis Christi et Nativitatis Domini quaestio esse non potest. Nam tres primae sunt mobiles, et omnes dies ultimae scilicet Nativitatis D. sunt impeditae, ut dictum est.

R. 2° Ex declaratione 15 Maii cit. sequi videtur dies infra Octavam Epiphaniae assignari posse Festo Patroni aut Dedicationis Ecclesiae. Nam ex dicta declaratione fluere videtur haec generalis regula: Dies infra Octavas assignari possunt Festo immutando quod recitatur, dum in eis occurrit.

(2) *Exceptis tamen festis, etc.* Quibus duobus Festis, inquit Lohner h. l., ob suam solemnitatem specialiter videtur hoc privilegium concessum; unde si aliud Festum, licet pariter foret Duplex primae Classis, occurreret, omnino transferendum id foret."

(3) *Etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet, etc.* Quae exceptio non protrahitur ultra dies hic recensitos. „Unde, ait Lohner h. l., si cum Duplicibus vel Dominicis primae Classis, vel alia die privilegiata omne Festum excludente, occurrerent, similiter transferri deberent."

1) Dubium sic sonat: „An possit assignari dies quamvis sit infra octavam privilegiatam, ut puta infra octavam Patronorum, quae plures sunt in Regno Poloniae."

(4) *Quamvis impeditam*, festo aequalis ritus. Et ratio est, quia haec feria II, utpote accidentaliter assignata, consideratur in casu translationis, tanquam sedes propria Festi Purificationis. Hinc S. R. C. *dec. gen.* *20 Jul. 1748, n. 4048*, declaravit, in hujusmodi occursu „Officium Purificationis esse transferendum in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Et idem servandum mandavit, quando Festum Annuntiationis B. M. V. occurrat in Dominica privilegiata; quod si in hebdomada majori, vel Paschali, tunc Annuntiationis Officium pari cum privilegio in Feriam secundam post Dominicam in Albis transferri voluit. Atque hoc Decretum generalibus Calendarii Romani Rubricis adjici praecepit." Sic confirmata est Merati sententia, quam impugnat Cavalieri *tom. 1, dec. 95, n. 6 sqq.*

(5) *Transfertur in sequentem diem*, non obstante quocumque officio, juxta peculiarem Rubricam, et S. R. C. dec. *23 Jun. 1736, n. 3895, 9.* Quod peculiare privilegium non est absque indulto extendendum ad alia festa quae celebrantur cum octava prout per se patet et declaratum habetur in dec. S. R. C. *16 Apr. 1834, n. 4579.*

Attamen privilegiata est translatio festorum, quae celebrantur cum octava. Nam 1° S. R. C. die 13 Mart. 1804, n. 4343, declaravit „Festum gaudens Octava, si transferri contingat, et dies non impedita occurrat priusquam Octava finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis Festis, etiam majoris ritus, vel dignitatis prius translatis, quae tamen, vel non gaudent Octava, vel post eam transferuntur [1]." — 2° juxta rescriptum ejusdem S. C. 7 Dec. 1844, n. 4846, 2, Officium quodcumque cum Octava incidens in Dominica, quoties in die propria praepeditur ab alio festo majoris ritus, vel dignitatis, neque reponi possit intra Octavam, recitari valeat in die octava, scilicet in Dominica immediate sequenti. Ratio prioris Decreti est ne Festum suo privetur privilegio habendi officium aut commemorationem, diebus quae de Octava supersunt. Similis est ratio posterioris: congruit scilicet ut Festo illud tribuatur jus quo gauderet dies ipsius Octava, si ipsum fuisset celebratum.

(6) *Et id semper servetur* . . . ut dies octava non transferatur.

1) Quod decretum fuit confirmatum *die 12 Apr. 1823, n. 4444, 3.*

Quaeritur quid agendum sit quoad primos dies Octavae, quando Festum transfertur infra suam Octavam?

R. cum Merati, *sect. 3, cap. 8, n. 16*, Guyeto et Risso, ibi citatis, „in tali casu eos dies infra octavam esse supprimendos, qui transacti sunt a die celebrationis Festi principalis; quare si Festum ipsum celebratur secunda die infra octavam, tunc de diebus infra octavam omittenda erit secunda dies; ita ut dies infra octavam casu incipiat a tertia die; si vero festum principale celebratur tertia die infra suam octavam, tunc ommittenda erunt secunda, et tertia dies; ita ut post Festum, dies intra octavam incipiant a quarta die, et sic de singulis discurrendum; neque de prioribus diebus fieri debet aliqua Commemoratio, quia ut bene notat Guyetus, octava nihil aliud est, quam continuatio festi; ad quid ergo facere Commemorationem dierum continuationis illius Festi, quod adhuc non est inchoatum."

(7) *Illo anno celebretur sine octava.* Tum ex dictis supra, tum ex verbis, *illo anno,* constat hic non agi de perpetua immutatione, sed de translatione, aut assignatione accidentaria.

Cum nomine translatorum non veniant festa, quibus a S. Sede assignata fuit dies non natalitia, haec, non secus ac illa quae in ipsa die natalitia celebrantur, octavam habere possunt. Cf. Cav. *tom. 1, dec. 93, n. 45.*

Quod vero attinet ad translationem et immutationem accidentariam, AA. non consentiunt an de immutatione accidentaria idem sit resolvendum, quam de translatione accidentali. Cavalieri distinguit an Festum immutetur quoad forum et chorum [1] (vid. not. supra pag. 115), vel quoad solum officium. Festis prioris generis concedit Octavam, cum Merati quem citat; aliis vero eam denegat. Cf. Cav. *dec. 93 cit. n. 46.* Observandum autem est distinctionem, quam facit Cavalieri cum aliis, non niti textu Rubricae. Haec enim, quamvis assignaverit diem Festo Annuntiationis intra tempus octavas permittens, nihilominus absolute pronuntiat festum, post suam octavam translatum, illo anno celebrari

1) Qui casus quandoque occurrit respectu Annuntiationis, translatae in feriam II post Dom. *in Albis.* Unde, juxta sententiam Cavalieri et Merati, hoc festum, in casu, cum octava celebrandum foret in Ecclesiis, quarum Annuntiatio est Titulus.

sine octava. Si tamen Annuntiatio sit Titularis Ecclesiae, videantur hic dicta *adnot. 8.*

De octava festorum, quae vi generalium decretorum immutantur, non agit Rubrica, uti dictum est. De his festis itaque quaeritur an, secluso privilegio, amittant octavam, quando extra eam reponuntur?

R. Sententiam negativam ut probabiliorem habet Cavalieri *dec. cit. n. 50* [1].

Affirmat Deherdt P. IV, n. 33, I. „Si, inquit, festum sive accidentaliter, sive perpetuo *(S. R. C. 16 Sept. 1741, n. 3973, 1.)* transferatur post totam suam octavam, vel celebretur in die sua octava; illo anno celebratur sine octava, nisi ex speciali privilegio aliter fieri liceat."

Sententia affirmativa aliquatenus quidem confirmatur responso cit.; non tamen ita ut dici possit probata et tanquam regula generalis habenda. Et ratio est, quia illud responsum videtur limitandum ad casum: datum enim est de sanctis in specie recensitis et octava gaudentibus, non vi Rubricarum, sed ex peculiari concessione. Caeterum istud responsum non esse applicandum Titulari Ecclesiae immutato, hodiedum constat ex dec. citand. in seq. adnot.

(8) *Nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.* Haec verba communiter intelliguntur apud Rubricistas, in sensu qui non videtur obvius. Ea nempe, expresse vel implicite, interpretantur in hunc sensum: Nisi privilegio, *quod forte concessum sit alicui Ecclesiae propter ipsius Titularem,* aliter fieri oporteat. Sic Guyetus, *lib. 4, cap. 12, q. 4,* de praxi transferendi octavam cum festo, sequentia scribit: „At hoc reprobatur penitus *Rubrica cit. Transl. fest. n. 1* his verbis: *Quod si festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebrabitur sine Octava, nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat;* quale privilegium habet Ordo Minimorum, pro Octava S. Francisci de Paula, ex concessione Clementis VII. Praeter hoc [2] vero

1) »Sancti, inquit ibi, qui vi Decretorum generalium immutationem perpetuam sortiuntur, quia aliqualem respectum servant ad proprium diem, cui restitui debent cessante impedimento, ad modum translatorum videntur regulandi. At cum haec sint valde remota, et festa sic immutata adipiscantur aliam perpetuam sedem ut propriam, nec congrue in perpetuum spolientur jure a Rubricis concesso, oppositum est probabilius.«

2) Cav. *dec. 136, n. 16 cit.* idem privilegium tribuit Ordini S. Benedicti pro s. suo Fundatore.

nullum mihi aliud licuit observare, et si quod ullibi habetur, existimaverim concessum dumtaxat pro Octava Patroni seu Tituli Ecclesiae, quod indicare videtur vox *Titularis* in supradicta exceptione, ut sit sensus, *nisi aliter fieri oporteat, ex privilegio concesso Ecclesiae alicui in gratiam sui Tituli.*" Hunc textum in eodem sensu, absque ulla haesitatione, sumit Cavalieri *tom. 2, dec. 136, n. 16.* Pro eodem sensu citari etiam possunt Gav. *sect. 3, cap. 8, n. 11.* Merati *ibi n. 16*, et alii qui textum quidem non explicant, sed sine limitatione docent festum, ultra suam octavam translatum, celebrari sine octava.

Quamvis vero me non lateat communem AA. interpretationem generatim esse multo faciendam, attamen quin hic tanquam certa habeatur illa communis interpretatio, obstare videntur et ipsa verba Rubricae, et textus, necnon partim S. R. C. dec. *12 Aug. 1854, in Lucionen. ad 15* [1]. Mihi itaque liceat hasce rationes exponere, eas submittendo judicio sapientiorum.

1° Verborum obvius sensus hic esse videtur: Nisi privilegio, *quo gaudet Ecclesiae Titularis, qua talis*, aliter fieri oporteat. Porro certum est verba esse sumenda in sensu obvio, quoties nihil cogat confugere ad violentam interpretationem. Jam vero hic, praeter Rubricistarum auctoritatem, non solum nihil obstat quin sensus obvius admittatur, sed contra ab eo non esse declinandum suadent textus et S. R. C. l. c. — *a)* Nihil obstat: Non momenta quibus niteretur opposita interpretatio, quia nulla afferuntur — Neque regula hic tradita de omittenda Octava, quia cum hoc privilegium Titulari tribuatur per exceptionem, minime laeditur dicta regula, sed potius inde confirmatur.

1) En dictum dubium 15: An Decretum *16 Sept. 1741, ad 1 in Panormit.* statuens festa ab assignata earum die perpetuo amota, esse celebranda sine Octava vel cum residuo illius, applicari debeat Festo Titularis alicujus Ecclesiae quod ob perpetuum impedimentum ab Ordinario vi decreti *22 Apr. 1741 in Wilnensi ad VII* in diem fixum repositum fuit? Vel Titularis sic fixe translatus habeat privilegium servandi suam Oct., uti Rubrica adnotat Tit. X, n. 1 his verbis — Nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat?

R. Negative ad 1 partem, affirmative ad 2.

Nota. Hoc quidem decretum nondum refertur in Collectione authentica, neque illud legi in exemplari authentico. Nihilominus nullam habeo rationem dubitandi de ejus authenticitate.

— *b)* E contra favet textus. Si Rubrica non intendisset agnoscere generale privilegium Titularis, et voluisset dumtaxat excipere casum privilegii *aliquando forte concessi* alicui Ecclesiae, *intuitu* ipsius Titularis, dixisset modo absoluto: *Nisi ex privilegio aliter fieri oporteat.*

2° Ex citato rescripto S. R. C., partim saltem rejicienda est communis interpretatio. Ex eo enim satis constat eam non posse admitti in casu quo Titularis reponitur ad diem fixam, sed Titularem sic immutatum gaudere octava, vi praesentis Rubricae.

Ex eodem responso sequi insuper videtur idem esse resolvendum de Titulari accidentaliter translato. Nam S. C. non concedit privilegium, sed tantum interpretatur Rubricam, eam applicando ad casum propositum: et proinde ratio decidendi non videtur petita ab immutatione festi, sed a privilegio quod Rubrica tribuit Titularibus. Certum autem est Rubricam conditam fuisse de festis accidentaliter translatis.

Quaeritur an idem sit dicendum de Patrono Loci?

R. 1° Pro casu translationis accidentalis, negandum videtur. Quia Rubrica, excipiendo solum Titularem, firmat regulam pro aliis, nisi forte Patronus Loci censeatur excipi ob paritatem.

2° In casu autem immutationis perpetuae, resolvendum est ut in adnot. praec., advertendo tamen Patronum Loci habere octavam vi Rubricarum.

Rub. 2. Si in die octava alicujus festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex ex majoribus supra in Rubrica de commemorationibus enumeratis, fiat de festo cum commemoratione diei octavae: excepta die octava Nativitatis Domini et Epiphaniae, in quibus non fit de aliquo festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam (1). Si autem non fuerit ex praedictis festis (2), fiat de octava, et festum transferatur ut supra.

(1) *In primam diem similiter non impeditam*, id est in primam diem ad quam reponi possit festum translatum. Nam per illa verba non assignatur dies sequens, aut alia determinata, pro festo reponendo, sed tantum declaratur eligendam esse eam, quae pro tali festo est prima libera, servatis servandis. Cf. *tom. 2, dec. 160, n. 4.*

Adverbium *similiter* hic sumitur in sensu restricto: denotat nempe similitudinem limitatam, id est similitudinem

in existentia, sed non in qualitate impedimenti. Quasi diceret: in primam diem quae non sit *etiam* impedita. Haec vox aliquando in aliis Rubricis usurpatur eodem sensu restricto. Cf. Rub. Miss. fer. IV Ciner., ubi ministri dicuntur *similiter*, id est, *etiam* induti.

(2) *Ex praedictis festis*, id est dup. I vel II Cl. Itaque dup. maj. est transferendum. Cf. S. R. C. *19 Jun. 1700, n. 3416, 3.*

Rub. 3. Si aliquod festum duplex infra octavam occurrens, alio majori festo duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, et in eo fiat commemoratio de octava.

Rub. 4. Si in aliis (1) Dominicis per annum a supradictis occurrat festum duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus.

(1) *In aliis*, id est, minoribus.

Rub. 5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra octavam Corporis Christi et aliis Dominicis per annum, transfertur in primam diem simili officio non impeditam (1): occurrens vero in Dominicis infra illas octavas, in quibus fit de festis occurrentibus (ut dictum est in Rubrica de octavis), transfertur in sequentem diem (2) cum commemoratione octavae, quae si fuerit alio festo (3) duplici vel semiduplici impedita, praedictum festum semiduplex veniens in Dominica, transfertur post octavam; ita ut festum semiduplex infra octavam non transferatur, nisi in proxime sequentem diem (4).

(1) *Transfertur in primam diem* simili officio non impeditam, id est, primam liberam juxta Rubricas.

(2) *In sequentem diem.* Per haec verba sequens dies assignatur dicto semiduplici, quod proinde recitandum est, quamvis alias in ea reponendum veniret aliud translatum, etiam duplex I Cl. S. R. C. *2 Sept. 1741, n. 3970, 2.* Cf. potest dec. *12 Sept. 1840, n. 4753, 3.*

„Privilegii autem, ait Cavalieri *tom. 2, dec. 158, n. 2,* haec est ratio. Ne a frequenti semiduplicium translatorum, quae ceteroquin ejusdem ritus sunt cum die infra octavam, nimis de facili, obruerentur octavae, ab his illa rejecta fuere, solo reservato casu diei proxime sequentis, ad quam jus quoddam vicinitatis habent. Quae reservatio ne in irritum recideret ob duplicia translata, sequens dicta dies ut propria fuit iisdem assignata, quia alias horum repositio

usque post octavam differri deberet, ubi duplicia adhuc locum habent in qualibet die infra octavam, et nonnisi per accidens, ratione scilicet totius octavae per festa impeditae, ultra octavam protrahuntur.“ Cum par ratio non militet favore duplicis, quippe quod facilius et citius reperit diem liberam, ideo ei Rubricae non tribuunt simile privilegium. Cav. *l. c. dec.* ***160***, *n.* ***4***. Cf. S. R. C. ***26*** *Dec.* ***1696***, *n.* ***3260***.

Dictum tamen privilegium ad alios duos casus extenditur, propter paritatem. 1° Eodem privilegio certo gaudet semiduplex occurrens in festo habente Octavam. S. R. C. ***2*** *Sept.* ***1741***, ***2*** *cit.* Equidem ibi nominatur dup. I Cl. habens octavam. Sed idem dicendum, si duplex habens octavam esset tantum II Cl. Cf. Merati *sect.* ***3***, *cap.* ***8***, *n.* ***9*** *verb. Concludendum*, et Cav. *tom.* ***2***, *dec.* ***159***. — 2° Idem [1] etiam dicendum esse videtur de semiduplici quod incidit in festo dup. infra Octavam non privilegiatam. Decretum enim S. R. C. 30 Sept. 1679, statuens in casu „faciendum esse officium de semiduplici, die immediate sequenti festo dup. vel semid. non impedito“ habendum non est revocatum alio subsequenti ***22*** *Dec.* ***1696***, *n.* ***3260***; quod docuerat Merati *sect.* ***3***, *cap.* ***8***, *n.* ***9*** *verb. Huic Decreto.* Hanc vero opinionem jure refellit Cavalieri *ad dec. cit.* ***22*** *Dec.* ***1696***, *Ord.* ***160***, *tom. II.* Sententia Cavalieri confirmatur ex Rescripto ***2*** *Sept.* ***1741***, *n.* ***3970***, *ad* ***2*** *in Aquen. cit.*, ubi praecedens ***20*** *Sept.* ***1679*** declaratur authenticum, quin verbum dicatur de ejusdem revocatione. Nec obstat dec. 12 Sept. 1840. Secus obstaret etiam quando semiduplex occurrit cum dup. habente Octavam.

(3) *Alio festo*, occurrente scilicet prout dictum est, *adnot.* ***2*** *praec.*

(4) *Nisi in proxime sequentem diem.* Quae verba obviam exhibent solutionem dubii 2, quod propositum fuit S. R. C. ***11*** *Sept.* ***1847***, *n.* ***4952***, ***2***.

Rub. ***6***. Si duo vel plura festa novem lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de majori, id est, de duplici, et semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint duplicia, vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quae minoris solemnitatis sunt, transferantur.

1. Haec Rubrica non procedit de festis solemnibus quae in Rubrica 1ª absolute dicuntur excludere alia festa, praeter

1) Hoc tanquam probabile habet Merati *l. c.*

ibi excepta; neque de festis, quae si impediantur, transferuntur ad diem assignatam. Sed respicit occurrentias, quae, praeter supra recensitas, contingere possunt inter festa quae sequuntur generales Rubricas. Hinc est quod non applicetur absolute festis *secundariis*, et nullo modo Officiis *ad libitum* aut *Votivis*, juxta dicta *§ 1, n. 9, 12 et 15.*

Dies, in qua habetur occurrentia festi particularis cum magis universali, est vel propria seu natalis, vel assignata, videlicet a S. Sede [1] aut vi decretorum generalium. Si illa dies sit *utriusque* festi occurrentis dies natalis aut assignata, tunc applicantur regulae hic traditae de occurrentia et translatione Festorum. Secus autem, si ea dies sit natalis *unius* ex occurrentibus et assignata *alterius*, prout infra dicitur.

2. Duplicia hic non distinguuntur in quatuor gradus, ut in tabella, *pag. 128* exarata, quia, uti dictum est *pag. 129*, nonnisi in recognitione Clementina adhibita fuit, quoad nomen, distinctio duplicium in 4 species seu classes. Nihilominus hujusmodi distinctio, quoad rem, existit in Rubricis, et in praesenti exprimitur per verba: *fiat de digniori seu solemniori.* Itaque inter duplicia diversi gradus, servandus est sequens ordo: praefertur 1° duplex I Cl., 2° dup. II Cl., et 3° dup. majus. Caeterum praesentem Rubricam ita esse intelligendam omnino constat ex decretis S. R. C. Juxta decretum *22 Aug. 1711, n. 3692*, „duae sunt regulae ex quibus in occursu duorum Festorum unum alteri praefertur: ea scilicet quae oritur ex dignitate Classis; altera vero quae provenit ex dignitate Personae.“ Praeterea, *die 20 Mart. 1806, n. 4350, 15,* eadem S. C. declaravit hanc et sequentem „Rubricam intelligendam esse de solemniori quoad ritum, et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quae in ordine translationis non est attendenda.“

3. Duae regulae in hac Rubrica expressae, nunc veniunt in ordine tradendae cum duabus aliis subsidiariis, a S. R. C. datis pro casibus quibus non est satis provisum per dictam Rubricam. Observandum tamen est has regulas non esse applicandas officio immutato quod occurrit cum novo officio cui S. Sedes assignavit diem natalem. Cf. dicta infra post regulam IV, n. 8.

1) Cf. S. R. C. *1 Oct. 1740, n. 3953, 2; 13 Mart. 1803, n. 4342; 6 Dec. 1844, n. 4839, in Mechlinien. dub. IV.*

Regula I. In aequalitate ritus, praeferenda sunt festa majoris ritus.

Regula II. In paritate ritus, praeferenda sunt festa digniora.

Prima regula etiam est applicanda festis secundariis [1]; secus de secunda. Nam, uti dictum est *§ 1, n. 15,* occurrente festo secundario cum primario *ejusdem ritus*, hoc, quamvis sit *minoris dignitatis*, alteri praefertur. Hinc S. R. C. ad dubium 17, propositum de Festo Patrocinii S. Josephi, dup. II Cl., praeferendo, tam in occursu quam in concursu, Festis Apostolorum et Evangelistarum, respondit, die 16 Feb. 1781, n. 4262, „Negative, cum agatur de Festo secundario.“ Cf. decreta *cit. § praec. n. 14.*

Haec limitatio non videtur restringenda ad regulam II; sed videtur etiam intelligenda de regulis subsidiariis, nempe de 3ª et 4ª sequentibus. Nullum tamen novi casum a S. R. C. definitum ubi agatur de festo secundario occurrente cum primario ejusdem ritus et dignitatis.

4. *Ordo dignitatis*, de quo haec 2ª regula, est sequens: Digniora sunt festa 1° Domini, 2° B. M. V., 3° Angelorum: 4° S. Joannis Baptistae, juxta rescriptum S. R. C. 22 Aug. 1711 cit., 5° S. Josephi, Sponsi B. M. V., 6° SS. Apostolorum et (juxta dec. S. R. C. 17 Jul. 1706, n. 3599) Evangelistarum. Cf. Tit. XI, Rub. 2.

Quaeritur an dentur alia festa, praeter hic recensita, quae juxta hanc 2ªᵐ regulam aliis sint praeferenda, ratione dignitatis.

R. 1° Festum Dedicationis Ecclesiae est, per se loquendo, dignius *a)* festo Patroni seu Tituli Ecclesiae, prout deducit Cavalieri ex decreto S. R. C. 21 Aug. 1688, n. 3014, ad 2, quod ipse exponit *tom. 1, in Ord. 16, n. 16 sqq.* — *b)* item dignius est Patroni Loci. S. R. C. *12 Sept. 1840, in Brugen. n. 4750, 5.* Cf. Gardell. *ad n. 4429.*

Quod tamen est intelligendum per se loquendo. Quia si Patronus, ait Cav. *l. c. n. 29,* seu Titulus Ecclesiae foret Dominus Deus, B. Maria, Angeli, S. Joannes Baptista, aut aliquis ex Apostolis, in tali casu Patronus, vel Titularis praeferendus foret Dedicationi, nam eorumdem festa, nulli alteri, licet solemniter celebrato, cedere superius relevabamus ex citata Rubrica *Inter festa,* et aperte deducitur

1) Cf. Gard. ad n. 4429, verb. *nulla equidem.*

ex ipsomet Decreto, dum in concurrentia Festi S. Joannis Baptistae, et Festi Dedicationis, illi integras dat vesperas, et huic solum commemorationem." Haec nempe Rubrica, uti adnotatum est ad 1, non est absoluta, sed subsidiaria pro casibus quibus satis provisum non est per Rubricas praecedentes.

R. 2° Inter Sanctos qui dignitate inferiores sunt Apostolis et Evangelistis, non est servandus ordo hierarchicus Litaniarum, nisi forte in casu festorum, quae, caeteris paribus, sunt aeque peculiaria. Prima pars satis probata videtur ex resp. *29 Jan. 1746, n. 4031;* altera, ex voto, juxta quod respondit S. R. C. *22 Aug. 1711 cit.* Cf. Cav. *tom. 2, dec. 222, n. 2,* et *dec. 224, n. 1 sq.*

5. *Regula* III. In paritate ritus et dignitatis, praeferendum est festum de praecepto quoad forum. „Quando, ait S. R. C. occurrit aliquod festum in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares debent de eo officium facere, nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud festum quod sit ejusdem classis, ritus, et majoris dignitatis." *Die 5 Mai. 1736 in Einsidlen. ad tit. 10, dub. 5, n. 3894.* Regula non est ad Regulares limitanda, ideo quod hi specialiter nominantur. Nominantur enim quia de illis ponitur dubium; sed non ut regula ad ipsos restringatur. Siquidem pro omnibus eadem militat ratio. Cf. Merati *sect. 3, cap. 10, n. 10,* et *13,* ubi observat aequum esse et rationi maxime consonum, ut Officium quod sit pro Clero et Populo, et nomine omnium, omnibus eo loci, quoad fieri potest, accommodetur.

Observandum est Rubricas festorum, quae fuerunt a Clemente XIV et Pio VII suppressa *quoad forum,* non esse immutatas, uti notatum habetur supra *Tit. V, Rub. 1.*

6. *Regula* IV. In paritate ritus, dignitatis et fori, seu „in occurrentia Festorum ejusdem ritus et alias quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Ecclesiae particularis, secundum Ordinis seu Religionis, tertium Dioecesis, quartum Nationis, quintum Ecclesiae universalis." S. R. C. *29 Jan. 1746, n. 4031, in Panormitana.* Cf. Cav. *tom. 2, dec. 223,* Gardellini, *ad n. 4388, 2.* Quaeritur, hic n. 7, quaenam festa comprehendantur hac regula.

Ex verbis *quomodocumque parium,* quidam deducunt ordinem hujus 4ae regulae non esse servandum quando occurrunt festa, quorum unum celebratur cum solemnitate ex-

trinseca, cum concursu populi, et existimant hoc esse alteri praeferendum, juxta dec. 2 *Mart. 1683, n. 2870, 4,* et *11 Jan. 1749, n. 4049, 4.* At neque illa verba, neque haec decreta illorum opinionem probant. 1° Non illa verba, quia intelligenda sunt juxta Rubricas et Decreta, id est de festis paribus quoad ritum, dignitatem et forum, quamvis paria non sint in solemnitate extrinseca. Haec enim, ex S. R. C. dec. 20 Sept. 1806, 15 cit. *adnot. 1*, non est attendenda in ordine translationis. — 2° Nec decreta objecta id probant. Quia si nequeant conciliari cum posteriore, hic cit., habenda sunt tanquam revocata.

Ex dictis concludendum solemnitatem extrinsecam posse quidem sed non debere attendi, quando occurrunt festa alias paria, scilicet, ritu, dignitate, foro et relatione ad Ecclesiam, Ordinem aut locum. Praeterea, defectu alterius disparitatis, ut supra, attendi etiam potest dignitas accidentalis, seu ordo hierarchicus Litaniarum. Cf. votum ad cujus normam respondit S. R. C. *die 22 Aug. 1711 cit. n. 4.*

7. Quaeritur an, nomine Officii Ecclesiae particularis, Ordinis etc., hic veniant quaecumque Officia Calendarii particularis?

R. Negative. Sed ea dumtaxat quae specialem habent relationem ad Ecclesiam, Ordinem vel Locum. „Sancti — sunt verba Cav. *tom. 2, dec. 221, n. 3* — qui ut proprii ac particulares in Dominiis, Nationibus, Provinciis, Dioecesibus, locis, vel Religionibus excoluntur, sunt, qui vel ortu, occubitu, insigni commemoratione, praecipuo aliquo munere, advectione suarum Reliquiarum, invectione fidei, ejusdem promotione, et dilatatione, signis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis, aut gratia aliqua inibi fuerint illustres. . ." Et, *dec. 223, n. 3,* tanquam officia Ecclesiae particularis habet Officia Dedicationis, Titularis et Reliquiarum.

De propriis Officiis Ordinis sequentia adnotat Gardellini ad dec. 3 Apr. 1821, n. 4431. „Vere propria (Ordinis scilicet seu Congregationis) dicuntur Officia illorum Sanctorum, *qui Religionem aliquam professi dum viverent, in ea pie, et constanter ad obitum usque perseverantes, sacrum apud posteros cultum, publico Ecclesiae judicio, meruerunt. Ita Guyetus lib. 1, cap. 14, quaest. 4,* qui prosequitur: *Neque vero horum tantum memoria sed et aliorum quoque, qui licet extranei sint, affinitate tamen aliqua, aut alio quovis nexu ad ipsam Reli-*

gionem, aut Congregationem utcumque pertinere noscuntur. Diversa ratio est, quoad Officia Sanctorum, quae Regulares recitant ex speciali indultu, quin ulla intersit ad Ordinem, seu Congregationem relatio, veluti illa sunt, quae vel ab peculiari devotione, aut ex communicatione privilegiorum etiam quoad Officia, vel ab alio extraneo titulo causam repetunt. „Ita, inquit Deherdt P. IV, n. 29, S. R. C. *31 Mart. 1821,* cum approbatione Apostolica *3 Apr. n. 4431, 3,* declaravit, officia specialiter concessa Congregationi ss. Redemptoris non esse consideranda tanquam propria Ordinis, et in paritate ritus non esse praeferenda in occurrentia Sanctorum Calendarii Dioecesani."

8. Quaeritur an supradictae regulae etiam servandae sint, quando eadem dies, in qua occurrunt officia, est dies natalis unius sancti, et assignata alterius?

R. Negative. Quia ex rescripto S. R. C. *12 Sept. 1840, n. 4763, II* concludendum videtur festum, in sua die natali seu propria, praevalere alteri, etiam majoris ritus, quod in eadem die celebratur, tanquam in die assignata. Cf. dicta supra *§ 1, n. 18*, Cav. *tom. 1, dec. 93, n. 4 sqq.*, Deherdt *P. IV, n. 30, verb. Si autem.* An hic subintelligenda sit exceptio, de qua Cav. cit. supra *§ 1, n. 18,* aliis relinquo definiendum quando forte casus occurret.

Dies vero propria est dies natalis. Propria dicitur, per oppositionem ad diem assignatam, quae habetur *tanquam* natalitia et veluti propria sedes. Cf. dicta supra, *Tit. I, § 4, II 2°.*

Equidem S. Alphonsus de Liguorio, de cujus Festo datum fuit decretum 12 Sept. cit., non 2ª, sed 1ª die Augusti obiit. Attamen, cum illius obitus contigerit meridie, 2ª dies Aug. dici potest *natalis*, si haec computetur a tempore quo incipi possunt I Vesperae [1].

1) „Quaeres, ait Cav. *tom. 1, dec. 98, n. 13,* unde decerni debeat dies Sancti cujusque natalis?

R. Triplicem a Guyeto *lib. 2, cap. 2, quaest. 2,* rationem adduci computandi diem natalitium Sanctorum, videlicet a vespera ad vesperam, adeo ut qui Sanctus v. g. obiit prima die Octobris ab ea hora, quae decantandis vesperis indicitur hujus dies natalis non ipsa prima die Octobris, sed sequenti, secunda videlicet consignetur; sic enim suadere videtur officiorum ratio, quae cum ad Sancti cujusque felicissimum ex hac vita transitum instar se habeat triumphi ad victoriam, illum certe hanc non praecedere, sed sequi, aut ad summum comitari aequum est. Praecederet autem,

Ex dictis facile colligitur quid sit agendum, quando festum noviter concessum, sine peculiari clausula, occurrit cum festo Ecclesiae particularis, Ordinis aut Loci. Si utrumque officium occurrat vel in die propria, vel in die assignata, applicandae erunt regulae traditae de occurrentia et translatione Festorum. Si autem unum occurrat in die propria, et alterum in die assignata, hoc erit transferendum juxta dicta ad hanc quaestionem. Cf. Deherdt *l. c.*

9. Quaeritur quid agendum sit, quando ante finem anni [1] non reperitur dies libera ad quam transferatur festum impeditum?

R. 1° Regula *generalis*, pluribus decretis firmata, est „Officia, quae intra anni terminum transferri nequeunt, redigenda esse ad ritum simplicem in die propria cum IX lectione historica, et commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus. Quae dispositio locum habere debet in omnibus Festis, et duplicibus tum primae tum secundae Classis, excepto ultimo Triduo Majoris Hebdomadae, Festis Paschae, et Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis tantum, sicuti decretum fuit in una Panormitana diei 12 Apr. 1823." — Die 11 Mart. 1837, n. 4661. Conferri possunt decreta *26 Nov. 1735, n. 3889, V, 8 Mart. 1738, n. 3921, 18 Dec. 1779, n. 4247, 1, 2 et 3.* Alia insuper citantur apud Deherdt *P. IV, n. 34.* Festum, ita per modum simplicis celebratum, dicitur *simplex per accidens.*

R. 2° Dicta regula exceptionem patitur quoad duplicia I et II Cl. S. R. C. *dec. gen. 13 Mart. 1804, n. 4342,* declaravit de hujusmodi festis II Cl. „Eadem Festa transferenda esse in proximiorem diem, etiam impeditum Festo semi-

si totum officium, vel plenior illius pars absoluta fuerit ante horam, qua Sanctus ex hac vita migravit; quod in simplici maxime festo contingit, cujus officium totum completur ad Nonam.

Secunda computandi ratio, ab usu communi magis adhibita, est, ut dies ille cuique Sancto natalis assignetur, in cujus aliqua hora a media nocte ad mediam noctem contigit Ipsum ex hac vita transire.

Tertiam adducit, nec improbat, et est, quod Sanctorum, quos post horam Completorii, inchoata jam nocte, decedere contigerit, natalis computetur dies, non qui noctem illam praecedit, sed qui sequitur, eo quod illorum transitum eo potissimum die celebrari deceat, quo is hominibus primum vulgatus, atque cognitus fuit." n. 14 sqq.

1) Agitur de anno juxta computum civile.

duplici, aut duplici, quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa Sacra Congregatione emanatis de Festis inferioris ritus in simili casu non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis." Idem de dup. I Cl. resolutum est *4 Jun. 1817, n. 3488, 1 et 2.* Quod caeterum concludendum erat *a fortiori* ex praeced. dec.

Hac exceptione non gaudent duplicia majora, nisi forsitan, ait Cav. *tom. 1, dec. 73, n. 7,* hujusmodi festa alicubi specialem sibi vindicent solemnitatem, aut populorum devotionem, cujusmodi sunt Patroni minus principales, aliique similes.

Quandonam omittenda sit 9 lectio Simplicis *per accidens,* dicitur Tit. XXVI.

Rub. 7. Si plura festa novem lectionum transferenda sint, prius transferatur duplex, quam semiduplex; et inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sint aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

Magis solemne hic intelligitur, uti dictum est Rub. praeced., quoad ritum et dignitatem. Itaque in hac Rubrica triplex ponitur regula, scilicet: in translatis reponendis, anteponenda sunt 1° quae sunt majoris ritus, 2° quae sunt majoris dignitatis, et 3° quae sunt priora tempore.

Dictus ordo servatur nullo respectu habito, an festa sint primaria aut secundaria [1] an habeant necne feriationem [2], an sint particularia vel generalia [3]; sed fallit quoad festa reponenda ad dies assignatos aut privilegiatos, si simul habeantur alia festa reponenda. Quaenam sint hujusmodi dies, habetur *Rub. 1 et 5 praec.*

Quaeritur 1° quare haec 7ª Rubrica, secus ac 6ª, applicetur etiam festis secundariis?

R. Haec esse videtur ratio. Rubrica 6ª, uti dictum est, est subsidiaria, nempe pro casibus qui non solvuntur ex Rubricis praecedentibus et praesertim ex prima; sed Rub. 7ª est primaria et absoluta, si excipias festa translata ad diem assignatam aut privilegiatam. Unde 6ª non potest applicari absolute, sed tantum ad casus qui non sol-

1) Dec. *11 Sept. 1747, n. 4953, 6.*
2) Cf. dec. *2 Sept. 1741, et 2.*
3) Dec. *5 Mai. 1736, n. 3894, de Translat. Festorum* dub. 5.

vuntur ex Rubricis praeced., quibus non potest contradicere, nec potest privare festa primaria acquisito jure suae celebrationis in die propria: quod tamen contingeret, si secundaria non exciperentur, in 6ª Rub. Contra, 7ª, utpote primaria, nulli contradicit Rubricae, modo excipiantur festa quae transferuntur ad diem fixam aut privilegiatam.

Quaeritur 2° quare regulae 3ª et 4ª, datae pro occurrentia, non sint etiam servandae in repositione festorum?

R. In paritate ritus et dignitatis, attenditur prioritas temporis potius quam alia ratio, ne festa a propria die nimis amoveantur. Posito autem quod haec prioritas attendi debeat, satis est provisum repositioni festorum quin opus sit aliquam regulam subsidiariam stabilire.

Quaeritur 3° an et quousque servanda vel excipienda sit praesens Rubrica, in reponendis festis ad diem assignatam seu privilegiatam?

R. Quando occurrunt plura hujusmodi festa, tunc *inter eadem* servandus est dictus ordo. Sed quando simul sunt reponenda talia festa, et alia quae nullo gaudent privilegio, tunc, *inter haec et illa*, non attenditur praedictus ordo. Nempe ad propriam sedem reponuntur festa quae talem habent assignatam aut privilegiatam, nullo respectu habito ad alia festa cujuscumque sint ritus aut dignitatis. Quod, ut patet, fluit ex ipsa rei natura, id est, ex ipsa assignatione seu privilegio. Quae exceptio, seu regula specialis, ita potest exprimi: Festa, quorum repositio fit ad diem ipsis specialiter reservatam, ante alia sunt reponenda, nisi occurrat dies quae sit libera pro accidentaliter translato, et non pro immutato. Cf. dicta ad Rub. 1, *adnot. 1.*

Rub. 8. Festum simplex numquam transfertur; sed si de eo fieri non potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.

Rub. 9. Si aliquod festum novem Lectionum, in quo annotatum est fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo assignata; sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel alio festo, in quo fieri possit, cum nona lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: festum vero novem lectionum transfertur sine ulla amplius

commemoratione festi simplicis praedicti. Quod etiam servatur in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia, veniente in Dominica, fit in Sabbato praecedenti: tunc enim commemoratio festi simplicis non fit in officio Vigiliae, sed in Dominica.

De occurrentia vigiliae cum festo solemni aut feria majori, vid. Tit. VI, Rub. 2.

§ III. APPENDIX.

TABELLA OCCURRENTIAE. — RUBRICA DE SANCTO A SOCIIS SEPARATO.

In hac appendice duo traduntur: 1° tabella exhibens generales Rubricas in occurrentia servandas, et 2° Rubrica pro casu quo separatim celebratur festum Sancti, qui descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis.

Tabella hic traditur prout jacet in Breviario. Quamvis enim non pauci eamdem amplient, satius visum est eam sine additione exscribere, ne, qua gaudet, minuatur auctoritas. Qualis vero sit illius, et alterius de concurrentia, auctoritas, non opus est demonstrare. Satis est animadvertisse utramque fuisse editam, reformatam et Breviario praefixam ex legitima auctoritate [1], et praeterea ad utramque aliquando remitti a S. R. C. [2]. Tabella autem de occurrentia, in Breviario legitur, ut sequitur.

1) Gavantus, *sect. 3, cap. 6, n. 2,* loquendo de distinctione feriarum, haec scribit: »quae distinctio majorum et minorum, in recognitione Breviarii Clementina inventa est, occasione Tabellarum de occurrentia et concurrentia, in fine Rubricarum editarum ad faciliorem Tabellarum usum, auctore hujus operis ipsas Tabellas reformante, jussu majorum.«

2) De Tabella occurrentiae, cf. dec. 20 Sept. 1806, n. 4350, 9 et 10 — de Tabella concurrentiae, dec. 12 Apr. 1823, n. 4444, 6 et 11 Apr. 1840, n. 4731, 1.

SI OCCURRAT EODEM DIE:

	Vigilia.	Feria major.	S. Maria in Sabbato.	Simplex.	Semiduplex.	Dies Octavae.	Dies infra Octavam.	Duplex per annum.	Duplex secundae Classis.	Duplex primae Classis.	Dominica per annum.	Dominica secundae Classis.	Dominica primae Classis.
Duplex I Classis et	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex II Classis.	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum.	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam.	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3	3
Dies Octavae.	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex.	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex.	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabb.	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major.	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia.	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0	0

1. Translatio de primo, Officium de secundo.
2. Officium de primo, translatio de secundo.
3. Commemoratio de primo, Officium de secundo.
4. Officium de primo, commemoratio de secundo.
5. Nihil de primo, Officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori, translatio de minus digno.

Juvat quaedam adnotare pro usu Tabellae. Quando simul occurrunt duo festa aut officia, ut sciatur, mediante hac tabella, de quo sit agendum, quaeritur, in quadrangulo, numerus correspondens utrique officio, id est, numerus ubi conjunguntur duae lineae sibi perpendiculares in quibus inscribuntur hujusmodi officia. Deinde officiis

occurrentibus applicatur regula conveniens, ea scilicet quae infra tabellam apposita est ad numerum sub quo dictae lineae conjunguntur.

Officium in his regulis nuncupatur *primum*, illud quod ponitur in linea recta seu laterali; *secundum*, quod in linea inferiori invenitur. Non refert autem quodnam officium ponatur in alterutra. In exemplum sit festum duplex I Cl. occurrens cum duplici minori seu per annum. Regula applicanda erit 2ª vel 1ª, prout officium dup. I Cl. ponetur in 1ª linea ad latus, vel in 4ª inferiori. Sed cum idem officium dicetur *primum* aut *secundum* pro diversa hypothesi, hinc de illo idem resolvetur, quamvis per diversam regulam.

Octo regulae, datae pro hac tabella, intelligendae sunt per se loquendo, scilicet abstractione facta a peculiari Rubrica aut privilegio, necnon a peculiari indole festi, v. g. an sit secundarium. Hujusmodi exceptionibus partim providetur per Rubricas quae in Breviario adnotantur ad tabellam. Non omnes tamen exceptiones hic recensentur, et praesertim illae quae respiciunt officia, post ultimam Breviarii correctionem, concessa. Cf. dicta §§ *praec. 1 et 2.*

In quadrangulo, correspondente Simplici, occurrenti cum alio simplice, non habetur numerus, sed 0. Quod ideo forte fit, ne nona, et quidem non brevis, ponatur regula, adhibenda tantum in casu rarissimo. Item non numerus, sed 0 ponitur in nonnullis quadrangulis qui correspondent officio S. Mariae in Sabbato, Feriae majori et Vigiliae. Ita autem fit quia haberi nequit hujusmodi occursus, vel quia solutio petenda est a Rubricis generalibus.

Ex Rubricis, quae ad hanc tabellam adnotatae reperiuntur, una explicatur ad Tit. VII *de Octavis pag. 186.* Alia, nimirum de Sancto cum sociis, hic exponitur. De caeteris non agitur in specie, quia nihil particulare habent, sed in Rubricis generalibus satis sunt expressae.

De Festo Sancti a sociis separati.

Rubrica de Sanctis, qui a sociis separantur, est quasi appendix ad Tit. *de Commemorationibus* et *de Translatione.* Nam statuit *a)* omittendam esse, in festo dup. I Cl., commemorationem Sociorum ritus simp., et *b)* transferendum esse semid. aut dup. occurrens cum dup. I Cl.

In praesenti commentario duo veniunt praestanda: primo

exponendus est textus Rubricae et deinde dicendum est quomodo recitandum sit officium separatum.

Plures Sancti aliquando associantur quoad officium, id est, simul in Calendario sive Romano, sive proprio [1] describuntur et eodem officio coluntur. Quod evenit respectu Sanctorum qui obierunt *a)* eodem die, etsi forte non eodem anno; *b)* eodem die, eodem anno et eadem de causa. In priori casu dicuntur conjuncti *ex occasione;* in posteriori autem, *per se.* Aliquando accedit alia conjunctio, nimirum naturalis, quae oritur ex consanguinitate aut affinitate, et tunc Sancti dicuntur conjuncti *ex natura rei* [2]. An haec

1) Vid. dicta hic *adnot. 2, q. 2.*

2) »Passim, ait Cav. *tom. 2, cap. 5, n. 1.* in Calendario occurrunt exempla, in quibus Ecclesia de pluribus Sanctis eadem die simul festum celebrat, ac officium instituit Duplici de causa id regulariter evenit fieri. Primo, ex occasione tantum, quod videlicet eadem die passi fuerint, vel obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de causa: cujusmodi sunt SS. Fabianus et Sebastianus, Vincentius et Anastasius. Secundo associantur Sancti quasi per se, quod scilicet eodem simul die, ac loco, eamdemque ob causam, cursum vitae hujus feliciter consummarunt, ut SS. Innocentes, Mauritius et Socii, Januarius et Socii, Ursula et Sociae.« Statim observat Auctor etiam censeri per se junctos eos Sanctos qui simul capti, in eadem persecutione afflicti et simul pro Christo interempti fuerunt, tametsi quempiam illorum, una vel altera die post vel ante Socios, ad gloriam evolare contigerit.

»Dantur, ait n. 2, et Sancti per se juncti, et ex natura rei, et hi sunt, qui habent, quidquid requiri diximus ad Sanctos per se junctos; et ulterius inter eosdem aliqua debet intercedere consanguinitas, vel affinitas, ratione cujus dicuntur ex natura rei conjuncti, quatenus natura quodammodo eosdem vinxit. Debent itaque eodem die, eodem anno, eodem in loco, et eadem de causa ex hac lacrymarum valle ut supra esse sublati, et insuper inter sese aliquam affinitatem vel consanguinitatem habere, cujus rationis sunt SS. Gervasius et Protasius, Cosmas et Damianus, qui Fratres erant, Symphorosa et Filii, aliique similes.«

»Affinitas autem, ait n. 3, et consanguinitas debet esse vera, et carnalis, nec sufficit spiritualis, qualis est ea, quae intercedit inter Religiosos ejusdem Instituti, qui se *Fratres* nuncupant, inter Confessorem, aut Directorem, qui vulgo dicitur *Pater Spiritualis,* et poenitentem. Idem dicendum est de affinitate, quae exoritur inter Baptizantem, et Baptizatum, et Parentes Baptizati, ac inter hos, et Patrinos tenentes ad fontem puerum, vel in Sacramento Confirmationis. . .«

naturalis conjunctio impediat separationem officiorum, examinatur in expositione Rubricae.

Rubrica adnotata post tabellam occurrentiae. Si occurrat, ut Patronus vel Titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono vel Titulari absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto Calendario descripti sint sub Officio Duplici vel Semiduplici, transferuntur in primam diem, simili officio non impeditam, et de eis fiat Officium semiduplex; nisi tamen sint de majoribus festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex ac si proprio die celebraretur. Si vero in Calendario omnes sint tanquam festum simplex, de aliis nihil fit.

1. *Patronus vel Titulus Ecclesiae.* Rubricistae non consentiunt de sensu horum verborum, an videlicet intelligenda sint de *solius* Ecclesiae Patrono vel Titulo (cf. dicta tit. 35), aut *simul* de Patrono Loci. Sed quidquid sit de hujusmodi disputatione, quod dicitur de Titulari vel Patrono Ecclesiae, id applicandum etiam venit Patrono Loci, prout deducitur ex S. R. C. *dec. 12 Jul. 1664, n. 2136, 2 et 3.* Et reipsa utriusque eadem est ratio. Cf. Cav. *tom. 1* ad hoc dec. *Ord. 64.*

Certum etiam est in hac Rubrica non comprehendi Patronum secundarium. Nam *a)* generatim, quando nomen Patroni usurpatur sine adjuncto, intelligendum est de Patrono principali, et *b)* Patronus, de quo agit praesens Rubrica, excludit commemorationem Simplicis occurrentis, ac proinde habet ritum dup. I Cl. Qui ritus convenit Patrono principali, non autem secundario.

Magis adhuc patet nullo modo in hac Rubrica quaestionem esse de Sancto cujus officium recitatur propter reliquiam insignem.

Quaeritur 1° quid sit agendum, quando Patronus secundarius reperitur descriptus cum Sociis in Calendario?

R. 1° Quando omnes habent ritum dup. sive maj. sive min., aut semid., tunc de omnibus celebrandum est unitim sub ritu dup. maj. Ita Cav. *tom. 2, dec. 65, n. 5.* Quod decretum est illud *diei 22 Nov. 1698, n. 3350.* Cf. dec. *8 Mart. 1704, n. 3528, 1 — 16 Sept. 1730, n. 3841, 1 — 2 Mai. 1801, n. 4325, 9.*

R. 2° Si omnes descripti sint sub ritu dumtaxat simplici, tunc de Patrono minus principali agendum est sub

ritu dup. maj. et de aliis, nisi sint ex conjunctis per se et ex natura rei, fit sub ritu simplici, id est, fit eorum commemoratio et legitur nona lectio, si propriam habeant. Cav. *l. c. n. 6.* De nona lectione vid. S. R. C. dec. *16 Jan. 1677, n. 2660, 2.*

„Falleret hoc, ait Cav. *l. c.*, si Socii essent ex Sanctis Patrono minus Principali junctis per se, et ex natura rei, quoniam eo in casu, etsi ritum dumtaxat haberent simplicem, ad ritum duplicem majorem essent elevandi, et una simul cum Patrono minus Principali recolendi, quemadmodum dicemus exponentes Decretum VI [1] hujus Capitis."

Quaeritur 2° quid agendum, quando in Calendario cum Sociis descriptus est Sanctus, cujus officium recitatur ratione reliquiae insignis?

R. Cum Cav. *l. c. n. 8.* „Si in Calendario Sanctus, de quo habetur Reliquia, ritum duplicem minorem habeat una cum aliis, cum istis quoque sub eodem ritu unitim celebrari debebit; si semiduplicem, omnes sub ritu duplici minori; si simplicem, Sanctus Reliquiae sub ritu duplici minori, reliqui sub ritu simplici. Si sub ritu duplici majori, primae, aut secundae classis, omnes sub eodem ritu. Si autem Socii sint ex Sanctis junctis cum eodem per se, et ex natura rei, tunc etsi omnes ritu dumtaxat gaudeant simplici, adhuc cuncti celebrandi erunt sub ritu duplici minori, uti patebit in memorato Decreto VI hujus Capitis." Cf. S. R. C. *16 Jan. 1677, n. 2660, 2.* Exceptio, pro Sanctis junctis per se et ex natura rei, extendenda est ad eos qui conjunguntur per se et quasi ex natura rei, uti SS. Ursula et Sociae, juxta dec. *11 Jan. 1749, n. 4049,* **5** de his Sanctis datum.

2. *Descriptus sit eodem die in Calendario.* Tria inquiruntur: 1° an Rubrica servanda sit quando sancti, ita descripti, conjuncti sunt per se et insuper ex natura rei? — 2° De quo Calendario agatur, et an descriptio in solo Martyrologio aliquid operetur? — 3° An SS. Apostoli Petrus et Paulus, qui die 29 Jun. simul describuntur in Calendario, hac die separandi sint in Ecclesiis aut Locis quorum existunt Patroni?

R. ad 1. 1° spectata sola Rubrica, affirmandum est cum Deherdt, P. IV, n. 38. „Ex hac Rubrica, ait ibi, certum

1) Hoc decretum datur hic *adnot. seq. R. ad 1, 2°.*

est Principalem Patronum vel Titularem, qui cum aliis Sanctis sub uno officio in Breviario conjunctus est, separandum esse a Sociis, et de ipso solo recitandum officium absque commemoratione aliorum, sive illi Sancti juncti sint consanguinitate, martyrio aut aliter, sive Patronus seu Titularis sit principalis inter Sanctos, sive non. *S. R. C. 2 Mai. 1801, n. 4325, 9.*"

2° Attamen sententia communis negat. „Si denique, ait Cav. *l. c. dec. 67, n. 4,* Sancti sint per se, et veluti ex natura rei in Calendario conjunctim descripti, tunc numquam separantur, sed semper celebrantur unitim sub eadem festivitate; unde licet unus eorum esset Titularis, vel Patronus, aut ejusdem solummodo haberetur Reliquia, adhuc et de ceteris Sociis sub eodem ritu una simul officium celebraretur, etiamsi in Calendario officium dumtaxat simplex haberent, ut aperte deducitur ex praesenti Decreto, dum in Ecclesia, in qua tantum asservatur Reliquia insignis S. Marcelliani, officium faciendum esse praescribitur etiam de ejus carnali Fratre S. Marco sub ritu duplici minori, qui tamen solo simplici in Calendario gaudet ritu; quapropter de omnibus agendum venit, perinde ac si omnes simul Patroni, aut Titulares essent, vel de omnibus insignis teneretur Reliquia. Talis quoque est sententia Merati, *sect. 3, cap. 10, n. 8,* Pittoni, *n. 1368,* et aliorum, a quibus nec dissentit Guyetus, *lib. 3, cap. 3, quaest. 5.*"

Huic tamen sententiae opponi possunt sequentia: 1. textus Rubricae non distinguit; 2. decretum 7 Aug. 1717, a Cav. ex Mer. relatum, non legitur, saltem sub illa data, in Collectione Authentica; 3. agit de casu qui non comprehenditur in praesenti Rubrica [1]; 4. denique decretum 2 Mai. 1801, 9 cit. neutram sententiam absolute probat: Ex hoc enim decreto 1° nihil deduci potest pro separatione aut unione fratrum, qui simul describuntur sub ritu dup. I aut II Cl., et 2° e contra satis constat eosdem non esse separandos, si habeant ritum dupl. maj. aut inferiorem.

1) En Decretum, prout a Cav. refertur *l. c.* „In Ecclesia S. Mariae in Porticu, ubi asservatur Brachium S. Marcelliani tantum (occurrentis die 18 Jun.) faciendum est officium etiam de S. Marco sub ritu duplici minori de Communi plurimorum Martyrum, S. R. C. 7 Aug. 1717 *in una Urbis.* Ex Merato in Indice Decretor. Breviar. n. 259."

Ex his omnibus sequi videtur adhaerendum esse cum Deherdt sensui obvio Rubricae, quae loquitur de Sancto cum aliis Sanctis descripto in Calendario, nulla facta exceptione pro casu quo Sancti sint etiam conjuncti ex natura rei. Itaque hujusmodi distinctio erit tantum attendenda in festo Patroni minus principalis aut Sancti cujus asservatur Reliquia insignis.

R. ad 2, cum Cav. *l. c. cap.* 5, *n.* 4. „Nihil autem refert, inquit, quod non descripti sint in Calendario Romano, dummodo descripti sint in proprio, seu in proprio alicujus Ecclesiae officium ex concessione habeant, de omnibus siquidem istis eadem currit ratio; non autem de iis, qui solum in Martyrologio simul descripti sunt, quia Socii ejus, de quo juxta Rubricas officium faciendum est, nullum officium habent, nec jus ad officium." Cf. *ibid. dec.* 64, *n.* 4, et Gav. *sect.* 3, *cap.* 10, *n.* 11. Nam „cum Martyrologium, ait Cav. *l. c. dec.* 67, *n.* 7, non sit catalogus Sanctorum habentium officium, qui in eo una simul descripti sunt, jus nullum habent ad officium, nec cum caeteris socii sunt in officio."

R. ad 3, Negative. Vid. dicta ad 29 et 30 Jun.

3. *Transferuntur* in perpetuum ad *primam diem non impeditam.* Si autem nulla dies reperiatur libera ante finem anni, tunc reducuntur ad ritum simplicem et celebrantur ipso die, prout dictum est ad Rub. 6 h. t. Cf. S. R. C. dec. *9 Apr. 1808, n. 4358, 6.*

4. *Fiat Officium semiduplex.* „Ratio vero, ait Gav. *sect.* 3, *cap.* 10, *n.* 12, cur in hac divisione fiat alterum Festum ritu semiduplici, est, quia non transfertur Festum, nisi sit saltem semiduplex; et divisio ritus duplicis Festi plurium SS. visa est fieri satis congrue, si socii gaudeant ritu saltem semiduplici, nisi sint, ut mox dicemus, altioris Ordinis."

5. *Nisi tamen sint de majoribus festis*, nimirum, ait Cav. *dec.* 62, *n.* 12, primae vel secundae classis.

II. *De ordinando officio Sanctorum qui a Sociis separantur.* Difficultas nulla est quoad Antiphonas, Psalmos, Capitula, Hymnos, Versus etc., quando haec per Breviarium de Communi assignantur. Tunc enim haec sumenda sunt de Communi respectivo [1] Sanctorum qui separantur.

1) S. R. C. dec. *2 Mai. 1801, ad 6.*

Quoad ea quae Sanctis unitis assignantur sive tanquam propria, sive ex Communi desumpta, res non est aeque facilis. Sequentia traduntur a Cav. *tom. 1, dec. 63* [1].

„. . . Quoties, ait, Sancti aliqui sejunguntur, et habent orationem de communi aliquo, in eorumdem celebratione usurpanda non est oratio, quae pro festo assignata erat, sed desumenda est de utriusque respectivo communi, nisi quae assignata est, alicui, vel utrique etiam divisim aeque competeret, sicuti eveniret, si Sanctus Sebastianus esset similiter Pontifex, quo in casu oratio *Infirmitatem* in ejusdem quoque officio usurpari posset, posita tamen in numero singulari, et tacito in ea nomine S. Fabiani. Idipsum v. g. eveniret si officium fieret de pluribus Confessoribus Pontificibus cum oratione *Da quaesumus*, etsi enim disjungerentur, adhuc in eorumdem utroque officio posset adhiberi, et sic in aliis similibus casibus.“ *n.* 7. Cs. Deherdt, *P. IV, n. 20.* Cf. S. R. C. *2 Mai. 1801, n. 4325, 6.*

„Si autem oratio, quae in festo recitatur, propria foret, tunc etiam facta Sanctorum separatione in utriusque officio recitanda ea esset, ut aperte colligitur ex praecedenti Decreto, et ex Gavanto, *sect. 3, cap. 10, n. 14,* ubi asserit in divisione Sanctorum ad commune recurrendum non esse, nisi deficientibus propriis. Et quidem cum propria nisi justis et ponderatis de causis in Breviarium inducantur, neutri videntur deneganda.“ Cav. *n.* 8. „Oratio propria, inquit Deherdt *l. c.*, si commode, vel pauca omittendo seu mutando, illi Sancto applicari possit, retinetur, uti pro festo S. Dionysii statutum est per dec. 4 Dec. 1745, n. 4026, 5.“

„Quod de oratione dictum est, idem intelligendum est de lectionibus primi, et secundi nocturni, antiphonis, et aliis, quae propria forent. Falleret hoc tamen, quoties ea, quae propria sunt, evidenter constaret ratione dumtaxat unius esse introducta; tum siquidem in ejusdem officio adhiberi deberent, et in officio alterius supplenda forent de communi, vel de scriptura quoad lectiones primi nocturni, quae propria deessent; quapropter quia satis elucet, lectiones primi nocturni *de Epistola S. Jacobi* introductas esse in officio SS. Philippi, et Jacobi intuitu solius S. Jacobi, in hujus officio recitandae essent, et in officio S. Philippi desumendae de communi Apo-

1) Est decretum *6 Sept. 1603, n. 71, 2.*

stolorum. Antiphonae vero Laudum, quia sunt magis propriae de S. Philippo, uti et Evangelium cum sua homilia, et illius causa introductae creduntur, reservari deberent officio S. Philippi, depromptis de communi Apostolorum in officio S. Jacobi. Ita docet etiam Gavantus, *sect. 7, cap. 7, num. 1.*" Cav. *n. 9*. Cf. dec. 68, *n. 19*.

Deinde, *n. 10 sq.*, examinat quid agendum sit, ne eadem repetantur in eodem officio, quando contingit officium fieri de Socio infra Octavam Patroni aut Titularis.

De Lectionibus II Noct. unitim vel separatim legendis, item de commemoratione Socii simplicis, vid. dec. 16 Jan. 1677, n. 2260, 2. Quod decretum exponitur a Cav. l. c. Ord. 68, et datur *n. 18 sq.* tanquam regula servanda in dividendis Lectionibus propter separationem festorum.

TITULUS XI.

DE CONCURRENTIA OFFICII.

Rub. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et *7* tradunt quid agendum sit quando Duplex concurrit cum alio Dup. — vel cum Semid. — Semiduplex, cum Dom. etc. — Dominica, cum Semid. etc. — Dies infra Octavam, cum Dom. etc. — Dies Octava, cum alia die Octava, etc. — *Rub. 8* et *9* monent Simplex aut Feriam non concurrere, et tradunt quid sit agendum quando immediate post simplex venit aliud simplex, aut Feria sequatur aliam Feriam.

Juvat sequentia advertere de regulis concurrentiae. 1° In Concurrentia, sicuti in Occurrentia, regulae praeferentiae generatim desumuntur a majoritate ritus et dignitatis; sed hic, secus ac in Occurrentia, attenditur etiam solemnitas extrinseca, si festa sint ejusdem ritus et dignitatis. 2° Rubrica 1 duas ponit regulas generales pro Duplice concurrente cum alio Duplice *ejusdem* aut diversi *ritus*. Prior, data videlicet pro festis ejusdem ritus, quasdam patitur exceptiones, quarum duae recensentur in fine Rubricae: una a dignitate, altera a solemnitate extrinseca petitur. 3° Dictae regulae datae quidem sunt pro Duplice concurrente cum alio Duplice, attamen earum ratio servatur etiam in sequentibus Rubricis. Hae enim dici possunt applicare tantum dictas regulas ad casus non expressos in 1ª Rubrica. Hinc AA. communiter easdem regulas tradunt tanquam *generales*. Cf. Deherdt, P. IV, n. 42, Loh. *ad fin. h. t.*

Rub. 1. Concurrentia [1] officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere; intelligitur de praecedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.

Rub. 2. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis (1), regulariter (2) a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione praecedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si vero non sint ejusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubricis de commemorationibus et Translatione Festorum assignata: ut scilicet festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod (3) festum ex iis, quae in secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus, sequatur immediate aliud ex solemnibus majoribus, Vesperae erunt de sequenti cum commemoratione praecedentis. Inter festa aequalis solemnitatis (4) servetur hic ordo (5), ut festa Domini praeferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti festa beatae Mariae, festis Sanctorum: item festa Angelorum, sancti Joseph sponsi beatae Mariae Virginis, et Apostolorum, caeteris aliis; et Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur (6), aliis in Calendario descriptis.

(1) *Ejusdem solemnitatis.* Sicuti dictum est supra *pag.* **132**, duplex datur solemnitas: una intrinseca, alia extrinseca. Ad solemnitatem intrinsecam pertinent ritus et dignitas, ut Tit. X, Rub. 6 et 7. Aliquando tamen, ut in hac Rubrica, vox *solemnitas* denotat solum ritum, quemadmodum patet ex verbis quae paulo inferius leguntur in hac eadem Rub.: *Inter festa aequalis solemnitatis*, etc.

Nomina duplicium diversae solemnitatis seu gradus introducta sunt in recognitione Clementina (vid. dicta *pag.* **129**). Sensus itaque est: si utrumque duplex sit aequalis ritus, id est, utrumque dup. I aut II Cl., maj., aut min., *regulariter* a capitulo fit, etc. Juxta hanc Rubricam pluries respondit S. R. C. Quaedam decreta citantur apud Deherdt

1) Voces Concurrentia et Occurrentia aliquando fuerunt usurpatae una pro altera. Cf. dubium propositum 1 Jul. 1747, n. 4042. Aliquando etiam dicitur currere pro concurrere. Cf. resp. *l. c.* In hujusmodi casibus sensus definiendus est ex contextu.

h. l. n. 42 Regula 3ª. Cf. dec. *20 Jul. 1686, n. 2973, 1, 2* et *3.* Si autem aliquod decretum videatur huic Rubricae adversari, ut v. g. illud *19 Jan. 1743, n. 3987, 2,* non putandum est ideo innovatam esse Rubricam; sed decretum explicandum erit pro circumstantiis. Sic Cav. *tom. 2 App. ad cap. 28, dec. 1,* dicit decretum *cit. 19 Jan.* fuisse datum intuitu maximae solemnitatis. Et, ibidem *dec. 2 et 3,* observat dec. *22 Aug. 1744* (n. 4011, 1 et 2) Vesperas integras concedere non propter feriationem, sed propter solemnitatem. De interpretatione hujusmodi decretorum, vide dicta supra *P. I, pag. 16 et 28.* — De solemnitate extrinseca agitur in fine h. r.

(2) *Regulariter.* Regula enim limitanda venit in sequentibus casibus: 1° Si aliter in propriis locis annotetur, uti fit in tribus festis post Nativitatem Domini et in die Octava S. Joannis Apostoli; 2° Generatim si festa non sint ejusdem dignitatis; 3° si unum festum, prae alio ejusdem ritus et dignitatis, habeat solemnitatem extrinsecam, uti disponitur in fine h. r. Quibus exceptionibus 4ª est addenda, in hac Rubrica non expressa, et est quando aliquod festum concurrit cum alio de eodem objecto. Cf. dicenda *adnot. 6.*

(3) *Si autem post aliquod festum, etc.* Hic applicatur posterior regula ad duplex II Cl. concurrens cum duplice I Cl. cf. Tit. IX, Rub. 5 et 6.

(4) *Inter festa aequalis solemnitatis,* seu ritus, *servetur hic ordo, etc.* Rubrica hic partim explicat particulam, *regulariter,* qua limitatur prior regula.

(5) *Hic ordo.* De hoc ordine, juxta quem regulatur praeferentia festorum concurrentium, sequentia veniunt adnotanda. 1° Ad festa Domini pertinent festum SS. Trinitatis et festa D. N. J. C. ut Corporis Christi, Inventionis S. Crucis, etc. Hinc Inventio S. Crucis, ubi est Titularis Ecclesiae: si concurrat cum Dedicatione Ecclesiae, habet integras Vesperas, ut declaravit S. R. C. *24 Nov. 1708, n. 3646, 2.*

2° S. Joannes, licet non annotetur in hac Rubrica, ponendus tamen est in hoc ordine post SS. Angelos, juxta ordinem Litaniarum (vid. dicta *Tit. X, Rub. 6, n. 4*).

3° A Bened. XIII statutum fuit, uti refert Merati sect. 3, cap. 9, n. 3, S. Josephum, Sponsum B. M. V., invocandum esse in Litaniis post S. Joannem Baptistam. Et in Ru-

bricis Breviarii, Romae impressi an. 1843, idem s. Patriarcha annumeratur inter SS. qui aliis praeferuntur ratione dignitatis.

4° Apostolis aequiparandi sunt Evangelistae. Cf. Tit. X, Rub. 6, n. 4.

Caeteris aliis. Scilicet inter Sanctos, hic non recensitos, nulla datur praeferentia, in concurrentia, ratione dignitatis. Quod etiam declaravit S. R. C. *20 Jul. 1686, n. 2973, 2.*

Quod attinet festum Dedicationis Ecclesiae. quidquid sit de quaestione an sit festum Domini et qua tale dignius festis Sanctorum (vid. Tit. X, Rub. 6, n. 4), sequentia sunt certa quoad concurrentiam. *a)* Festum Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris 9 Nov., et Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli 18 ejusdem, habere tantum dimidias Vesperas in concursu cum duplici min. Cf. dec. *12 Apr. 1823, n. 4444, IV,* et quae ibi adnotantur; item dicta supra *tit. 10, § 1, n. 14, not. 2,* et *§ 2, Rub. 6, n. 4. b)* Integrae Vesperae sunt persolvendae de Dedicatione dup. I Cl. concurrente cum Patrono Ecclesiae vel Loci. S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4839, 5. Si autem celebretur sub ritu dup. II Cl., vid. dec. 10 Mart. 1787, n. 4277, 1. Cf. Deherdt, P. IV, n. 42.

An dies Octava praeferentiam habeat ratione majoris dignitatis, dicitur Rub. 7. Itaque solum remanet inquirendum de Officiis Votivis et de Festis secundariis.

Quaeritur 1° an dictus ordo dignitatis servandus sit in officiis Votivis?

R. Negat Deherdt l. c. „Item, ait, neque extenditur (videlicet praeferentia dignitatis) ad commemorationem ss. Sacramenti et Conceptionis B. M. V. neque ad alia officia votiva, ita ut concurrentia cum officiis ejusdem ritus Vesperas dividant juxta dec. *27 Sept. 1698, n. 3348, 5, et 1 Jul. 1747, n. 4042.*" Quod certum est ex Rubrica 4, casu quo Votivum sit tantummodo ritus semid. Sed idem etiam dicendum videtur, si sit dup., uti Commemoratio Immac. B. M. V. in Dioec. Torn. Nam privilegium dignitatis, de quo haec Rubrica, respicit *Festa,* et aliunde Ecclesia non est censenda illud extendere ad *Officia* quae in occurrentia cedunt Festis etiam ritus inferioris. Nihil itaque datur propter quod servanda non foret regula 5 Tabellae concurrentiae. Observandum tamen est duo decreta a Deherdt

allegata nihil ad rem facere. Nam prius est de festis Sanctorum inter quos non existit ordo dignitatis; et posterius est de officio votivo *ritus semid.* cujus dignitas non attenditur in concurrentia, juxta Rub. 4.

Quaeritur 2° utrum in concurrentia, sicuti in occurrentia, negligendus sit ordo dignitatis in festis secundariis?

R. 1° Negative, quoad festa Domini et B. M. V. S. R. C. *6 Sept. 1845, n. 4885, 2.*

2° Quoad alia festa, ex dec. 12 Apr. 1823, n. 4444, 6, negandum etiam est, si sint duplicia maj., et affirmandum, si sint dup. minora. „Si Festa, ait S. Congregatio, sint ritus dup. maj., servetur Tabella concurrentiae ad *n. 6,* si sint rit. dup. min., servetur eadem Tabella n. 5 [1].“ At huic decreto obstare videtur decretum 16 Feb. 1781, n. 4252, 17, quod explicatur 11 Sept. 1847, n. 4956, 2; item 20 Apr. 1822, 1. Sed observandum est ultimum fuisse datum pro casu particulari, et primum posse censeri revocatum per illud 12 Apr. 1823, quatenus huic obstet.

Nec forte hoc vetat decret. subsequens 11 Sept. 1847. Aliud enim est explicare decretum, aliud ad observantiam illud revocare. Quid docuerint Rubricistae hac de re, vide apud Cavalieri, *tom. 2, dec. 236, 3 sqq.*

Dictum est, *adnot. 2,* dari 4^{am} exceptionem, quando aliquod festum concurrit cum alio de eodem objecto. Etenim juxta dicta supra *pag. 214 sqq.* non fit de eodem simul officium et commemoratio.

Quaeritur de quo, in casu, agendae sint Vesperae, an de praecedente, an de sequente?

R. Cum Deherdt, *P. IV, n. 42, IV.* „Si ritus sit diversus, Vesperae fieri debent de illo, quod est majoris ritus; si autem idem sit ritus, Vesperae integrae fieri debent de praecedente, de quo factum est officium, et nihil de sequente, juxta dec. cit. *27 Mart. 1779* et *22 Jul. 1848, n. 4974, 1.* Idem declaravit S. R. C. *17 Aug. 1771, n. 4208, 3,* de octava Corporis Christi et festo ss. Cordis sub ritu dup.

1) Haec regula, prout infra explicatur, supponit aequalem dignitatem. Hic autem talis hypothesis fieri non potest, cum dubium proponatur de Festis secundariis SS. Angelorum, S. Joannis Bapt., S. Josephi et SS. Apostolorum concurrentibus cum Sanctis ejusdem ritus, sed *inferioris dignitatis.* Caeterum vix occurret hujusmodi Festum ritus tantum dup. min. Vid. dicta ad Tabel. Concur.

maj., scilicet Vesperas integras esse recitandas de die octava sine comm. ss. Cordis; item *27 Mart. 1824, n. 4454, 2* (vid. Gardell. h. l.) si in die octava occurrat duplex I Cl., in Vesperis tantum fieri commemorationem diei octavae, et non sequentis festi ss. Cordis. Idem similiter declaravit S. R. C. quoad duo officia Passionis, *11 Apr. 1840, n. 4731, 7.*"

(6) *Et Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter,* solemnitate extrinseca, *celebrantur,* praeferentur quoad Vesperas *aliis* ejusdem ritus et dignitatis *in Calendario* sive romano, sive proprio, *descriptis.* Haec autem praeferentia, uti patet ex verbis, *in propriis, etc.* et ex declaratione S. R. C. *20 Jul. 1686, n. 2973, 2* [1], non extenditur ultra propria Loca aut Ecclesias. Unde praeferentia habebitur in omnibus aut in quibusdam tantum Loci Ecclesiis, prout solemnitas existet in toto Loco aut in quibusdam tantum Ecclesiis. Cf. Cav. n. 7. Causa vero hujus praeferentiae, ait Cav. *l. c. dec. 235, n. 3,* fuit ut solemnitati et votis populi, qui ad Ecclesiam confluit, officium de festo auditurus, corresponderet officium.

Non omnibus praeferuntur, sed aliis dumtaxat ejusdem ritus et dignitatis, „nempe, ait Cav. l. c., Martyribus, Confessoribus, et Virginibus, et Viduis, non vero festis Domini, B. Mariae, Angelorum, et Apostolorum, quae cum praeferantur ratione intrinsecae dignitatis, merito a Rubrica *Inter festa* praeponuntur festis etiam in propriis locis, et Ecclesiis solemniter celebratis, quae propterea ab eadem novissimo loco recensentur, et dicuntur praeferenda *aliis in Calendario descriptis,* non vero dignioribus, quae ipsa praecedenter enumeraverat, ut late traditum est in Decr. 20, cap. 1: neque enim solemnitas, quae extrinseca est, adeo festa elevare, vel dignificare valet, ut exaequent, aut superent festa intrinsece digniora."

Quaeritur quaenam festa Sanctorum dicenda sint ita solemniter celebrari, ut in concursu aliorum integras vesperas habeant?

R. Cum Deherdt, *P. IV, n. 42.* „Quae celebrantur cum magna solemnitate, seu cum solemni pompa, comparative tamen ad Ecclesias ditiores aut pauperiores, qualia sunt

1) Animadvertendum est hoc decretum a Cav. referri cum Merati aliquatenus alteratum et proinde ex eodem quaedam deduci consectaria, quae non fluunt ex textu Gardelliano. Apud Cav. legitur, *tom. 2, dec. 335.*

1° quae solemniter celebrantur a Choro, et in populo sunt de praecepto, juxta dec. *22 Aug. 1744, n. 4011, 2* [1]. . . . 2° Quae quidem non sunt de praecepto in populo, sed celebrantur cum festivo apparatu, concursu populi totius loci, solemni processione juxta dec. *20 Jul. 1686, n. 2973, 1,* vel saltem cum solemnitate et populi concursu, aut magno apparatu et solemnitate juxta dec. *26 Jan. 1793, n. 4299, 18 et 11 Apr. 1840, n. 4731, 1.*" Observandum est cum Cav. *l. c. n. 5,* non quemcumque apparatum, processionem, aut concursum posse suffragari, sed magnum, vel saltem congruentem exposci apparatum, aut concursum, vel processionem, solemni non ordinario ritu, peractam.

Si Festum S. Laurentii alicubi occurrat cum alio ejusdem ritus, cui praesens Rubrica nullam tribuit praeferentiam, conferantur S. R. C. dec. 25 Sept. 1688, n. 3024, 26 Jan. 1793, n. 4299, 17, et dicta supra, *P. I, pag. 16 et 28.*

Rub. 3. Duplici vero concurrente cum Festo semiduplici, cum Dominica, cum die infra octavam, cum Festo simplici, et cum officio beatae Mariae in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici cum commemoratione illorum; nisi illud Duplex fuerit de iis, quae excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliquae commemorationes omittuntur. Duplici etiam, et quocumque officio novem lectionum concurrente cum feria, vel potius sequente feria, omnia de Duplici, et nihil de feria sequente. Sed si festum celebretur in Adventu et Quadragesima, fit semper commemoratio de feria, ut infra dicetur. Item dicendum de festis simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem lectionum, de quibus etiam commemoratio fit, non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus.

Rub. 4. Semiduplici festo, Dominica et die infra octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum, nisi duplex fuerit ex numero majorum, quae supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio praecedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra Octavam, a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio praecedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem con-

1) Cf. adnot. 1.

currente cum sequenti festo simplici, vel cum officio beatae Mariae in Sabbato, omnia de semiduplici cum commemoratione sequentis.

Rub. 5. Dominica concurrente cum sequenti Festo semiduplici et cum die infra octavam, vel cum Festo simplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.

AA. non consentiunt in assignanda ratione hujus Rubricae, quare videlicet secundae et non primae (ex Rub. praec.) Vesperae Dominicae praeferantur illis Semiduplicis. Gavantus, *sect. 3, cap. 9, n. 7,* duas assignat. „Dicerem (hoc scilicet ita constitutum fuisse), ait, vel ob concursum populi ad secundas Vesperas, quas amat, Dominicales, non ad primas; vel forte, quia Psalmi Sabbatini minus habent Festivitatis, plus ferialitatis et incongrui visi sunt inter Festum semiduplex, et Festum Dominicae: quo factum est ut Psalmi essent Festivi de semiduplici, et Capitulum de Dominica.“ Cav. *l. c. cap. 28, n. 3,* has refert rationes et duas alias a Guyeto propositas, quas ipse expendit, et ita concludit: „Validiores sunt itaque Gavanti rationes, et praesertim quae ex concursu Populi petitur, cui addi possunt praerogativae plurimae, quibus gaudet dies Dominica, et ob quas congrue potuit ut supra privilegiari. E contra illas Gavanti rationes rejicit Lohner. „Merito ergo, concludit, tota diversitas iterum in arbitrium Ecclesiae refundenda est.“ Sed etiam merito responderi potest Ecclesiam non casu, sed aliqua saltem congruentiae ratione ductam, illum ordinem elegisse.

Rub. 6. Die infra octavam concurrente cum sequenti Dominica vel Semiduplici, a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavae. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quae et eadem ratione in praecedenti die infra Octavam fieri debet.

Rub. 7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione praecedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava sancti Joannis Baptistae, in qua de sequenti fit tantum commemoratio, et quando aliter in propriis locis notatur. Die octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavae (exceptis diebus Octavis Festivi-

tatum beatae Mariae Virginis, etiam particularibus alicujus Religionis, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum officium fit de sequenti, cum commemoratione Octavae, excepta die Octava Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine numero 6, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavae.

De duplici I aut II Cl., maj. aut min. concurrente cum die Octava Ascensionis et Corporis Christi, vid. not. 1 ad Tabellam Concurrentiae.

Juxta hanc Rubricam dies Octava Festorum Domini et B. M. V. praeferuntur etiam ratione dignitatis, sicut ipsa Festa. Secus dicendum de die Octava aliorum Festorum, quae aliis praeferuntur ratione dignitatis. Quod constat ex ipso textu et confirmatum est a S. R. C. 12 Apr. 1823, n. 4444, 5. Cf. Gardellini *h. l.*

Rubrica 1, Tit. X ordinat, ut dies Octava, si impediatur, non transferatur. At neque ibi, neque in hac 7 Rub. traditur quomodo sint ordinandae Vesperae in Sabbato, quando dies Octava occurrit in Dominicis I aut II Cl.

Quaeritur ergo quid agendum erit in I Vesperis communibus diei Octavae et Dominicae privilegiatae?

℟. Cum Gavanto *sect. 3, cap. 8, n. 13.* „Recitabis Vesperas cum Psalmis Sabbati a Capitulo de Dominica privilegiata; et in fine addes commemorationem diei Octavae, ut in primis Vesperis Festi: ita decrevit, me petente, S. R. C. *die 9 Nov. 1622.* Et ratio desumitur a simili, ex Rub. *de Concurrentia num. 10* ubi, cum ageretur de simplici Festo occurrente in Feria quarta Cinerum, in qua de Festo fit tantum commemoratio, eadem tantum commemoratio Festi decernitur in primis Vesperis: *quia,* inquit, *cum in sequenti die Festum non habeat Officium, nec etiam convenit habere primas Vesperas in praecedenti die.*" Subjungit alios aliter sensisse, eorumque diversas opiniones refellit. Deinde ita concludit. „Quare, ait, sola commemoratione contenti de die Octava, tam in primis ejusdem Vesperis, quam in Laudibus, et secundis Vesperis, ommissisque precibus ad Primam, et Completorium, et Suffragiis communibus, decreverunt Eminent. Patres, et Sapientissimi, ut prae-

diximus, nempe in gratiam diei octavae, et Dominicae occurrentis privilegiatae: quibus et obsequendum erit."

Rub. 8. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps, nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex, Psalmi erunt de Feria occurrente in Psalterio ad Vesperas, et a Capitulo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratione praecedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vesperae totae erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simplicis praecedentis. Si nullum festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, et Vesperae totae erunt de Feria.

Rub. 9. Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis; quia ejus Officium incipit et desinit, ubi desinit, et incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (si ei dandum est principium) sequente Feria post aliam Feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, et terminetur sequente alia feria ad Completorium; et ideo si Feria sequatur aliam Feriam, in Vesperis praecedentis Feriae nihil fit de sequenti, quoad ea, quae in sequenti Feria sunt propria. Verbi gratia, si in Vesperis Feriae tertiae ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria, dicitur oratio Dominicae praecedentis, non autem ea quae est propria in sequenti Feria quarta Cinerum; nec ante orationem dicuntur preces, quae dicendae sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod etiam fit quando Feria per annum praecedit Feriam Quatuor Temporum vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, et nihil fieri de Feria praecedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo officium Feriarum Adventus et Quadragesimae impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex praecepto Ecclesiae praetermitti non debet.

Rub. 10. Cum vero occurrit, ut Festum simplex veniat in Feria quarta et sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, et in Vigiliis, quae jejunantur, Vesperae antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum)

erunt de Feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione Festi simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia sequens Feria habeat primas Vesperas; sed quia cum Festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam praedictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in praecedenti die. Et eadem ratione, si Festum simplex occurrat Feria quinta in Coena Domini, in qua de eo non debet fieri Commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Feriae quartae praecedentis.

Rubricae h. t. paucis regulis exprimuntur in Tabella quae impressa habetur initio Breviarii, et hic *pag. sequenti.*

Ad hanc Tabellam quaedam in Breviario adnotantur exceptiones, cum ordine servando in commemorationibus. En illas tres adnotationes.

I. „Notandum, quod in primis Vesperis diei octavae Ascensionis, et Corporis Christi, totum Officium fit de Octava, cum commemoratione praecedentis Festi Duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, vel primae, vel secundae Classis; quia tunc de Festo fieret officium et commemoratio de Octava." Cf. Rub. 7 h. t. et Rub. pecul. Corporis Christi.

II. „In secundis Vesperis diei Octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, et Corporis Christi, de sequenti duplici fit tantum commemoratio, nisi illud fuerit primae vel secundae Classis, seu Patronus vel Titulus, aut Ecclesiae: quia tunc de Festo fieret officium, et de Octava commemoratio. Et similiter die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava S. Joannis Baptistae, Vesperae erunt de Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavae sancti Joannis." Rub. 7 h. t. Addenda est exceptio pro diebus Octavis Festivitatum B. M. V., ut habetur Rub. 7.

III. „Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Octavam, de Feria majori, seu Vigilia, de sancta Maria in Sabbato, de Simplici." Rub. 8, Tit. IX.

QUANDO CONCURRIT.

	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra octavam.	Die octavae.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per annum minore.	Duplici per annum majore.	Patrono, seu Titulo Ecclesiae.	Duplici secundae Classis.	Duplici primae Classis.	Dominica quacumque.
Dn. m. seu I et II Cl. cum	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dn. min. seu per annum.	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primae Classis.	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex secundae Classis.	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patron. seu Titul. Eccl.	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum maj.	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum min.	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex.	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavae.	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam.	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5

1. Totum de sequenti, nihil de praecedenti.
2. Totum de praecedenti, nihil de sequenti.
3. Totum de sequenti, commemor. de praec.
4. Totum de praeced. commem. de sequenti.
5. Capitulum de sequenti, commem. de praec.
6. Totum de digniori, commemoratio de minus digno.

Simplex et S. Maria in Sabb. Feria et Vigil. non concurrunt.

Quae autem sit auctoritas hujus Tabellae, dicitur supra *pag.* 258. Quod ejusdem usum attinet, procedendum est ut dictum fuit pro tabella occurrentiae, hoc tantum excepto: videlicet officium quod concurrit, id est praecedens, semper ponendum est in linea laterali. In quibusdam quadrangulis non habetur numerus, sed 0; quod fit vel quia nunquam datur locus hujusmodi concurrentiae, v. g. Dom. cum Dom., vel quia in casu applicanda est regula generalis quae exceptiones habet, uti quando dup. I Cl. concurrit cum alio dup. I Cl. Tunc recurrendum erit ad Rubricam, et in casu citato ad Rub. 2 h. t.

Quaedam ex limitationibus, quas patiuntur regulae dictae Tabellae, supra adnotantur. Quibus addendae sunt sequentes explicationes pro regula 5ª et 6ª. *Quinta* regula supponit, in utroque festo, eamdem dignitatem et solemnitatem: Nam *a)* ex Festis duplicibus min. Breviarii Rom. nulla aliis praecellunt ratione dignitatis, et *b)* quod ad Octavas pertinet, subintelligendae sunt exceptiones Rub. 7ae h. t. Sic S. R. C. in casu proposito de Officio SS. Angelorum rit. dup. min., concurrente cum festo confessoris ejusdem rit., declaravit „servandam esse Rubricam generalem de Concurrentia Offic. cap. 11 (scil. Tit. XI) n. 2, Tabélla concurrentiae et quibuscumque aliis non obstantibus.“ *Die 12 Jul. 1704, n. 3544.*

Non obstat Tabella, quia hujusmodi particulares casus non respicit. Propter eamdem rationem, ea non obstat quin Vesperae dimidientur, quando Commemoratio Immac. Concept. concurrit cum festo ejusdem rit. sed inferioris dignitatis. De Festis secundariis, vide dicta *pag. 270.*

Contra *Sexta* regula diversam supponit dignitatem. „Sensus itaque est, ait Cav. *tom. 1, dec. 16, n. 26,* quod in mutuo concursu duplicium I aut II Cl., maj. aut min., Vesperae semper integrae esse debent de digniori, si alterutrum dignius sit, secus vero si aequale utrumque esse contingat, et ratione dignitatis personae, et solemnitatis Chori, aut Populi, et cujusvis alterius praecellentiae, ut si alicubi transferri v. g. contingeret Festum S. Bartholomaei Apostoli ad diem 22 Sept., in quo casu concurreret in primis Vesperis cum S. Matthaeo Apostolo; tunc enim cum festa concurrentia essent undique paria quis jure dubitare unquam posset, quod vesperae dividi deberent, et neutri integrae concedi.“

Hinc idem Auctor tradit, *tom. 2, cap. 28 append.,* Decretum 19 Jan. 1743 concedere „Officio ss. Martyrum (Joannis et Benedicti Eremitarum) integras Vesperas, quarum divisionem importaret ritus aequalitas, non quia illud officium sit particulare, S. Gertrudis commune toti Religioni Benedictinae, sed quia praedictum officium SS. Martyrum prae illo S. Gertrudis maxima solemnitate apud Camaldulenses celebratur. Et id juxta laudatam Rubricam XI, num. 2, quae festa, quae in propriis locis, seu Ecclesiis solemniter celebrantur, praefert aliis in Calendario descriptis.“

Hoc decretum legitur in Collect. Gardell. n. 3987, 2. Itaque S. R. C. non est putanda responsum ad 1, 7 Apr. 1832, n. 4540, ideo distulisse, quia dubitasset de vero sensu hujus regulae 6^{ae}, sed potius quia non fuerat satis edocta de peculiaribus casus circumstantiis v. g. an unum ex festis haberet in casu adnexam solemnitatem extrinsecam.

TITULUS XII.

DE ORDINANDO OFFICIO EX PRAEDICTIS RUBRICIS.

Rub. 1. Si quis velit ex supradictis Rubricis ordinare officium occurrentis diei, videat in Calendario et in tabula festorum mobilium, de quo fiat officium sequenti die, et ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis et aliis Horis nocturnis et diurnis.

Rub. 2. Si ordinandum sit officium de Tempore id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinate ponitur, quod est commune officii de Tempore, cum distributione Psalmorum, et ad proprium de Tempore, ubi Lectiones et Responsoria, quaedam Antiphonae et Orationes ponuntur, quae desunt in Psalterio, Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsoria brevia et Antiphonae, quae diversis temporibus ponuntur in proprio, dicuntur loco eorum quae sunt in Psalterio: cum vero propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.

Rub. 3. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum [nisi proprium habeat in proprio Sanctorum (1)], ubi pro qualitate festi, si novem lectionum, id est, duplex, vel semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis exceptis, quae propria suis locis habentur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriae et Lectionibus exceptis), omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, et prima et secunda Lectio, vel prima tantum in Festis trium Lectionum, sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi aliae in propriis locis ponantur.

(1) Decretum S. R. C. 23 Jul. 1736, n. 4895, 23, est mera applicatio hujus Rubricae ad casum propositum.

Rub. 4. In majoribus Solemnitatibus et Festis per annum, totum Officium ordinatur ut in propriis locis ponitur.

Rub. 5. In Festis Beatae Mariae (omissis iis, quae

propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi et alia quaedam requirenda sunt ex communi ejus Officio parvo, circa finem Breviarii.

Rub. 6. Modus inchoandi, Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas et Versus, habetur in principio Psalterii. Cum vero Antiphonae duplicandae sunt, dicuntur integrae ante Psalmos, sicut in fine Psalmorum.

Rub. 7. Modus dicendi Absolutiones et Benedictiones ante Lectiones, legendi et terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, ac Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.

Rub. 8. Quomodo sit inchoandum et terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio: quomodo terminandum per Antiphonas beatae Mariae, habetur in fine Completorii.

Rub. 9. Sed ut haec omnia facilius habeantur, positae sunt sequentes Rubricae de singulis Horis, earumque partibus distincte cognoscendis.

TITULUS XIII [1].

DE MATUTINO.

Praenotanda. 1. Vocabuli *Matutinum* Etymologia et Synonyma. — 2. Officium Matutinum refertur habuisse initium in Bethlehem. — Nocturnum Officium non fuit ubique a Laudibus sejunctum. — 3. *Quoad rem significatam,* distinguendum est inter antiquum et posteriorem Ecclesiae usum. — 4. A tempore suae recitationis nuncupabatur *Nocturnum,* aut *Vigiliae Nocturnae.* — Divisiones Diei et Noctis apud antiquos. — Communius *unus* erat dumtaxat Nocturnus. — 5. Paulatim Nocturni desierunt recitari, *ab omnibus, separatim* et *nocte.* — Usus hodiernus. — De separatione Matutini a Laudibus, et Nocturnorum ab invicem, agitur post Rub. 9.

1. *Etymologia. Matutinum* est vox antiqua in *Concil. Cabilon.* 2. Deducitur a Matuta, id est, Aurora. Sunt autem apud Auctores haec synonyma pro eodem, Nocturni, Vigiliae Nocturnae, et Matutinum, de quo hic loquimur, ut est a Laudibus distinctum; nam alioquin supra diximus *sect. 1, c. 3,* constituere unam horam cum Laudibus.

1) Hic Titulus et sequentes usque ad 18 inclusive pertinent ad 2am partem Rubricarum generalium; agunt scilicet de singulis Horis Officii, prout dictum est supra *pag. 127.*

S. Isid. 6 *Etymolog. cap. ultim.* deducit Matutinum a Stella Matutina, Lucifero; quae oritur inchoante mane inter noctem et diem, ut hinc ediscas, si media nocte cum antiquioribus illud non recites, in aurora saltem recites; sed de tempore Matutini recitandi vide supra *sect. 1, c. 5, tit. 6.* Gav. *h. l. n. 1.* De tempore persolvendi Horas Canonicas in Choro, vid. Bened. XIV. *Instit. 107, n. 20 sqq.* et Cav. *tom. 2, cap. 38.* De tempore servando in recitatione privata, agunt Canonistae et Theologi. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 237.*

2. *Origo* officii matutini. „Primus usus Matutini Officii, prosequitur Gav. *n. 2,* in Bethlehem fuit, *ex Cassiano cit. a S. Isidor. lib. de Eccl. Offic. cap. 23* nisi de Officio Primae [1] sit explicandus, ut putat verius *Francolin. 1 parte, cap. 14.* Congrueret autem si illud verum esset, ut a loco Nativitatis Christi exordium sumpsisset Ecclesia laudum Dei; ibi enim Angeli cecinere Deo, et Pastores laudantes, benedixerunt Dominum."

3. *De Matutino quatenus est hora distincta*, ex Cav. *tom. 2, cap. 34.* „An Vigiliae nocturnae, ait, quarum nomine nunc Matutinum venit, sint hora canonica distincta a Laudibus, dissident Auctores, quorum aliqui affirmant, inficiantur alii, et sunt qui media via incedentes, illas a laudibus distinguunt, si attendatur primaria institutio, et antiquus usus, qui vigilias nocturnas separabat a laudibus, et a propria oratione concludebat, secus vero, si communis

1) „Sicuti ex tepescente [a] clericorum fervore, ait Fornici P. II, cap. 18, matutinae [b] Laudes nocturnis Vigiliis fuerunt conjunctae, ita, ut narrat Cassianus, *lib. 3 de diurnis orationibus cap. 4. Primam* suo tempore in Betleemitico monasterio celebrari coepisse, ne monachi post Laudes usque ad Tertiam otiosi jacerent in cellis, cum nulla conventus necessitas eos ad orationem exire compelleret. Inconcussum quidem est nullam *Primae* expressam mentionem apud Patres Cassiano antiquiores reperiri, et cum ipsi mane orandum esse hortantur, hoc de Matutino, non de Primae Officio, recte intelligitur, et de Laudibus matutinis.

Alteram propterea *Matutinam Horam* appellat Cassianus ipse *Primam,* quia in prima hora dicebatur post solis ortum."

a) Cf. Cav. hic n. 5.

b) Attamen consuetudo peragendi Nocturnum Officium interpolato tempore a Laudibus, non fuit ubique recepta et universalis, siquidem multis in locis, Nocturnis Vigiliis, etiam primis temporibus, vel saltem paulo post, Laudes Matutinae jungebantur. Mer. *sect.* 4, *cap.* 2, *n.* 2. Cs. Bened. XIV, *Inst.* 107, *n.* 20.

posterior inspiciatur Ecclesiae usus, qui laudes cum Matutino jungit, et sub una oratione absolvit. Persicus, *de hor. can. cap. 1, dub. 3, num. 8,* scite rem ita concludit, quod si quaestio instituatur simpliciter, et absolute, abstrahendo ab usu praesenti, et antiquo, et rem inspiciendo per se, et secundum propriam naturam, et institutionem, vigiliae nocturnae sunt hora distincta a laudibus, quae propterea adhuc habent proprium initium, scilicet *Deus in adjutorium,* licet per accidens, quod naturam non immutat, nunc illae oratione non claudantur. Ad rem apprime facit cap. *Presbyter dist. 91,* ubi enumerantur semper horae canonicae diurnae incipiendo a laudibus ad completorium, et distinguuntur a vigiliis nocturnis. *Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si* (tempore scilicet) *Matutinae* (quo nomine veniunt laudes, quae circa Matutam, seu Auroram dicebantur), *Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae, Completoriique tempore nostrae servitutis officia persolvamus, quia de his dixit Propheta, septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait, media nocte surgebam ad confitendum tibi;* quod et iisdem fere verbis dicitur *cap. 1 de celebr. Missar. n. 1.*"

„Nunc tamen juxta Rubricas tamquam una hora inspiciuntur, unde post nocturnos non dicitur oratio, quae est finis horarum, et *de precibus* legitur: *In vigiliis preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum, et per horas,* ubi per *Matutinum* comprehenduntur etiam laudes, post quas solum dicuntur preces, nisi per *Matutinum* proprio, et antiquo nomine appellatas mavis laudes, licet haec responsio ceteroquin non quadret admodum, quia eo nomine in Rubricarum sensu nunc magis veniunt vigiliae nocturnae, de quibus lubet adjicere, quae *lib. 2 de off. Eccl. cap. 19* tradit Hugo a S. Victore: *Hoc officium, secundum usum Monachorum, oratione, sicut cetera, terminatur, in quo primariam servare videmus institutionem. Nostra autem consuetudo humanae infirmitati parcens, et labori, officio praedicto laudes matutinas continuat, et oratione una duo claudit officia.* Jam vides itaque, quod secundum se sunt duo officia, solumque ex consuetudine in unum fuerunt juncta ad parcendum humanae infirmitati, et labori." n. 2.

4. Matutinum nuncupatum *nocturnum.* „Quod officium, quia noctu recitabatur, *nocturnum* dicebatur, et quia populis dormientibus, qui officium recitabant, vigilias cen-

sebantur agere, seu magis, quia per diversas [1] noctis vigilias [2] dicebatur, *nocturnum vigiliae* quoque reperitur dictum. *Vigiliarum* nomen Defunctorum officio ad hanc diem reliquum est, et *nocturni* appellatio cuilibet officio trium

1) »Olim, ait Bened. XIV, *Inst. 107, n. 20*, cum Card. Bona, Christiani tribus primis vigiliis tres Nocturnos divisim, quarta vero vigilia Laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis, ut quater in nocte surgerent ad orationem: prima vigilia ad primum Nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad Laudes persolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes.« Sed addit Bened. XIV, in feriis cum Matutinum uno solum Nocturno constabat, illud fideles initio tertiae vigiliae, nempe media nocte decantabant. »Quoniam autem ait Cav. *l. c. dec. 297, n. 3*, tunc festa, et officia 9 lectionum erant admodum infrequentia, tolerabile fiebat earumdem vigiliarum onus; at postquam noctu ter, atque etiam semel surgere cessatum est, officia plurima 9 lectionum invecta fuere et nullo negotio tres nocturni plerique festis attributi.«

2) Juvat hic adnotare cum Fornici, *l. c. cap. 18*, divisiones diei ac noctis quae in usu erant apud antiquos et ab Ecclesia servatae sunt. »Ecclesia enim, ait, sequitur illam rationem, qua veteres utebantur, diem et noctem in duodecim horas dividentes. *Prima* dicebatur, cum post solis ortum duodecima diei pars exacta erat, *Tertia* cum quarta pars, *Sexta* cum media, et sic de aliis, proportione servata. Intervalla trium horarum communiter pro una hora erant accepta. Sic, quae de hora tertia a priscis scriptoribus notantur, non solum de hac hora, sed et de prima et secunda intelligi debent; ita ut sub Tertiae nomine totum tempus ad ipsam tertiam comprehendatur. Hinc Princeps Apostolorum, *Act. II*, suspicionem ebrietatis diluit, quod esset hora diei *tertia*, cum minime probabile videretur viros religiosos tribus diei horis ebrios fuisse. Quod *de Tertia*, idem de *Sexta*, et *Nona*. Haec divisio diei et noctis in quatuor partes, quae singulae ternas continent horas, tam rata olim erat, apud Milites, ut, referente Vegetio, *de re milit. lib. 3, cap. 8*, diu quidem Stationum, noctu autem Vigiliarum nomine censeretur. Sic enim inter se partiri solebant milites diu noctuque vigilandi laborem, ut singulis tribus horis mutarentur excubiae.«

»Ex hac diei et noctis in quatuor partes divisione eruitur ratio divisionis Officii in plures Horas. Voluit enim Ecclesia, ut qui divino famulatui specialiter sunt consecrati, quolibet ternario horarum, quarum mentio in sacris, et profanis auctoribus habetur, et quae, teste Tertulliano, de jejunio *cap. 10, etiam in rebus humanis insigniores sunt*, debitis Deum prosequerentur gratiis, illumque per psalmorum, et laudum divinarum repetitionem hisce statutis horis glorificarent.« Cf. dicta supra *pag. 62*, de numero Horarum, et *pag. 176*, de Vigiliis.

lectionum adaptatur adhuc; quinimo et novem lectionum, quatenus in tres *nocturnos* distinguitur, communiori vocabulo, nunc *matutinum* dicitur, quod cum laudibus conjunctum sit, et cum laudibus continuetur, quae *mane* recitari, et *matutinum*, seu *matutinae laudes* dici solebant; hinc *de ritib. Monach. lib. 1, cap. 3,* Martene: *Matutinum S. Benedictus, aliique Scriptores antiqui vocabant illud officium, quod illucescente Aurora dicebatur, et a nobis laudes appellatur a voce Matuta, id est Aurora, eo quod ad Auroram decantaretur.*" n. 3. Cf. ibid. dec. 227.

Itaque a tempore, quo Matutinae Laudes conjunctim cum Nocturnis recitantur, nomen Matutini reperitur acceptum in triplici sensu: *a)* pro solis Nocturnis, *b)* pro Nocturnis cum Laudibus, et *c)* pro solis Laudibus. Merati, *sect. 4, cap. 2, n. 1.*

5. *Olim tres Nocturni divisim recitabantur.* „Vigilias has, ait Cav. *dec. 297 cit. n. 3,* a primitiva Ecclesia servatas fuisse in recitandis nocturnis, et matutinis laudibus in Dominicis, et aliis festis, ita ut prima vigilia primum recitaretur nocturnum, secunda secundum, tertia tertium, et quarta laudes, plerique ex antiquis referunt Scriptoribus. . . Qui nocturni, prosequitur *n. 4,* praesertim apud Monachos, tria diversa noctis constituebant officia, et diversis horis licet circa horas non ubique eadem servaretur disciplina, diversis noctis vigiliis respondentibus dicebantur, reservatis laudibus ad quartam noctis vigiliam oriente Lucifero, seu sub solis ortum, a quo et *Matutinarum Laudum* traxere nomen, quinimo ut distinctis his vigiliis dicerentur, institutos fuisse, sententia est Amalarii *lib. 4, cap. 9.* Qui mos servatus etiam extitit a Clericis Cathedralium Ecclesiarum, qui Monachorum instar vivebant."

„At tepescente pietate nimis arduum visum fuit toties per noctem cubitum concedere, atque ad psallendum surgere, hinc in quibusdam Ecclesiis tot choros, quot erant nocturni institui primitus coeptum fuit, ut per vices singulis his officiis interessent, *se mutantibus Clericis,* ait Scriptor vitae S. Germani Parisiensis de hujus Ecclesiae Clericis, ad laudes autem communiter surgebant omnes. Postea factum est, ut nocturni non separatim, ut ante, sed continenter una cum laudibus decantarentur, et ex omnibus una solum vigilia texeretur, et ad id muneris potissimum delecta fuit media nox juxta illud Prophetae: *Media*

nocte surgebam ad confitendum tibi. Hinc teste Vincentio Bellovacensi S. Edmundus *media nocte Matutinas in Ecclesia S. Mederici audiebat,* et de S. Ludovico scribit Nangius, quod *in consuetudinem duxit circa mediam noctem surgere ad Matutinas a Cappellanis suis, et Clericis in Cappella decantandas.* Quem morem docet Suarez, *t. 2, de Relig. lib. 4, de hor. can. cap. 15, n. 3,* servari adhuc in Cathedralibus Segobiensi, et Canchensi in Hispania, et Parisiensi in Gallia, quinimo in hac cum aliquamdiu bello Anglico saeviente intermissus fuisset, Senatus decreto anno 1359, restitutus fuit ad tradita per Grancolam, *lib. 1, cap. 23.* Ceterum scite monet Thomas Waldensis, *t. 3 de Sacramentalib. tit. 3, de hor. can. cap. 24, num. 4,* quod divina providentia factum est, ut laudes divinae, si non ab iisdem, saltem a diversis in singulis nocturnis vigiliis celebrentur, ut vestigium quoddam antiquae consuetudinis permaneret, unde aliqua Monasteria illas recitant in prima vigilia, alia in secunda, aliqua in tertia, et totus fere saecularis Clerus in quarta."

Rub. 1. Ad Matutinum haec per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem officii, nisi aliter (1) in quibusdam diebus annotetur: *Pater Noster, Ave Maria, Credo,* omnia secreto: deinde clara voce Hebdomadarius (2) dicit, *Domine, labia mea,* etc., pollice signando sibi os signo Crucis, *Deus, in adjutorium,* etc. manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio omnium horarum, cum dicitur, *Deus, in adjutorium*) cum *Gloria Patri* et aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore, vel de Sancto, quod dicitur cum Psalmo *Venite, exultemus,* eo modo (3) quo in Principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo, et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore, vel de Sancto, convenit.

Partes Horarum, de quibus mentio fit in hoc titulo, explicantur propriis locis. Unde hic pauca veniunt adnotanda, quorum alia ad litteralem, alia ad mysticam expositionem spectant.

(1) *Nisi aliter,* ut in Officio Defunctorum et in ultimo triduo Hebdomadae Sanctae.

(2) *Hebdomadarius dicit, etc.* De modo incipiendi Horas sequentia traduntur a Caerem. Ep. *l. 2, cap. 1, n. 5 sq.*

„Episcopus . . . versus ad Altare dicit secreto *(Pater noster, etc.)* et *(Ave Maria, etc.)* integre: et tenens sinistram manum infra pectus, dextera aperta facit sibi crucis signum a fronte ad pectus cantans intelligibili voce *(Deus, in adjutorium meum intende)*. Et pro unoquoque verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum, et in fine jungit manus ante pectus."

„Cum chorus cantat Versiculum *(Gloria Patri, etc.)* Episcopus, et omnes caput inclinant versus crucem super altari usque ad Versiculum *(Sicut erat, etc.)*." Ad haec remittit Caerem. l. c. cap. 5, pro initio Matutini.

Tam praesens Rubrica, quam Caeremoniale cit. silent de signo crucis faciendo ab adstantibus in Choro, quamvis caeteroquin omnia agenda minutim recenseant, et praesertim Caeremoniale. Unde concludendum eam crucesignationem, spectata Rubrica, non esse in praecepto nisi pro Hebdomadario. At inde ne concludas eam ab aliis esse omittendam etiam ubi usu introducta est. Hujusmodi enim usus, in se pius, potius dicendus est praeter, quam contra Rubricas. Quin videtur conformis Rubricis quae praescribunt Diacono et Subdiacono, ut una cum Celebrante se signent et genuflectant.

(3) *Eo modo*, „Cum cantatur *(Venite adoremus et procidamus ante Deum)* ipse (Episcopus scilicet), et omnes de choro ac alii ministri genuflectunt." Caerem. Ep. *l. 2, cap. 5.*

Expositio mystica. „Initio sumpto, ait Gav. *n. 8*, ab Oratione Dominica, a Salutatione B. M. Angelica, et a professione Fidei ab Apostolis tradita, clara voce petitur aperitio labiorum, et divinum adjutorium cum signo Crucis aptissimo ante omnem actum, et cum *Gloria* SS. Trinitatis, et unitatis laude per *Alleluja, Durand. loc. cit.* Invitantur omnes ad divinas laudes, quarum prima cum Jubilo per Hymnum canitur, ad fugandum noctis torporem, ait *Hugo, lib. 2, de Offic. cap. 8.*"

Rub. 2. Postea in Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis et Versibus, quae tempori vel festo conveniunt, et totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo.

„Adduntur Nocturni tres in Festis ad ratam primarum trium noctis vigiliarum, quas antiqui observabant. . . Hodie non dividuntur Nocturni, stante consuetudine vim legis habente: et significatur una Ecclesia justorum omnium, eorum, qui ante legem, sub lege, post legem, *ex Amalar., lib. 4, cap. 9,* ideoque in tertio Nocturno legitur Evangelium, tempori gratiae congruum, inquit Gemma, *lib. 2, cap. 14.*" Gav. *ibid. n. 9.* De separatione Nocturnorum nunc temporis, vide dicta in fine h. t.

Rub. 3. In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona: sed tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten (praeterquam in officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona: et in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus; postea *Pater noster, Et ne nos,* Absolutio *Exaudi,* Benedictio, *Benedictione perpetua,* et aliae ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quae per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi aliae assignentur), et ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio: si de Tempore, ut in proprio Temporis: si de Sancto, ut in proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi, etiam si Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officii de Tempore.

Rub. 4. In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur *Gloria Patri,* cum repetitione partis Responsorii, eo modo quo notatur in tertio Responsorio primae Dominicae de Adventu, nisi aliter in propriis locis signetur.

Rub. 5. In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphonae, Versus, *Pater noster,* Absolutio *Ipsius pietas,* et ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu: tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, et ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.

Rub. 6. In tertio Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra: post tertiam Antiphonam, Versus, *Pater noster,* Absolutio *A vinculis,* et Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, quae erunt de Homilia Evangelii de Tempore vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post septimam et octavam Lectionem dicitur Respon-

sorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur: et in fine ultimi Responsorii, aut octavi, aut noni dicitur *Gloria Patri,* ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem, dicitur Hymnus, *Te Deum.*

„In noctis Officio, ait Mer. *h. l. n. 3,* unicus erat priscis temporibus nocturnus, qui constabat duodecim Psalmis, quem admodum etiam nunc in Feriali Officio, et in primo Dominicae Nocturno fieri solet, sed quia Dominica dies tota Deo colendo, atque laudando Sacra esse debet, coeperunt Monachi noctem, quae Dominicam praecedit, orando transigere. Tradit etiam Cassianus, *lib. 3, cap. 3.* Monachos Aegyptios tribus diversis noctis temporibus diebus Dominicis orasse, quibus opus facere non licebat, contra vero diebus reliquis, quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orasse: eas noctes in partitis distinguunt Officiis. Post aliquot Psalmos decantatos, tres Lectiones perlegebant, idque tribus diversis temporibus per noctem repetebant, quae res tres nostros Dominicae Nocturnos profecto demonstrat; non solum Dominicis diebus, sed etiam praecipuis Anni Festis noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur; sed haec Festa olim exiguo erant numero, et idcirco trium Nocturnum Officia minus frequentia erant, et nullo negotio tres Nocturni plerisque Festis tributi fuere.“

Rub. 7. In Officio trium Lectionum ad Matutinum, *Pater noster, Ave Maria, Credo, Domine, labia,* etc. Invitatorium et Hymnus in feriali Officio de Feria, si non sint in proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, de Festo, ut in communi Sanctorum: deinde Nocturnum Feriae, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore Paschali cum una Antiphona *Alleluja:* qui dicuntur tam in Officio feriali, quam in Festis simplicibus.

Rub. 8. Post Psalmos et Antiphonas dicitur Versus, in feriali Officio, ut in Psalterio: in Festis ut in Communi Sanctorum: qui in Festis sumitur secundum Ferias ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicetur infra in Rubricis de Versibus et Responsoriis. Post Versum dicitur *Pater noster,* Absolutio et Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Absolutionibus et Bene-

dictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulae in Officio feriali dicuntur de Scriptura, quae eo die occurrit in proprio de Tempore: si adsit Homilia, singulae tres de Homilia. In festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duae Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquae de Sancto.

Rub. 9. Post singulas Lectiones in Feriis extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria: tempore vero Paschali et in festis duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam et secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet aut tertii, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quae Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum; in feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem, dicitur Hymnus, *Te Deum*.

Duo veniunt inquirenda: I. An separari possint Matutinum a Laudibus, et Nocturni ab invicem, et per quod tempus? — II. Quomodo, in casu separationis, terminandum sit Matutinum et incipiendae Laudes? — quomodo terminandi et incipiendi Nocturni?

R. Ad I, cum Cav. *tom. 2, dec. 297, n. 9.* 1° *a)* Non est dubitandum licitam esse *privatam* Laudum separationem, quia „tametsi modo conjunctim recitentur cum nocturnis, adhuc sunt horae distinctae, separatim dici institutae, et separatim olim dicebantur, cujus separationis vestigium etiamnunc apparet in nocte Natalis Domini, et ex proprio initio *Deus, in adjutorium*, quod servant; etsi cum matutino junctae venere, ad indulgentiam factum hoc exstitit, et causa levandi onus, et incommodum cleri, quam ad rem recoli poterunt, quae ex Hugone a S. Victore superius transscripsimus.“ Cs. Salmant. *tom. 4, tr. de Horis can. cap. 3, n. 4.* S. Lig. *Theol. mor. l. 4, n. 167* cum communi.

b) „Quoad *publicam* vero, prosequitur Cav., psalmodiam facit admodum exemplum separationis, quae fit in nocte Natalis, quare itidem separari posse dicimus; dummodo hoc fiat, ut magis proprio dicantur tempore, vel majoris devotionis studio, aut animo inducendi laudabilem priscam consuetudinem.“ Salmanticenses *l. c.* non distinguunt.

2° Circa separationem Nocturnorum non consentiunt

Theologi. Eam absolute permittunt Salmanticenses l. c. [1]. Utrumque tanquam probabile refert S. Lig. *l. c.* Praeplacet sententia, quam amplectitur Cavalieri *l. c.* „Quae conditiones (datae ad b), inquit, si adsint, tam in publica, quam privata recitatione etiam nocturnos sejungi posse sentimus, quinimo de privata adhuc qualibet interveniente rationabili causa, vel justa, licet levi, occasione, ut communior tenet opinio; etsi enim hi non sint horae distinctae, sed unam, et eamdem efforment, adhuc separatim dicebantur, et separatim sunt dici instituti, et solum ad indulgentiam ut supra conjuncti fuere. Quaenam autem mora inter unum nocturnum, et alterum interponi queat, spatium trium horarum, tamquam mora antiquae consuetudini proportionata, communiter assignatur, tu tamen extende, quamdiu durat causa, ob quam mora fuit interposita, et in hac re scrupulose nequaquam procedito.“ Cf. Gousset, Theol. mor. tom. 2 de Ordine n. 702 [2].

R. Ad II. Circa *primum*, duplex est apud Theologos sententia probabilis. Una tenet Matutinum terminandum et Laudes incipiendas esse more solito, quin aliquid addendum sit de praecepto Rubricarum. Cf. AA cit. Altera autem sententia quam propugnat Cav. *l. c.* videtur conformior menti et regulis generalibus Rubricarum et proinde consulenda. „Cum Matutinum, ait Cav. *l. c. n. 10*, separatur a laudibus, post *Te Deum* addi debet collecta, ut fit in Natalis nocte, et post collectam oratio Dominicalis, ut fit in aliis horis, nec opus est adjungere Antiphonam finalem B. Mariae, quae in fine laudum juxta Rubricas dici praescribitur. Quoniam vero tunc laudes tan-

1) »Et idem, aiunt, dicimus de singulis nocturnis, quod unum ab alio separari poterit. Tum quia primitus ita fiebat. Tum etiam quia non est inter ea tanta connexio, sicut inter partes alterius horae, et sic in officio Defunctorum passim separantur.«

2) »Nous ferons remarquer, inquit *l. c.*, qu'on peut séparer matines et laudes, et les réciter comme si elles formaient deux heures distinctes, en terminant la première par l'oraison. On peut encore séparer les nocturnes les uns des autres, mais on ne doit pas le faire sans cause: toutefois, il ne paraît pas qu'il puisse y avoir faute grave à les séparer sans raison, même en étendant la séparation au delà de trois heures. Nous ne croyons pas non plus que celui qui commence matines ce soir par la récitation d'un nocturne, soit obligé de le répéter demain..«

quam hora distincta a matutino dicuntur, iisdem praemitti debebit oratio Dominicalis, et salutatio angelica, habetque locum Rubrica illa: *Ante omnes horas, praeterquam ad Completorium, dicitur secreto Pater noster, Ave Maria.* Quibus non officit exemplum noctis Natalis, in qua cum statim post matutinum sequatur Missa, propterea in illius fine non subditur versus *Fidelium animae*, nec oratio dominicalis, et cum laudes uniantur cum Missa, et quodammodo etiam cum matutino, propterea laudibus non praemittitur oratio dominicalis, nec salutatio angelica, ut advertit Gavantus, *sect. 4, cap. 2, num. 4,* et Navarrus, *cap. 3, de orat. num. 64.*"

Quoad *secundum* certa videtur sententia, quam hisce exponit Cav. l. c. „Quoniam vero nocturni non censentur tres horae, sed semper tamquam una hora sunt habiti, necesse non erit, quando separatim dicuntur, nocturnum collecta, et oratione dominicali concludi, et in principio alterius *Pater*, et *Ave* recitari; quia tamen ut tres horae distinctae recitantur, apposite admodum praestabuntur ea omnia, quae praestanda tradidimus, dum laudes a nocturnis separantur." Cf. Gousset cit.

TITULUS XIV.

DE LAUDIBUS [1].

Rub. 1. Ad Laudes, dicto Hymno *Te Deum*, vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit, *Deus, in adjutorium*, etc. ut supra, et dicuntur Psalmi, et Canticum *Benedicite*, vel aliud, ut habetur in feriali Officio, extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi et Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive) et in feriali Officio temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In praedictis vero Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.

Rubrica supponit Laudes incipi immediate post Ma-

1) *Laudes* ita nuncupantur, quia speciale modo continent Laudes Dei. Ab hora vero suae recitationis, dicuntur Laudes *Matutinae.*

tutinum. An autem eodem modo incipiendae sint quando dicuntur separatim a Matutino, dictum est in fine Tit. praeced.

Rub. 2. Antiphonae in Dominicis, quando propriae non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriae, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum *Benedictus*, cum eodem Cantico, et Oratio: omnia pro qualitate Officii de Tempore, vel de Festo.

Rub. 3. Preces quando dicendae sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes vero de Cruce, de sancta Maria, de Apostolis, de Patrono et de Pace, similiter quando dicendae sunt, dicuntur post Orationem, nisi alia commemoratio Festi simplicis occurrat, quae semper praedictas commemorationes praecedit, de quibus in propriis Rubricis dicitur.

Rub. 4. Ante Orationem dicitur *Dominus Vobiscum*, et *Oremus;* post ultimam Orationem repetitur *Dominus Vobiscum;* deinde *Benedicamus Domino*, et V. *Fidelium animae, Pater noster, Dominus det nobis suam pacem*, et Antiphona beatae Mariae, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro: alioquin in fine ultimae Horae, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Poenitentiales aut Litaniae, ut in propria Rubrica dicetur.

TITULUS XV.

DE PRIMA [1].

Rub. 1. Ad Primam, *Pater noster, Ave Maria, Credo*, secreto: *Deus, in adjutorium*, etc. Hymnus *Jam lucis orto sidere:* deinde inchoatur Antiphona, quae convenit. Sumuntur autem Antiphonae in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta praetermissa, ut dicetur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et Feriis dicuntur, ut in Psalterio. In festis autem, et tempore Paschali tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

1. *Hebdomadarius signat se signo Crucis.* An ab aliis

1) Prima, sicuti Tertia, Sexta, Nona et Vesperae, suum sortita est nomen a tempore suae recitationis. Cf. dicta ad Tit. XIII.

de choro idem agendum sit, examinatum est, *Tit. XIII, Rub. 1.*

Ad eadem verba, *Deus in adjutorium*, post Orationem, *Sancta Maria*, et post Lectionem brevem, nullus se signat. Ad subsequentia verba, *Dominus nos benedicat*, solet etiam fieri signum crucis. Quod in quibusdam antiquis Breviariis reperitur indicatum per hoc signum ✠.

2. Moniales *Confiteor* recitare debent ut in Breviario, dicendo *tibi Pater, vobis fratres*, etc. non autem *tibi Mater*, et *vobis sorores*. S. R. C. 18 Aug. 1629, n. 680.

Rub. 2. Post Antiphonam dicitur Capitulum, *Regi saeculorum.* In feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem*, deinde Responsorium breve *Christe Fili Dei vivi*, etc. Post Responsorium breve in Officio duplici, et infra Octavas, statim dicitur Oratio *Domine, Deus omnipotens.* In alio Officio dicitur, *Kyrie eleison* cum reliquis precibus: omnia ut in Psalterio. Ad versum autem *Adjutorium*, Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis, *tibi Pater*, vel *vobis fratres*, et *te Pater*, vel *vos fratres*, et similiter dicit *Misereatur nostri . . . peccatis nostris, perducat nos*, quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio, quando dictae sunt preces ad Laudes, adduntur aliae Preces, ut ibidem in Psalterio.

Rub. 3. Post Orationem Primae, vel, si dicatur officium beatae Mariae, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium: deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis: quae etiam dicuntur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonae, si adsit proprium, alioquin de Communi: alio tempore, tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officia illius temporis in Psalterio assignata.

In legendo Martyrologio servandae sunt sequentes Rubricae, quae ipsi praefiguntur.

Rubricae Martyrologii. 1. Lectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro ad Primam ante versum *Pretiosa*, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.

1. *Martyrologium*, id est, Martyrum elogium seu sermo de Martyribus, ita dicitur quia a recensendis Martyrum natalitiis (cf. dicta *pag. 157 sq.*) et triumphis originem

habuit, et continet praecipue, etsi non exclusive, Martyrum nomina et praeclare gesta. „Martyrologiorum originem, ait Merati, *sect. 5, cap. 21, n. 1,* ab ipsius Ecclesiae primordiis repetendam esse facile sibi persuaserit quisquis accurate perpenderit quanta olim diligentia dies eorum notarentur, qui proprio sanguine Fidem Ecclesiae Catholicae propugnabant, ut eorum triumphus in sacris conventibus publica laudatione celebraretur: huic enim consuetudini Martyrologiorum initia debemus. Viri eruditi morem a saeculo Apostolorum fluxisse contendunt. . ."

2. *Lectio Martyrologii recitatur . . . in Choro.* Solum Martyrologium Romanum, et quidem emendatum, legi potest [1].

3. Fructum ex lectione Martyrologii percipiendum nos edocet Gregorius XIII in Bulla *Ad perpetuam rei memoriam, die 24 Jan. 1584* edita, et Martyrologio praefixa. „Habet enim, ait, Sanctorum innocentiae, charitatis, fortitudinis, ceterarumque virtutum commemoratio stimulos quosdam acerrimos, quibus tum maxime incitamur, cum illorum propositis exemplis, nostram desidiam agnoscimus, quamque procul ab illorum laude et perfectione absumus cogitamus."

4. Lectio Martyrologii extra Chorum id est, in recitatione privata, non est quidem praecepta; est tamen de consilio, juxta not. 1. Itaque laudabiliter fiet ab illis, quibus vacat, omnibus spectatis status circumstantiis. Sed etiam in casu adhibendum est Martyrologium Romanum.

1) „Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, sive saecularibus sive regularibus quibuscumque Praefectis, ut in peragendo divino in Choro Officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne inferant, sed separatim descriptos habeant; eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur. Eadem etiam iis, qui in Horis Ecclesiasticis privatim Martyrologio uti voluerint (quod quidem magnopere cuperemus ut omnes facere vellent), mandamus, omnibusque aliorum Martyrologiorum omnium publice privatimque in Ecclesiasticis Horis usum interdicimus: Typographis etiam prohibemus, ne in posterum hoc nostrum ulla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. . ." Ita Greg. XIII. in Bulla *24 Jan. 1584.*

Rub. 2. Legitur autem semper praecedenti die lectio illa, quae memorias Sanctorum sequentis diei continet, praeponendo Calendas, Nonas, vel Idus, et quantitatem Lunae ejusdem sequentis diei.

Legitur praecedenti die, etc. „Et quia, inquit Gavantus, *sect.* 5, *cap.* 21, *n.* 3, quotidie ad altare Dei fiebat Commemoratio Martyrum, ac etiam, ut ait Augustinus *de S. Virg. cap.* 45 defunctarum Sanctimonialium; ideo pridie recitabantur eorum, et earum nomina in Ecclesia, quorum Natalitia die sequenti recolenda essent una cum sacrificio; atque hinc origo Martyrologii, hoc est sermonis de Martyribus."

Rub. 3. Lector non petit benedictionem, sed absolute incipit a Calendis ut supra: qui etiam in fine leget Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

Rub. 4. Festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur; quod etiam servandum erit et in Festis mobilibus, quae pronuntianda sunt, ut infra dicetur; et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi praecipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium: si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines.

1. *Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur;* et secundo loco, addit Lohner *h. l.* illi Sancti, de quibus facienda est commemoratio. De Lectione S. Patroni a Sociis separati in Officio, conferri potest dec. 16 Feb. 1781, n. 4252, 24 et 25.

Rubrica nominat *Festa in genere*, ac proinde intelligenda est de quocumque Festo, et consequenter de Festis tum translatis, tum immutatis, ut infra exponitur. Quin, cum Officia votiva et dies Octavae aliquatenus participent de ratione Festi, ideo etiam de illis legendum est, ad mentem, sin minus ad sensum hujus Rubricae. Vid. dec. S. R. C. statim citandum.

2. Dictio *semper* intelligenda est relate ad Festa. Nam Vigilia, etiam quando non fit de ea, annuntiatur primo loco, ante Festa. Quod „evincit, ait Cavalieri, exemplum vigiliae S. Matthaei, quae ante S. Eustachium in Martyro-

logio ipso describitur, licet eidem, utpote duplici, in Calendario postponatur. Fortasse factum id exstitit, quia festi rationem vigilia vere non habet, unde inepta est visa, quae inter festa annuntiaretur. Quae ratio cum cesset, dum v. g. Vigilia S. Matthiae incidit in diem Cinerum, quae item festi, quinimo magis, rationem effugit, crederem priorem nominationem deberi feriae Cinerum, quae eidem vigiliae praefertur, quinimo eamdem quoad officium cessare facit, et insuper ipsa officium assequitur.“ Cav. *tom.* 2, *dec.* 328, *n.* 6.

De Officiis Votivis, de Vigiliis anticipatis et de Festis immutatis aut translatis, sequentia sunt notanda cum Deherdt, *h. l.*

1° „Officia votiva annuntianda sunt juxta dec. S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 4618, 4. Dies octavae annuntiari possunt juxta Mer. *sect. V, c. 21, n. 3,* et *Cav. tom. 2, dec. 328, n. XI,* et ita servatur in Martyrologio quoad dies octavas festorum non mobilium. Annuntiari autem non debet officium feriale, Dominicae, nec dierum infra octavam, ut patet ex usu ipsius Martyrologii. Cav. *loco cit. n. VIII.*“

2° „Translata (id est anticipata) Vigilia in Sabbatum, non anticipatur lectio Vigiliae in Martyrologio, licet anticipetur officium cum jejunio. Gav. *sect. 5, c. 21, n. 11.* — *Cav. loco cit. n. 8.*“

3° „Si festa transferantur, in Martyrologio tamen annuntianda sunt iisdem diebus et verbis, quibus sunt in Martyrologio descripta, ita ut suis diebus notatis omittenda non sint, quamvis quoad officium transferantur: iterumque pronuntianda sunt pridie quam celebrentur, sive perpetuo transferantur, juxta dec. 5 Mai. 1736, n. 3894, *alia dub. n. 14 et* 2 Sept. 1741, n. 3970, 9, uti in Martyrologio servatur de s. Paulo Eremita 10 et 15 Jan. et de s. Hilario 13 et 14 Jan.; sive accidentaliter pro hac aut altera vice transferantur: verba enim Rubricae: *festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur,* generalia sunt, uti etiam declaravit S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 4618, 5. Si festum a die natali in Martyrologio perpetuo sit translatum, uti festum s. Thomae a Villanova ab octavo Septembris in 22 ejusdem mensis; et in aliqua Ecclesia illa die, qua celebratur in Ecclesia universali, et annuntiatur in Martyrologio, perpetuo sit impeditum: Martyrologium tamen in particulari illa Ecclesia equidem legendum est, uti jacet,

etiam in die translationis, qua celebratur in Ecclesia universali; et pridie, quam celebretur in Ecclesia particulari, festum denuo annuntiari potest, juxta dec. 7 Dec. 1844, n. 4839, 10."

3. De *sanctis* propriis permittitur lectio. De quo duo inquirenda sunt: 1° *quae formula* sit adhibenda et 2° an *beati*, annuntiari possint in Martyrologio?

R. ad 1. „Sanctorum, ait Cavalieri, propriorum nuncupationi integrum sit elogium aliquod attexere, sed sit admodum breve, et compendiosa indicatio, et quae in eo allegantur, ab omni sint procul falsitatis suspicione vindicata. Hac de causa probatur usus illarum Ecclesiarum, quae de majorum consensu habent elogia in festis propriis per totam Dioecesim recitanda, ne cui sit liberum quidquam temere, et absque delectu proferre." Cav. *l. c. n. 14.* Cf. tamen Guyet. *lib. 2, cap. 6 et 7, 14 et 15;* Merati *l. c. n. 3 verb. quaeri.*

R. ad 2, cum Deherdt *l. c.* „Beati non Canonizati non possunt imprimi seu adscribi in Martyrologio juxta dec. gen. *31 Aug. 1680, n. 2778.* Guyetus tamen *lib. 2, c. 14, q. 7.* Mer. *sect. V, c. XXI, n. III,* et Cav. *tom. 2, dec. 328, n. XII* censent Beatos posse nominari, et quidem primo loco, de iis fiat officium, quia, de quibus permittitur officium, certo permittitur quidquid ad officium spectat. Si autem non permittatur officium, etiam non permittitur sine speciali facultate eorum nomina in Martyrologio exprimere, quia cultus Beatorum totaliter est reservatus."

Rub. 5. In fine cujuslibet diei semper additur: *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum.* Et respondetur a Choro: *Deo gratias.*

Rub. 6. Festa mobilia cum singulis annis mutentur, non potuerunt in Martyrologio adscribi: sed hoc loco posita sunt, ut unumquodque post Calendarium et Lunae pronuntiationem, immediate praeponatur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo.

Sequuntur in Martyrologio formula pro Festo SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam, et deinde peculiares formulae pro Dominica Septuagesimae, feria IV Cinerum, Dominica Palmarum, feria V in Coena Domini, Festo Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis et Corporis Christi.

Apud Lohner P. V habetur specialis Titulus, scilicet 39, *de Nominibus, quae in Martyrologio dubiae sunt pronuntiationis, rite pronuntiandis.* Brevitatis causa cogimur ad eum remittere Lectorem.

TITULUS XVI.

DE HORIS TERTIA, SEXTA ET NONA [1].

Rub. 1. Ad Tertiam, Sextam et Nonam ante singulas Horas dicitur, *Pater Noster, Ave Maria, Deus in adjutorium,* Hymnus, et Psalmi, ut in Psalterio: Antiphonae secundum Officii qualitatem, ordine quo supra. Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate Officii: quae in Dominicis et Feriis, quando non habentur propria in proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum,* et Oratio, quae habetur in proprio de Tempore, si autem fit de Sancto, ut in proprio Sanctorum: alioquin ut in Communi.

1. Uti jam dictum est, hae Horae nomen suum sortiuntur ab hora suae recitationis.

2. Notandum est ad vers. 14um primi psalmi Tertiae: „Juxta vetera et emendatiora Breviaria, legendum esse: in testimoniis tuis.“ S. R. C. 12 Aug. 1854, ad 81 *in Lucionen.*

3. De Oratione Dominica semel tantum dicenda pro fine unius Horae et initio alterius, vid. Tit. XXXII.

Rub. 2. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum,* et dicitur *Benedicamus Domino* [2], *Fidelium animae* [3], et *Pater*

1) Vid. dicta *pag. 60 seq.*

2) Gav. *sect. 5, c. 22, n. 2,* ex Hugone refert *Benedicamus Domino* voce puerili, hoc est, a pueris cantari, quia omnis laus puerilis est, respectu Dei, quem laudamus: et quidquid hic dici potest, minus est laude Dei, *Deo gratias,* quasi dicamus: placet, ut pium est, in laude Dei superari.

3) »Pietas Ecclesiae erga Defunctos ea est, ut peracto officio divino ad utilitatem vivorum, suffragetur statim et Defunctis, qui degunt in Purgatorio; eo versu finali addito: *Fidelium animae,* etc., cujus tamen ritus non meminere antiqui.« *Ibid. n. 8.* Deinde *n. 4* explicatur quare dictus vers. omittatur ad Completorium et post Horam quam sequitur Officium parvum B. M. V. etc.

noster secreto, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.

„Dicta Oratione Dominica pro fine Horae, addimus Versum, *Dominus det nobis suam pacem.* Quem apud antiquos fuisse in usu docet Dur. *lib.* 5, *cap.* 2, *n.* 6. Sequitur autem una ex Antiphonis B. V." Gav. *sect.* 5, *cap.* 32 ad Tit. XXXVI, *n.* 5.

Dictus autem versus omittitur ad Primam et ad Completorium, atque ad alias Horas quando alia immediate incipitur.

TITULUS XVII.

DE VESPERIS [1].

Rub. 1. Ad Vesperas, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, etc. Deinde dicuntur quinque Psalmi, cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem et Feriis, Antiphonae et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona, *Alleluja*) nisi aliae propriae Antiphonae vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus et triduo ante Pascha) assignentur.

Rub. 2. Post Psalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat* [2] cum eodem Cantico, et Oratio; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii.

Rub. 3. Preces, quando dicendae sunt, dicuntur ante Orationem; Commemorationes vero de Cruce, sancta Maria, Apostolis, Patrono et Pace, post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum, ut in aliis horis.

1) Vesperae ita nuncupantur a Tempore suae recitationis, scilicet, Vespertino. Dominicae et Festa 9 lectionum habent I et II Vesperas. Vid. not. *pag. 170.*

„Certe, ait Gavantus *sect. 4, cap. 5, n. 2,* a primis Vesperis inchoatur Festum, quod forte a Davide deduci potest: *Vespere,* inquit, *mane et meridie narrabo, etc. Psalm. LIV.* Docet Amalar. *de ordine Antiph. cap. 16*, deductum ab Hebraeis, quibus dictum, *Festa vestra celebrabitis a Vespera usque ad Vesperam.* Et vere magnitudo Festi exigit, ut prius incipiat, hoc est a Vesperis pridianis; et tardius terminetur, id est, usque ad Completorium diei Festi."

2) Gav. *n. 8,* octo adducit rationes ob quas Canticum *Magnificat* assignetur Vesperis.

TITULUS XVIII.

DE COMPLETORIO.

Rub. 1. Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio: deinde *Pater noster*, *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Converte*, *Deus in adjutorium*, Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison*, cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio.

Completorium ita dicitur, quia eo ipsamet dies vel Officium divinum completur.

Idem est modus incipiendi Completorium sive a Vesperis separetur sive non: in neutro casu ei praeponenda est Oratio Dominica, nec salutatio Angelica; sed semper *absolute* dicitur lectio brevis.

„Moniales in recitatione Lectionis brevis ad Completorium dicere debent: *Jube Domne benedicere*, et *Fratres, sobrii estote* etc., contrarium tamquam abusum omnino abolendum esse.“ S. R. C. 16 Sept. 1673, n. 2504, 7.

Recitans solus dicit *Misereatur nostri* etc., ut ad Primam.

Rub. 2. Post Versum *Benedicat et custodiat nos, etc.* dicitur una ex Antiphonis beatae Mariae, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem: et dicto Versu, *Divinum auxilium,* dicitur secreto, *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*.

TITULUS XIX [1].

DE INVITATORIO.

Quaedam praenotanda sunt cum Fornici, *P. II, cap. 21,* de sensu mystico et origine Invitatorii. „Optime, ait, animadvertit card. Bona, *cap. 16, 8,* quod sicuti tubarum clangore dispersae militum classes ad ineundum contra hostem certamen invitari solent; ita ante prolixiorem Nocturnae Psalmodiae decursum filios suos per Davidicum psalmum, *Venite adoremus Dominum*, invitat Ecclesia ad adorandum Dominum, qui rex magnus est, et rex magnus super omnes deos; ad plorandum coram eo, qui parcendo conservat, et ad ejus gloriam in Sanctis suis praedicandam.

1) Incipit 3ª pars Rubricarum gener. Brev., scilicet de partibus Horarum. Cf. dicta *pag. 127*.

Et quoniam ante psalmum brevis praemittebatur antiphona, quae ad singulos psalmi versiculos cantu intercalari repetebatur; hinc ante hunc psalmum brevis etiam dicitur antiphona, quae, *Invitatorium* ex ipso psalmi 94 argumento nuncupata, in Officio Mozarabico *Sonus* appellata, quasi tuba revera sit ad Deum laudandum excitans, quaeque per singulas psalmi stationes sexies integra, ter dimidiata iteratur."

„Asserit Grancolas *lib.* 5, *cap.* 2, originem habuisse Invitatorium a Monachis, qui hoc signo mane excitabantur, verbaque illa, ut expergefierent, annuntiabantur, non secus, ac in Monasteriis, cum Regulares a somno excitantur, hodie dici solet, *Benedicamus Domino.* Hoc autem de antiquissimis Monachis intelligendum est. . ."

Rub. 1. Invitatorium semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo, *Venite exultemus*, ordine in principio Psalterii descripto; sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio et proprio de Tempore, ac in proprio et communi Sanctorum.

„Ecclesia vero, ait Cavalieri, *tom.* 2, *dec.* 298, *n.* 2, psalmum *venite* recitat ad matutini initium juxta vetus Psalterium Romanum, quod quibusdam in locis a Vulgata differt, et in die Epiphaniae ad tertium nocturnum juxta Vulgatam illud legit."

Rub. 2. Non dicitur in die Epiphaniae, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur, nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis Defuncti, et quandocumque dicuntur tres Nocturni.

TITULUS XX.

DE HYMNIS.

Hymnus, ex graeco ὕμνος, idem sonat ac Laus cum cantu. Hymni enim sunt cantus continentes Laudes Dei, ita ut tria constituant Hymnum Officii divini, scilicet: Laus et quidem Dei, et cantus. Cf. Gav. et Mer. *h. l.* ubi late agitur de origine, de auctoribus, de metro, de correctione, etc. Hymnorum. De correctione Urbana, vid. supra Bull. *Divinam psalmodiam*, § 2.

Rub. 1. Hymni semper dicuntur in qualibet hora, praeterquam a triduo ante Pascha, usque ad Vesperas

Sabbati in Albis exclusive, et praeterquam in Officio Defunctorum.

Rub. 2. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum *Venite,* repetito Invitatorio, praeterquam in die Epiphaniae. Ad Laudes et Vesperas dicitur post Capitulum; ad Horas ante Psalmos; ad Completorium post Psalmos et Antiphonam.

Rub. 3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt: qui Hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati, dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae exclusive. In Officio de Sanctis, dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in proprio Sanctorum habeantur.

Quando hymnus proprius non potuit recitari in I Vesperis, neque in Laudibus, uniri debet hymno Matutini, si est historicus, ut in festo s. Martinae 30 Jan. et s. Venantii 18 Mai.; secus non, juxta dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 47. De hymno proprio vel II Vesp. anticipando ad Laudes, vel I Vesperarum dicendo ad II Vesp., ne alias omittatur, vid. dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 8.

Rub. 4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium Beatae Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni *Ave Maris stella,* et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum Versum proprium) dicitur *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine,* ut in ejus Officio parvo, etiam si dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

Ab hac Rubrica duo excipienda sunt Festa B. M. V., scilicet, Festum 7 Dolorum, Dom. 3ª Sept., et Festum exspectationis Partus. In primo, juxta peculiarem Rubricam, hymni concluduntur per verba: *Jesu tibi sit gloria, qui passus es pro servulis;* et de secundo habetur sequens decretum: S. R. C. „declaravit in Festo exspectationis Partus B. V. Hymnos esse concludendos cum versibus: *Virtus,*

honor, laus, gloria; et breve responsorium ad Primam esse debere: *Qui venturus es in mundum.*" 26 Nov. 1735, n. 3889, 4. Cujus exceptionis ratio esse videtur, quia non congruit ut *natus* dicatur is cujus Nativitatis exspectatio recolitur. Addi potest hoc officium considerari posse tanquam de Adventu.

Extra has exceptiones, servanda est praedicta Rubrica. Quod in specie declaravit S. R. C. de Octava Immac. Conceptionis. Nam quando occurrit in Dom. Adventus, omnes hymni terminandi sunt cum versibus: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine,* 5 Mai. 1736, n. 3894, *alia dubia, 13.* Item de Festo 7 Dolorum, feria VI post Dom. Passionis, Rubrica peculiaris hoc ordinat: Ad Completorium et per Horas in fine Hymnorum dicitur: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.* Caeterum si habeantur alia festa peculiariter concessa, servetur tenor Concessionis.

Rub. 5. In Epiphania Domini, et per Octavam, in fine omnium hymnorum dicitur, *Jesu, tibi sit gloria, qui apparuisti gentibus.*

Rub. 6. A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur *Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis;* etiam in Festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum Versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

Rub. 7. In Ascensione autem usque ad Pentecosten (praeterquam in Hymno *Salutis humanae Sator*) dicitur *Jesu, tibi sit gloria, qui victor in Caelum redis;* similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.

Rub. 8. In Transfiguratione Domini dicitur *Jesu, tibi sit gloria, qui te revelas parvulis.* Aliis temporibus terminantur hymni, ut suis locis ponitur.

Quaedam veniunt adnotanda de his Rubricis, et deinde nonnulla sunt subjicienda de Hymnis *Veni creator,* et *Iste Confessor.*

1. Juxta has Rubricas, 4 et sqq., tria requiruntur ut mutatio fiat in conclusione Hymnorum, videlicet 1° ut sit infra Tempus aut Octavam, vel in Festo quae propriam habent conclusionem, 2° ut Hymni sint ejusdem metri, nec 3° habeant ultimum versum proprium. De prima conditione haec adnotanda sunt. 1° Dicitur *infra tempus aut octavam,* quia juxta has Rubrieas, mutatio, praescripta

ratione Temporis vel Octavae, semper fit quamvis in festo nulla agatur commemoratio de Tempore aut Octava, sicuti eadem ratione dicitur Praefatio de Tempore vel de Octava, quamvis eorum commemoratio omittatur in Missa. Rub. Tit. XII, 2 et 3. Cf. Gav. *sect. 5, cap. 6, n. 14,* et S. R. C. 29 Nov. 1755, n. 4110, 2.

2° Dicitur *in Festo,* id est in officio Festi, de quo (pro conclusione ad Vesperas et ad Completorium) fiat saltem a Capitulo. Quia *a)* certum est omittendam esse, ad Vesp. et ad Complet., conclusionem propriam Festi, quod non habet saltem commemorationem; et *b)* idem generatim est dicendum si Festum habeat vel solam commemorationem, vel commemorationem cum Vesperis usque ad Capitulum. Hoc in specie certum est si praecedens et sequens habeant propriam conclusionem. In casu enim servanda est propria conclusio illius de quo fiunt vel Vesperae integrae, juxta dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 9, vel, ut satis patet, a Capitulo. Item si praecedens tantum habeat propriam conclusionem. haec erit omittenda si de sequenti fiat a Capitulo. S. R. C. 23 Nov. 1602, n. 31. Et ratio est, quia in casu conclusio propria non pertinet ad Officium seu Festum currens. Hoc tamen intelligendum est, secluso privilegio. In hypothesi hujus privilegii accipienda sunt quae tradit Gavantus *l. c.*

Notandum autem est mutationem fieri non posse auctoritate privata, sed tantum in casibus per Rubricas aut Decreta assignatis. Cf. dec. 21 Jan. 1662, n. 1998, 19 Jun. 1700, et 12 Nov. 1831, n. 4520, 57.

2. Conclusio Hymni *Veni creator* non est varianda propter Octavam infra quam cantatur [1]; et extra tempus Paschale, semper dicenda est Stropha: *Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio* [2]. Sed intra tempus Paschale servatur propria Stropha [3]: *Deo Patri . . . et Filio qui a mortuis.*

3. Ad 1am Stropham Hymni *Iste confessor,* post verba, *hac die laetus meruit beatas scandere sedes,* ponitur sequens Rubrica: „Si non est dies obitus dicatur: *hac die laetus meruit supremos laudis honores.*“

De ratione computandi diem obitus seu Natalis San-

1) Cf. dec. 7 Apr. 1832, n. 4532, 2.
2) Dec. 28 Jul. 1832, n. 4546, 4.
3) Dec. 3 Aug. 1839, n. 4713, 11.

ctorum habetur nota ad pag. 314. De mutatione 3^{i} versus in Hymno, hic adnotanda sunt sequentia.

1° Ex hac Rubrica patet non esse distinguendum an Festum, quod *extra diem obitus* celebratur, sit accidentaliter vel in perpetuum translatum [1]. 2° Cum Octava festi sit ejusdem continuatio, infra illam nulla fit mutatio, etiam si festum impediatur propria die et reponatur infra suam Octavam [2]. 3° Neque fit mutatio quando de festo, ad diem proxime sequentem translato, dicuntur ipsa die vel integrae Vesperae vel saltem a Capitulo [3], quia officium continuatur prout fuit incoeptum. Secus si habeat solam commemorationem [4]. 4° Exinde solum quod festum celebratur die mortem sequente, non potest deduci dictum vers. esse mutandum; quia ex dictis de ratione computandi diem Natalem, fieri potest ut dies sequens habeatur pro die Natali. Sic v. g. mutatio illius vers. non assignatur in festo S. Alphonsi de Ligorio, quamvis obierit Calendis Augusti. 5° Quando mutatio assignatur in Breviario, ea facienda est quamvis ex dictis forte videretur omittenda. Cf. Rub. ad festum S. Petri Chrysologi 4ª Decemb. 6° Quando ignoratur dies Natalis Sancti qui colitur in particulari Ecclesia, tunc satius est dicere, *meruit supremos laudis honores,* quia hoc semper verificatur.

De Festo translato Stigmatum S. Francisci notandum est nullam mutationem esse faciendam in Hymno. S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970, 8. Itaque Hymnus legendus est ut in die propria festi, ubi nulla assignatur mutatio pro casu translationis.

TITULUS XXI.

DE ANTIPHONIS.

Vocabulum *Antiphona*, ex ἀντί et φωνή compositum, idem significat ac vox opposita seu contra sonans, et denotat cantum unius Chori alteri respondentis. Unde, spectata vocis notione, hymni et psalmi recte dicerentur etiam Antiphonae, uti aliquando nuncupati sunt. Sed usus invaluit, et in Rubricis servatur, ut *Antiphona* solum dice-

1) Cf. dec. 11 Jun. 1701, n. 3437, 5.
2) Dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 8.
3) Dec. 13 Jun. 1682, n. 2840, 6.
4) Cf. Rub. pro festo S. Hyacinthi, 16 Aug. et dicta supra de conclusione in casu non mutanda.

retur illud breve canticum, illa sententia, quae recitantur aut cantantur ante et post Psalmos aut Cantica. Cf. Merati.

Antiphonae distinguuntur in Scripturales, Historicas et mixtas, prout desumuntur ex S. Scriptura, ex historia aut ex utraque.

De Antiphonis, quae ex Psalmis depromuntur, hoc notandum venit cum Deherdt. „Antiphonae et Psalmi quandoque differunt, ut Antiphona secunda Matutini Dominicae et versus 12[us] Psalmi septimi, unde eadem Antiphona desumpta est, quia tempore S. Pii V., qui vulgatam versionem s. Scripturae Breviario inseri voluit, Psalmi tantum et lectiones juxta eamdem versionem inserta fuerunt; Antiphonae vero juxta versionem, secundum quam antea legebantur, retentae fuerunt. *Grancolas Comm. hist. in Brev. lib. 2, c. 1.*"

Rub. 1. Ad omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonae, vel una vel plures, pro diversitate Officii et Horarum.

Rub. 2. Si de tempore fiat Officium, id est, de Dominica aut feria, dicuntur Antiphonae ut in Psalterio, quae cum Psalmis positae in Vesperis Dominicae et Feriarum, in Completorio, et in Nocturnis (etiam quando fit Officium de Festo trium Lectionum, id est, Simplici), numquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona *Alleluja;* excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas et Nocturnos Dominicae, ponuntur Antiphonae propriae. In Laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in proprio de Tempore habentur: cum vero non assignantur propriae, semper dicuntur quae positae sunt in Psalterio.

Rub. 3. Antiphonae, quae in proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad *Magnificat* pro prima Dominica alicujus mensis, sumendae sunt ex ea Dominica, quae est proximior Calendis, vel est in Calendis illius mensis; ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti; et semper in Sabbato ponitur Antiphona ad *Magnificat,* quae contigua est libro Scripturae in Dominica ponendo.

Rub. 4. In Festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur Antiphonae de Laudibus, nisi propriae in Vesper[is] assignentur. Ad horas similiter, tam in Officio de Te[m]pore, quam de Sanctis, quando habentur propriae a[d]

Laudibus et aliae propriae non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quarta praetermissa, hoc ordine: ad Primam, prima; ad Tertiam, secunda; ad Sextam, tertia; ad Nonam, quinta.

Rub. 5. In Feriis Adventus, quae non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicae praecedentis. Ubi vero in Laudibus Feriarum fuerint propriae, sumuntur ex ipsis Laudibus.

Rub. 6. Tempore Paschali, in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quae Officio convenit, ut suis locis ponitur: et in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluja,* quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluja*, tacetur, neque aliud ejus loco dicitur.

Sub unica Antiphona, quae, in Festis 9 Lectionum, erit prima singuli Nocturni. Mer. *n.* 2. Vid. Cav. *tom.* 2, *dec.* 299, *n.* 1.

Rub. 7. In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum, Antiphonae dicuntur ante Psalmos, vel Cantica integrae, et post Psalmos vel Cantica integrae repetuntur: in aliis Horis, et in officio non duplici, in principio Psalmi vel Cantici inchoatur tantum Antiphona (1), deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici (2), sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluja.*

(1) *Inchoatur tantum Antiphona.* Quemadmodum Urbanus VIII, commoditati canentium consulendo, scilicet quo facilius Chorus possit uniformiter pausare et unisonus esse, Asteriscis (id est stellulis a verbo *Aster*) divisit versus Psalmorum, ita in Antiphonis asterisco communiter signatur locus ubi Antiphonae secandae sunt quando non dicuntur integrae. Cf. S. R. C. 5 Mai. 1736, n. 3894, *Tit. de Antiph. ad* 6, et Cav. ad hoc dec. *in Ord.* 299, *n.* 2.

Quando autem desiderantur hujusmodi Asterisci, tunc in enuntiatione Antiphonarum duo sunt attendenda, uti communiter monent Rubricistae, videlicet: *a)* initium illarum nunquam sit unius syllabae (vid. Ant. ad psal. V, fer. 2), *b)* neque sit ejusmodi ut orationem absurde praecidat.

(2) *Et quando Antip. . . incipit sicut Psalmus vel Canticum . . . non repetitur.* Ex verbis, *incipit sicut,* constat psalmum esse continuandum, si verba Antiphonae enuntiata, eadem sint cum initio psalmi, quamvis reliqua discrepent. Cs. Cav. *l. c.*

Non repetitur . . . nisi, ut etiam annotatur ad III Noct. Dedicationis, *discontinuetur per* Alleluja.

Rub. 8. Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, semper cedunt, quae habentur in Psalterio et in Communi Sanctorum.

Rub. 9. Quando fit aliqua commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu, quae sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit commemoratio; ita ut in Vesperis sumatur antiphona, quae assignatur ad *Magnificat;* in Laudibus, quae ad *Benedictus,* cum Versibus, qui habentur post Hymnum.

Rub. 10. Antiphonae sanctae Mariae, positae in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica disponitur.

TITULUS XXII.

DE PSALMIS.

Rub. 1. Psalmi in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et Feriis dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio, nisi aliquando aliter in proprio de Tempore signetur. In festis autem dicuntur, ut in propriis locis signantur: alioquin, ut in Communi Sanctorum.

Psalterium in divino Officio ita distribuitur, ut, si de Tempore fiat officium, integrum in singula hebdomada recitetur. De Vocabulo, Auctore, Ordine, Materia, Cantu, et usu Psalmorum agit Gav. *h. l.*

Matutinum de Dominica habet 18 psalmos; de Feria, 12; de Festis dup. et semid., 9 Rationes mysticas horum numerorum exponit Gav. *sect. 4, c. 1, n. 10 sqq.*

Rub. 2. Psalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico *Benedicite,* dicuntur in omnibus Festis per annum, et in Feriis temporis Paschalis.

Ratio est quia illi psalmi sonant laetitiam et triumphum. Ideo non iidem dicuntur in Officiis poenitentiae. Nam 1° „duo ex his mutantur in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive: vice quorum dicimus Psalmos, *Miserere,* et *Confitemini,* ad timorem, et spem eo

tempore excitandam: timorem ob peccata in primo, spem ex bonitate Dei in altero. Haec *Amalar. lib. 4. de Offic. cap. 18,* et quia non est tempus laetitiae, quam exprimunt ii duo Psalmi, *Dominus regnavit, et Jubilate.* Sed dices: cur deinde dicitur alter eorum in Prima? Respondeo: ne in tota Hebdomada Feriali omittatur Psalmus ullus de Psalterio: alter autem locum habet in Nocturno Sabbati: et haec ad literam.“ Gav. *sect. 4, c. 2, n. 9.* Et 2° „in Feriali Officio per annum primus Psalmus est Poenitentialis, *Miserere,* quia dies Feriales sunt Poenitentiae, inquit *Hugo 1. de Offic. cap. 10.* secundus variatur, ut expleatur Psalterium; sed in qualibet Feria reperies in secundo Psalmo mentionem fieri Matutini temporis, ut videantur magis proprii ad rem. . .“ *Ibid. n. 10.*

Rub. 3. Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio; etiam in Dominicis, quae occurrunt infra Octavas Sanctorum) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive: et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive: a Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit,* quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere,* ut suo loco ponitur. In Dominicis vero temporis Paschalis, a Dominica in Albis inclusive usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis, addito Symbolo S. Athanasii. Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini,* in feriali tantum Officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale. In Feriis vero temporis Paschalis, in Festis per annum, et in Sabbato, sive de S. Maria, sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet: *Deus in nomine tuo, Beati Immaculati,* et *Retribue;* etiam si Festum duplex celebretur in Dominica.

Psalmus *Confitemini* dicitur in Dominicis, quia in eo habetur versus qui est de resurrectione Domini, quam significat dies Dominica, scilicet: *haec dies, quam fecit Dominus.* Gav. *sect. 4, c. 3, n. 5.*

Rub. 4. In Dominicis autem, quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio, post Psalmos additur semper

Symbolum S. Athanasii *Quicumque*, ut infra in propria Rubrica dicitur.

Rub. 5. Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, numquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

Rub. 6. Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis festorum, excepto ultimo, qui mutatur; cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra octavam dicuntur Psalmi, ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octavae dicuntur ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.

Rub. 7. In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri*, praeterquam in Psalmo *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*, et in Psalmo, *Laudate Dominum de caelis*, qui conjunguntur cum aliis Psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur *Gloria Patri*, ut suis locis notatur. Praeterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadae ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, cujus loco pro Defunctis dicitur, *Requiem aeternam dona eis Domine*, etiam si fiat Officium pro uno tantum.

Praeterea non dicitur in triduo, etc. „quia in Passione Christi visa est Trinitas obscurari. Durand. *lib.* 6. *cap.* 72; neque in Officio Defunctorum, quia versus est laetitiae, non moeroris. Walafrid. *cap.* 25." Gav. *h. t. n.* 12.

Rub. 8. Ut sacrae Vulgatae editionis puritas inconfusa et illibata servetur etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Asteriscus * ut sit nota musicae partitionis in medio Versu.

Asteriscus additus est in correctione facta jussu Urbani VIII.

TITULUS XXIII.

DE CANTICIS [1].

Rub. 1. Cantica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis quam Feriis, ad Laudes, Vesperas, et Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

Rub. 2. In Festis et Tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite*, ut in Dominica; et in

1) Canticum et Psalmus ab Euthymio distinguuntur in eo, quod Psalmus sit carmen cum instrumento psalterii, canticum vero vox musica cum harmonia solo ore prolata.

fine ejus non dicitur *Gloria Patri* [1], sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur *Amen*. Alia Cantica ferialia, ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit Officium de Feria extra tempus Paschale.

Rub. 3. Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio.

TITULUS XXIV.

DE VERSIBUS [2].

Rub. 1. Versus semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum et Antiphonam Nocturnorum: sive in Officio dicantur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes et Vesperas Versus dicitur post Hymnum: ad horas dicitur in Responsorio brevi, post repetitionem partis Responsorii, dicto *Gloria Patri.*

Rub. 2. In Pascha Resurrectionis, et per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive in Nocturno tantum dicitur Versus; in aliis horis non dicitur, ut ibidem.

Rub. 3. Quando fit aliqua commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum et Laudum, nisi aliter notetur.

Rub. 4. Versibus praedictis tempore Paschali semper additur *Alleluja;* non autem Versibus precum, nec in *Pretiosa* ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini.

Rub. 5. In Officio Festi trium Lectionum, post omnes Psalmos feriales cum Antiphonis, dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine: Feria secunda et quinta, Versus primi Nocturni: Feria tertia et sexta, Versus secundi Nocturni: Feria quarta, Versus tertii Nocturni.

1) Quia in duobus praecedentibus verss. eadem exprimitur glorificatio.

2) Versus a vertendo, inquit Mer. *n. 1*, dicitur, vel quia ab Officio Psalmorum ad Lectiones vertimur, vel quia quando Versum audimus, faciem illico vertimus ad Altare, ut omnis cogitatio, quae foras exivit per vagationem, revertatur ad Deum per devotam introversionem, ut loquitur Cardinalis Bona de Divina Psalmodia *cap. 16*, *§ 13.* Canitur autem Versus clara, et accita voce, inquit praefatus Cardinalis, ut eo audito excitentur pigri, et revertantur ad cor. Rursus canitur Versus ab uno, vel duobus cantoribus, juxta qualitatem Ritus sub quo celebratur Officium, duplicis, vel semiduplicis, et canitur nomine totius coetus; Chorus deinde junctis omnium vocibus respondet.

Rub. 6. Versus positi in Psalterio ad Laudes et Vesperas semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in proprio de Tempore.

TITULUS XXV.

DE ABSOLUTIONIBUS ET BENEDICTIONIBUS ANTE LECTIONES.

Unde oriantur et quid hic significent *Absolutio* et *Benedictio*, hujusque petitio et datio. — 1. Nihil innovandum videtur in petitione Benedictionis, quando quis solus recitat. — 2. Dictio *Festum* servatur infra totam Octavam, in Festis translatis aut immutatis, necnon in Officiis votivis. Numerus pluralis vel singularis in Festis SS. Angelorum. — *Rub.* Absolutiones et Benedictiones *a)* pro Officio et Festo 9 LL. *b)* In Officio aut Festo 3 LL., *Absolutiones* semper dicuntur juxta ordinem feriarum, sed quoad *Benedictiones* distinguendum est an officium sit de tempore aut de festo, ex qua feria desumendae sint, an legendum sit necne Evangelium cum sua Homilia. — Quae in officio S. Mariae in Sabbato.

Dictae Absolutiones [1] et Benedictiones [2], harumque petitio [3] reperiuntur ordine et cum suis rubricis positae initio

1) Absolutio, de qua hic, ita explicatur a Cav. *tom. 2, dec. 301, n. 3.* „*Jube* praecedit brevis oratio, quae dicitur *Absolutio,* quod per eam *absolveretur* nocturnum, instar orationis illius *Dominus nos Benedicat etc.* qua absolvitur Prima, vel *Benedicat et custodiat nos, etc.,* quae dicitur ad Completorii finem; operam enim perderet, qui alio pacto *Absolutiones* istas explicare tentaret, cum nihil commune habeant cum absolutione illa, quam remissionem etiam peccatorum appellare solemus, in tertia quippe tantum mentio fit peccatorum, quorum venia petitur: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat, etc.* Ab hac tamquam nobiliori etiam ceteras *Absolutiones* appellari censet Gavantus *sect. 5, cap. 11, n. 2,* at cum in officio trium lectionum, quod olim erat frequentius, ut plurimum tertia absolutio locum non habeat, non videtur, quomodo ceteris denominationem praedictam praestare potuerit.“

2) Benedictio ex parte legentis est species petitionis licentiae legendi, et ex parte benedicentis est species missionis juxta illud Apostoli ad Rom. X, 15: *Quomodo praedicabunt nisi mittantur.* Dicitur benedictio a gratia seu benedictione, quae petitur et conceditur. Deherdt h. l. Cf. Gav.

3) „Nocturnum olim, ait Cav. *l. c. n. 1,* post psalmos terminabat, lectiones namque a Monachis additae fuere, qui cum choro, ut Clerici, illico non exirent ibique diutius perstarent, lectionibus vacabant; et hinc petenda est origo *Jube Domne bene-*

cujusque partis Breviarii. Ita clare ibi disponuntur ut pauca tantum hic veniant adnotanda, 1° de petitione *Jube Domne*, et 2° de octava Benedictione.

1. Nomen *Domnus* est, juxta usum hodiernum, appellatio hominis praeclari. Sic Papa Domnus appellatur in Litaniis Sanctorum. Sed solus Deus in liturgia dicitur *Dominus*. Cf. Gav. *n. 4.*

Quaeritur an qui solus recitat officium debeat dicere, *Jube Domine* et non *Domne?*

R. Videtur negandum. Ad quaestionem ita respondet Cavalieri, *tom. 2, dec. 301, n. 2.* „Id putarunt, inquit, nonnulli quod iste aliquem ex hominibus non habeat, qui possit benedicere; tum etiam quia Sacerdos in Missa privata dicit *Jube Domine*, non *Domne*, cum lecturus est Evangelium. . . Petrus Damianus, *lib. 3, de Virgin.* refert hoc dubium a quibusdam Eremiculis jam fuisse excitatum, atque resolvit, eodem semper pacto officium divinum esse recitandum, aeque ac si in communi diceretur, quia qui illud recitat, totius Ecclesiae nomine orat, ac loquitur, eamdemque repraesentat, quare sicuti haec est una in pluribus, ita ea uno membro plures homines complectitur, ac consequenter qui solus recitat, loqui posse, non secus ac si cum pluribus oraret, et ideo etiam dicit *Dominus vobiscum, Oremus, Venite, Adoremus, etc.* Equidem qui solus recitat, omnia dicere debet ut in Breviario, cum nulla exceptio facta sit pro singillatim recitantibus, nisi forte pro confessione, et mutatio quaelibet, vel levis, rigide maneat inhibita. Ratio, quam ex Damiano dedimus, potest esse optima; cur vero in Missa dicatur *Jube Domine*, et non *Domne*, non est facile stabilire, haec tamen ratio congrua esse potest, quod Sacerdos ad Altare ratione excellentissimi ministerii, quod exercet, aptus non videtur alium, quam Deum, in superiorem agnoscere, et ideo sicuti ratione Pontificiae dignitatis Papae, et Episcopalis Episcopo, dum ad Matutinum in Choro lectionem legunt, datum est dicere *Jube Domine*, et non *Domne*, ita idipsum datum est Sacerdoti celebranti. Quod autem ratione tantae dignitatis his concessum est, traduci non potest ad ceteros, qui in choro nullum Superiorem haberent, ut scite monet Gavantus, ubi de caeremoniis agit, sed ab aliis dici debet, etiam *dicere*, sive veniae in cleri officium invectae, quam Lector ab Abbate petebat, priusquam legeret.“

dum privatim dicitur, tamquam cum aliis, et coram Superiore diceretur, cum recitatio privata in locum publicae subrogetur; cum autem qui solus recitat, sibi petenti benedictionem impertit, aliorum nomine loquitur."

2. Octava Benedictio semper adhibetur prout indicatur in Breviario, tam infra Octavas quam in Festis translatis aut mutatis, vel in Officiis votivis. Cf. pt. dec. 13 Feb. 1666, n. 2213, 1, 2 et 3, et 5 Mai. 1736, n. 3894, *ad Tit. de Bened. dub. 1.*

Eadem octava Benedictio, in Festis Angelorum, aliquando dicitur in numero plurali, aliquando in singulari, uti in Breviario signatur. Hujus discriminis rationem assignat S. R. C. declarando. „In Officio sanctorum Michaëlis Archangeli, et Angeli Custodis dicendum — *Quorum Festum colimus* — quia est Festum omnium Angelorum, quemadmodum patet ex ipsis lectionibus, et in Oratione omnium Angelorum patrocinium imploramus. In Officio autem S. Gabriëlis, ejus Festum colitur, et in Oratione ejus auxilium, et patrocinium invocatur; prout quoque fit in Officio S. Raphaëlis, sicuti apparet in Oratione, quae dicitur in eorum Officiis, ideo dicendum esse — *Cujus Festum colimus etc.*" Die 13 Sept. 1692, n. 3146, 5. Cf. Cav. *l. c. dec. 301 et sq.*

Rub. 1. Absolutiones et Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet post Versum, dicto *Pater noster, Et ne nos,* dicitur Absolutio et Benedictiones, ut ibi: praeterquam in Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadae, et in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio et Benedictiones non dicuntur.

Rub. 2. Si fiat officium trium Lectionum, et sit de Feria, in qua singulae tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio et Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine: Feria secunda et quinta dicuntur Absolutio et Benedictiones primi Nocturni; Feria tertia et Sexta, secundi Nocturni; Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni.

Rub. 3. Si autem singulae tres Lectiones sint de homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra: Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, scilicet: prima Benedictio erit *Evangelica lectio:* secunda *Divinum auxilium:* tertia *Ad societatem.* Si fit de

Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra: Benedictiones vero semper dicuntur, ut in tertio Nocturno, hoc modo: prima, *Ille nos Benedicat:* secunda, *Cujus*, vel *Quorum*, vel *Quarum Festum colimus:* tertia, *Ad societatem.*

Rub. 4. Quando fit Officium sanctae Mariae in Sabbato, Absolutio et Benedictiones dicuntur, ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.

Notandum hic non agi de Officiis B. M. V. novem Lectionum concessis pro Sabbatis.

TITULUS XXVI.

DE LECTIONIBUS.

Etymon vocis. — Origo usus Lectionum in Officio divino. — *Rubricae.* 1. Leguntur 9 vel 3, pro qualitate Officii. — 2. In *Officio 9 Lectionum,* tres 1ⁱ Noct. communiter sunt de Scriptura occurrente; in 2 Noct., leguntur de vita Sancti, vel de Sermone aut Tractatu; et in 3 Noct., regulariter tres leguntur de Homilia in Evangelium. Exceptio. — 3. Alia exceptio regulariter facienda, quando Sanctus, de quo fit commemoratio, unam aut duas habet LL. proprias. — 4. In *Officio 3 Lectionum,* hae variantur, prout fit de Feria aut de Sancto. — Rubricae sqq. 5—8 agunt de LL. ex Scriptura. — 5. De distributione S. Scripturae. — 6. Initia Librorum fere semper in Dominicis occurrunt, et, si impediantur, transferuntur. Quo privilegio regulariter non gaudent reliquae LL. — 7. Si autem non Dominicis, sed infra Hebdomadam occurrunt, tunc, feria sequenti impedita, anticipantur ad praeced. — 8. Secus autem de Initiis Librorum, quando cessat tempus eis assignatum. Quaedam Rubricae, locis propriis positae, ad praecavendum ne omittantur quaedam Initia aut historia Martyrii Machabaeorum. — 9. Dicitur quando LL. cujusque Noct. sumendae sint de Communi, et quidem ex quo loco. — 10. Titulus Lectionum legendus vel non. — 11. Modus terminandi LL.

Lectiones ita dicuntur, quia communiter non cantantur, sed leguntur. Gav. Lohn. Et revera dici possunt non cantari, si attendatur et primitiva institutio et usus nunc communis. Lectionum usus non est Officio divino coaevus, sed postmodum a Monachis inductus. Cav. *tom. 2, dec. 304, n. 1.* „Quarum usus, ait Lohner, aliquos a Lectione, quae fiebat in Scholis Patrum: juxta alios a more Hebraeorum certis diebus in Synagoga de Lege et Prophetis legentium, originem sumpsit.“

Rub. 1. Lectiones leguntur ad Matutinum, dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Versibus, Absolutionibus quoque et Benedictionibus, ut supra. In Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quolibet Nocturno tres: in Feriis et in Festis simplicibus leguntur tantum tres Lectiones.

Rub. 2. In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura: quae quando (1) suis locis propriae, aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur, ut in officio de Tempore, quae sua quaque die occurrunt legendae. In secundo Nocturno, si fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit: quae si non adsint propriae, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum (2), quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, positae in proprio, aut ex Communi assignatae; et primae Lectioni de Homilia semper praeponitur principium Evangelii, de quo est Homilia, etiam infra Octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum Matutina Tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.

(1) *Quando suis locis propriae . . . non assignantur,* nec occurrit casus exceptus in Rub. 9 seq., tunc *semper leguntur, ut in officio de Tempore,* id est, de Scriptura quae illa die aut saltem illo Tempore occurrit et solet vocari Scriptura *occurrens.* Notare juvat Octavam Dedicationis, non autem Patroni, habere LL. assignatas in 1 Noct.

Propriae et legitimae, quales sunt quae reperiuntur in Breviario Rom. aut in proprio, si fuerint legitima consuetudine introductae, vel a S. Sede approbatae. Vid. Rub 9 seq. et dicta supra *pag. 96 sqq.* Ex quibus hic notandum est Lectiones aliasve partes proprias Officii, approbatas pro aliqua Ecclesia, non posse adhiberi in Ecclesiis quibus non fuerunt concessae. Haec enim extensio continet innovationem a privatis factam in Breviario, quae omnino inhibita fuit a S. Pio V.

Quam fidem mereantur LL. 2[i] Noct. Breviarii Rom. dictum est *pag. 109 sq.* Cf. Mer. *sect. 5, cap. 12, n. 10.*

(2) *Ex quo Communi completur numerus trium LL.*, id est, 1[a], vel 1[a] et 2[a] sumuntur de Communi, prout una vel duae sunt supplendae. Quae LL. sint legendae infra Octavam Patroni, dictum est Tit. VII, 4. Si pro 1 Noct. non assignentur propriae neque habeatur Scriptura occurrens, recurrendum est ad Commune, ut dicitur hic *Rub. 9.* — De LL. Sancti a Sociis separati dictum est *pag. 266.*

De LL. 3 Noct. duo veniunt notanda. 1° Quando transfertur Festum quod in propria die habet tantum duas LL., quia v. g. 9[a] assignatur de Dominica aut Simplice, tunc nona Lectio festi suppleri debet ex communi, si ibidem habeatur, ut in festo S. Clementis 23 Nov. de communi Conf. Pont. 2. loco; si autem homilia festi propria sit, et in communi correspondens non habeatur, nec in officio notetur quid sit agendum, tunc octava lectio dividenda est in duas, vel juxta Gav. *sect. 7, c. 11, ad 8[am] Sept.*, de septima et octava lectione tres faciendae sunt. Deherdt, *n. 60.* — 2° In Octava Dedicationis et S. Joannis Baptistae, Breviaria, saltem quae non sunt recenter edita, assignant LL. 3 Noct. ut in festo. Hoc autem intelligendum est de casu quo lectae fuerunt omnes LL. positae infra Octavam, juxta dec. 27 Aug. 1836, n. 4638, V. Cf. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 5. Unde cum hodiedum LL. 3 Noct. 2[ae] diei infra Octavam S. Joannis Baptistae semper impediantur Festo S. Gulielmi, eaedem, nunc assignantur in Breviario Rom., pro 3 Noct. diei Octavae. Et haec videtur peculiaris Rubrica ad quam remittit S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 4911, 3 et 4. Vid. tamen Deherdt, *n. 60, IV, 2.*

Quod dictum est de die Octava S. Joannis Bapt. et Dedicationis, applicandum etiam venit, uti docet Deherdt *l. c.*, diei Octavae SS. Angelorum custodum.

Rub. 3. Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium (1), contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem (2), nona Lectio legitur de Sancto: si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omissa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum, vel octavae Lectioni adjuncta (3). Quod si eodem die occurrat Dominica, vel Feria, quae habet Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur Homilia Dominicae vel Feriae, scilicet

vel prima Lectio de Homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctae.

(1) Quando *dicitur nonum Responsorium*, tunc omittitur nona Lectio de Sancto. Quia hujusmodi Lectioni non convenit dictum Responsorium, ut dicit Lohner. Item omittitur nona Lectio Sancti in Officio de die vel de Dominica infra Octavam Corporis Ch. [1], ne taceatur lectio loquens de SS. Sacramento (Cav. *tom. 2, dec. 121, n. 4*). Secus autem quando infra dictam Octavam fit de alio [2]. De Festo, quod habet ritum simplicem *per accidens* (vid. dicta *pag. 254*), legenda est nona lectio ut hic ordinatur, et etiam regulariter in dup. 1. cl.

In officio 3 LL. non legitur lectio Simplicis, qui solam habet commemorationem.

(2) *Qui propriam*, id est de ipsius vita (Tit. X, 9), *habet Lectionem.* Unde non potest dici *propria* Lectio, Sermo qui habetur in Communi talis Sancti. Secus autem si Sermo sit specialiter de Sancto, ut v. g. de SS. Machabaeis 1 Aug. et de S. Felicitate 23 Nov.

(3) *Vel octavae Lectioni adjuncta.* Quam conjunctionem Rubrica non praecipit. Aliquando tamen, spectata Lectionis natura, facienda est dicta conjunctio. Hinc Gav., cui assentit Lohner, docet dari quosdam casus in quibus nona debeat conjungi octavae, si scilicet nona contineat speciales Laudes Sancti de quo fit Officium 9 LL., ut in Festo SS. 7 Fratrum contingit. Lohn. cum Gav. *n. 16.* S. R. C. declaravit in Namurcen. 23 Mai. 1835, n. 4597, 6, „debere jungi si sint historicae, secus convenientius posse." Cf. Cav. *l. c. dec. 318, n. 2.*

Rub. 4. In Officio trium Lectionum, si fit de Feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habeat duas lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una: secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam servatur in Officio beatae Mariae in Sabbato.

1) Dec. 8 Jun. 1669, n. 2332.
2) Dec. 10 Jun. 1693, n. 3152, 9.

Si legatur una tantum, sumatur quae est prima de Scriptura.

Rub. 5. Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore sic distributae sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando aliae (ut dictum est) non assignantur.

Rub. 6. Initia librorum sacrae Scripturae (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in Festo aliae propriae Lectiones de Scriptura, vel de Communi assignentur: tunc enim initium lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam (1); et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatae vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur; ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illae legantur, quae sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur. Quod semper servetur (2), quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

Hic ponitur regula generalis, applicanda in casibus communiter contingentibus: agitur scilicet de Initiis quae occurrunt in Dominicis impeditis. In Rub. seqq. 7 et 8 dicitur quid agendum sit, 1° quando impeditur initium occurrens non in Dominica, sed infra hebdomadam (Rub. 7), et 2° quando desinit Tempus cui assignantur libri integri (Rub. 8).

(1) *In seq. diem similiter non impeditam*, scilicet per LL. proprias aut de Communi assignatas. Impedita etiam esse potest dies propter alia initia ponenda.

(2) *Quod semper servetur*, nisi tamen agatur de Historia Machabaeorum (vid. Rub. 8), aut de LL. quarumdam Dominicarum. Quod imprimis certum est de Dom. 4 Quadragesimae. Nam. S. R. C. decrevit 26 Nov. 1735, n. 3889, 6. „Lectiones 1 Nocturni de Exodo Dominica 4 Quadragesimae, quoties ista sit impedita aliquo festo 1 cl., reassumendas esse intra illam hebdomadam in festo occurrente carente lectionibus propriis 1 Nocturni, quae desumerentur de Scriptura occurrente, si festum illud extra Quadragesimam incidisset.“ Id jam docuerat Guyetus de Dominicis Septuag. Sexag. et 2, 3 et 4 Quadragesimae, ductus, ut refert Cav. *l. c. dec. 307, n. 1*, „quia etsi Lectiones praedictae non sint initia libri alicujus, sed mera continuatio, continent tamen singulae insignes historias ab aliis penitus distinctas ...;

quodque ad rem facit maxime, non fortuito, seu obvia currentis Libri serie, sed cum delectu hisce Dominicis privilegiatis addictas, utpote eximias ex Sanctorum Patrum interpretatione figuras, ac veluti praeludia quaedam mysteriorum Redemptionis nostrae, cujus tunc primordia recoluntur." Deinde *n.* 2 docet Cav. praedictum Decretum esse extendendum ad alias Dominicas de quibus eadem procedit ratio. Notat tamen LL. Dom. Septuag. et Sexag. in hoc discrepare ab illis Dom. 2, 3 et 4 Quadrag. quod illae, non hae possint reassumi in Feriis. Nam Feriae Quadrag. non habent LL. de Scriptura.

Dubitandum non est Decretum cit. applicandum esse, propter omnimodam paritatem, ad Dom. 2 et 3 Quadrag. Et rationi a Guyeto allegatae haec addi potest: quia dictae historiae habendae sunt tanquam Scriptura occurrens illo tempore, et qua tales praeferendae illis de Communi. Quae quidem ratio non militat pro LL. Dom. Septuag. et Sexag.; nihilominus idem videtur de illis resolvendum esse cum Guyeto.

Rub. 7. Cum autem initium alicujus Epistolae Catholicae (1) tempore Paschali, aut alicujus Prophetae minoris mense Novembri, infra Hebdomadam illorum Temporum impeditur aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolae et Prophetae, quoad commode (2) fieri potest, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturae ponendo, vel Festo non impedita; alioquin in praecedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiam si plura initia eodem die (3) poni oporteat.

Praesens Rubrica est tantum de initiis quae occurrunt *infra hebdomadam*, in die impedita. Ideo quoad initia, occurrentia in Dominicis impeditis, servanda est regula generalis Rub. 6, prout dictum est. Itaque ex hac 7 et 6 praec. Rub. facile solvitur dubium 5, ad quod respondit S. R. C. 23 Mai. 1835, n. 4597. Cf. Cav. *l. c. dec.* ***309***, et ***312***, *n.* ***1***.

(1) *Initium alicujus Epistolae Catholicae,* uti 3ae S. Joan. fer. VI post Octav. Ascens. et S. Judae sabbato sequenti.

(2) *Quoad commode*, id est si habeatur feria sequens non impedita intra eamdem hebdomadam. *Alioquin*, v. g. si occurrat in Sabbato, *in praecedenti* ejusdem hebdomadae. Initia enim non posse poni extra propriam hebdomadam

non obscure eruitur ex contextu, et docet Cav. *l. c. dec. 312, n. 1,* cum Gav.

(3) *Etiam si plura initia eodem die.* 1° Una de initia non possunt poni plura tribus S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 3328, 12. 2° Si forte desint dies liberae intra eamdem hebdomadam, tunc ad normam Rubricae positae ad 2 Octob. in Festo SS. Angelorum custodum, et ex decretis S. R. C., initia reponenda sunt infra eamdem hebdomadam in officio quod est ritus inferioris, minoris dignitatis ac solemnitatis, quamvis habeat LL. proprias aut de Communi assignatas. Cf. dec. 5 Mai. 1736, n. 3894, *Tit. de LL. ad 2,* et 27 Mart. 1779, n. 4244, 13. Excipiendum tamen est cum Cav. et Gav., si festum habens proprias LL. aut assignatas de Communi, sit I aut II Cl.

Rubrica non dicit in specie ex quo initio sumendae sint duae lectiones, quando initium transfertur ad feriam in qua jam occurrit aliud initium. In casu servanda videtur regula generalis, juxta quam in 1 Noct. legitur de Scriptura quae ipsa die occurrit. „Duas deprome, ait Cav. *dec. 309, n. 5,* ex illo initio quod ea die tres haberet, si initium aliud in eamdem diem non transferetur, minus enim, quam fieri potest, laedi debet jus uniuscujusque.“

Rub. 8. De Scriptura quoque tantum est positum, quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum, quae esse possunt inter Epiphaniam et Septuagesimam, et inter Pentecosten et Adventum. Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum et Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimae, quod superest de Epistolis beati Pauli (¹), quae distributae sunt pro numero dictarum Dominicarum et Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti), cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti; quia tunc, Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura, quae ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in Feria, eo modo, quo dictum est de Dominicis num. 4 et 5; tunc post Officium Dominicae anticipatae in sequentibus diebus legatur de Epistolis sancti Pauli assignatis Dominicae anticipatae et sequentibus Feriis, omissis aliis, quae sunt

assignatae praecedenti Hebdomadae. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicae assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur (2).

(1) *Quod superest de Epistolis B. Pauli ... eo anno omittitur.* Cujus omissionis ratio esset, juxta Gav., quia dictae Epistolae nonnisi unum librum constituerent. At hoc rejiciendum videtur cum Guyeto et aliis apud Cav. *dec.* ***309***, *n.* ***2***, et dicendum cum eodem Cav. *n.* ***3***, initia, in casu, omitti non propter impedimentum, sed quia cessat tempus illis libris assignatum, uti aliquando contingit respectu ad libros 3 et 4 Regum, prout dicitur in hac Rub. et ante Dom. VII post Pentecosten.

(2) *In propriis locis notatur*, uti fit pro ultima hebdomada Sept. Octob. et Nov., ubi praecavetur ne omittantur tum initia librorum, tum historia insignis [1] Martyrii Machabaeorum quae infra dictas hebdomadas ponuntur. De ultima hebdomada Augusti nihil peculiare adnotatur, quia ejus LL. possunt omitti.

I. Rubrica adnotata ad fer. V Hebdomadae 4 Septembris. „Si haec fuerit ultima Hebdomada Septembris, hac nocte ponitur liber Esther cum sua historia, ut infra in Dominica V hujus mensis, et legitur de eo etiam duobus sequentibus diebus. Quod si hoc triduo non occurrat Feria in qua possint poni Responsoria, eo anno omittantur.“

Et legitur de eo duobus sequentibus diebus, id est, omissis LL. intermediis, sumuntur quae correspondent Feriae VI et Sabbato, in quibus leguntur. Ita, juxta Cav., praxis communis. Et ratio est quia anticipatio fieri tantum videtur in favorem initii, et ideo dispar est ratio cum Martyrio Machabaeorum.

II. Rub. ad fer. V Hebdomadae 4 Octobris. „Si haec Hebdomada fuerit ultima Octobris, in tribus sequentibus diebus leguntur Lectiones Dominicae V et Feriae II et III ejusdem Hebdomadae: qui si fuerint impediti, eo anno omittuntur illae Lectiones quae his diebus legi non pos-

1) „Perinsigne adeo exstitit Machabaeorum martyrium, ait Cav. *l. c. dec. 306*, ut Ecclesia quae a veteris legis Sanctorum cultu studuit abstinere, speciali officio nedum praetereundum non esse censuerit, sed etiam Rubricam invexerit ut consuleret lectioni eorum quae fortiter iidem gessere, quoties alias vacare deberet, eo quod illa hebdomadae 5ae Octobris, quae quandoque locum non habet, reperitur addicta.“

sunt. Si vero in sequenti Hebdomada, hae LL. in suis Feriis legi non possint, ponantur in sqq. Feriis ejusdem Hebdomadae, juxta ordinem historiae et martyrii Machabaeorum."

1° *Eo anno omittuntur LL. quae his diebus legi non possunt.* Id est, omittuntur illae quae correspondent diebus impeditis, v. g. omittuntur illae Feriae II, si Feria VI sit impedita. Quae autem ita sunt impeditae non debent aliis conjungi Cav. *tom. 2, dec. 306, n. 3 sqq.*

2° *Juxta ordinem*, jubentur poni, quia Rubrica supponit omnes posse legi. Cav. *l. c. n. 5.*

III. Ne initia, quae ponuntur ad Hebdomadam V Nov., omittantur, quando hic mensis habet tantum 4 Hebdomadas, in casu praetermittitur 2ª, infra quam nullus liber incipit. Ita ordinat peculiaris Rubrica, ante Dom. II Nov. posita.

Rub. 9. Lectiones de Scriptura positae in Communi Sanctorum (1) leguntur in Festis, ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum. Rursus, quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur (2); item, quando aliquod Festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima et Quatuor Temporibus, in secunda Feria Rogationum, et in Vigilia Ascensionis, in quibus Feriis in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia: tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis Feriis occurrat dies octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei octavae repetantur Lectiones, quae in primo Nocturno Festi lectae fuerunt: si vero occurrat dies infrá octavam, tunc sumantur de Communi. Aliae Lectiones secundi et tertii Nocturni positae in Communi Sanctorum similiter leguntur, quando in proprio Sanctorum assignantur, et quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus (quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari) quod proprias et approbatas (3) de Festo lectiones non habuerit.

(1) *Ubi assignantur in proprio Sanctorum.* Decreta S. R. C. quae specietenus videri possunt huic Rubricae adversari, v. g. quae statuunt LL. 1 Noct. in dup. min. esse de Scriptura, intelligenda sunt de casu quo non habentur LL. legitime assignatae. Tunc enim non haec Rubrica, sed

2ª praeced., est applicanda. Vid. dicta supra *pag. 17*, et dec. 27 Aug. 1836, n. 4638, 6. Cf. pt. dec. 28 Feb. 1839, n. 4703, 1.

Lectiones de Scriptura positae in Communi Doctorum, assignantur Doctoribus Latinis. „Doctores Latinos prae Graecis, ait Cav. *l. c. dec. 305, n. 1,* id praestat honoris Ecclesia, ut illis lectiones 1 nocturni de communi assignet, his de Scriptura occurrente, ut videre est in officiis SS. Athanasii, Gregorii Nazianzeni, et Basilii, quorum Classi cum item S. Joannes Chrysostomus accrescat, Rubrica Breviarii servanda decernitur, quae easdem lectiones de Scriptura occurrente assignat." Quando autem non habetur Scriptura de tempore, tunc LL. 1 Noct. sumuntur, etiam pro DD. Graecis, de Communi DD., uti declaratum habetur pro S. Joan. Chrysostomo, 5 Mai. 1736, n. 3894, *dub. 2 de Lectionibus.* Cf. Cav. *l. c.*

(2) *Rursus quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur*, quale est non solum dup. I aut II Cl., sed etiam dup. maj. „Duplicia majora, ait S. R. C., habent Lectiones 1 Noct. vel proprias, vel de Communi, non autem de Scriptura occurrente." Die 2 Sept. 1741, n. 3970, 3. Modo tamen non sit praeferendum aliquod initium, quod alias omittendum foret, prout dictum est, ad Rub. 7. Cf. Cav. *dec. 304, n. 4.*

Praeterea de Communi sumendae sunt LL. 1 Noct. in omnibus Festis quae habent Responsoria propria. Dec. cit. 27 Aug. 1836, 10.

(3) Lectiones propriae et a S. Sede approbatae, juxta dicta ad Rub. 2, non possunt extendi de una ad aliam Ecclesiam.

Quaeritur ex quo loco, 1° vel 2°, desumendae sint LL. de Communi, quando locus non assignatur?

R. S. R. C. „Regulam servandam esse ex ipso Evangelio vel Oratione, si sit de Communi, quae indicant utrum sumpta sint ex primo, vel secundo loco." 11 Sept. 1841, n. 4784, 7.

Si autem neque Evangelium, neque Oratio sumatur de Communi, tunc regulariter sumendae sunt de 1° loco. Cf. dec. 23 Jul. 1736, n. 4895, 21.

Rub. 10. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri, ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam secundi Nocturni, quando sunt ex aliquo

Sermone vel Tractatu, leguntur cum titulo et nomine Auctoris: alias minime ([1]). Et similiter in tertio Nocturno praeponitur titulus Auctoris, cujus est Homilia.

Quam fidem mereantur LL. 2 Noct. Breviarii Rom., dictum est supra *pag. 108 sqq.*

(1) *Alias minime*, „nisi etiam, ait Lohner, Vitae Sanctorum a Classico quodam Authore sint conscriptae, ut v. g. a S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, uti in Festo S. Joannis Evangelistae, 26 Decemb. videre est.“ Cs. Gav. *n. 19.* An autem hic agnoscenda sit exceptio, vel potius hujusmodi LL. habendae sint tanquam desumptae ex aliquo Tractatu, quaestio est de mero nomine, cujus solutio vix ac ne vix quidem juvat ad praxim. Nam in Breviario, Titulus enunciandus non iisdem typis impressus reperitur, quam ille qui est tacendus; ejusmodi exempla passim occurrunt in Breviario. Vid. Homil. Dom. VI post Pentecosten, etc.

De Titulo LL. 2 et 3 Noct. sequentia notanda sunt ex Octavario Rom., ad *Tit. de LL.* „Accidere potest, inquit, in legendis lectionibus 2 et 3 Nocturni octavarum communium quae in hoc volumine continentur, quod ratione festorum infra octavas occurrentium omitti debeant initia vel sermonum vel homiliarum; de quibus tamen, post festum occurrens, est rursus legendum: et tunc post tale festum non legatur Titulus *De Sermone*, vel *De Homilia*, cum nondum de iisdem lectum sit; sed dicatur simpliciter: *Sermo seu Homilia S. N.*, ac si esset initium Sermonis seu Homiliae; vel legatur initium ipsum in praecedentibus diebus positum, prout videbitur magis congruere. Idem servetur, quando in die octava praescribitur, sumi aliquas infra octavam omissas, ob diem Dominicam, seu festum occurrens.“ De octavario Rom. dictum est *pag. 189.*

Rub. 11. In fine cujusque Lectionis dicitur *Tu autem Domine miserere nobis* [1], et respondetur *Deo gratias.* Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii,

1) „Cum, ait Cav. *dec. 304, n. 1*, lectiones officio inseri coeperunt, ex Scriptura peti solebant, et legebantur ex ipso sacro codice, et cujusquam libri lectio, donec absolutus esset, perdurabat. Eratque ejus, qui in choro praesidebat jubere, ut lectio cessaret, quod faciebat dicendo *Tu autem*, respondente Lectore *Domine miserere nobis*, et chorus dicebat *Deo gratias.*“ Cf. Mer. *h. l. n. 13.*

et in fine Primae post *Pretiosa*; praeterquam in triduo majoris Hebdomadae ante Pascha, et in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

„Lector, inquit Caerem. Ep. *lib.* 2, *c.* 6, *n.* 14, cum dicit *Tu autem Domine etc.*, in fine lectionis genuflectit, si non est Canonicus, et factis debitis reverentiis iis, qui in choro existunt, discedit.“ Tria hic supponit Caeremoniale: *a)* Lectorem unicam legere lectionem, *b)* ad legile coram Altari, *c)* in hoc non adesse SS. Sacramentum. Hoc autem absente, canonici non genuflectunt in discessu ab Altari. Si autem adesset SS. Sacramentum in tabernaculo Altaris, tunc ab omnibus esset genuflectendum in accessu et recessu.

Q. Quando Lector, qui non est Canonicus neque Superior, tres successive legit LL., an debeat genuflectere post singulam, vel solum post tertiam, inclinando tantum caput post alias?

R. Dissentiunt AA. Alii affirmant, quia illa genuflectio non fit propter discessum ab Altari, sed ad petendam veniam culpae, quae fuerit admissa, legendo, sive ex vana gloria, sive cum negligentia. Alii autem negant, et contendunt inclinationem fieri propter finem lectionis, genuflectionem vero propter discessum. Et revera in Caerem. Ep. genuflectio passim reperitur praecepta, propter accessum ad Altare aut recessum ab eodem. Cf. Caer. *l. c. n.* 10 *sq.* Vide Merati, *sect.* 5, *cap.* 11, *n.* 4, et *cap.* 12, *n.* 13. An vero, juxta hos AA. idem resolvendum sit quando tres LL. in casu leguntur coram SS. Sacramento in tabernaculo recondito, non est facile colligere ex dictis a Merati *l. c.*

TITULUS XXVII.

DE RESPONSORIIS POST LECTIONES.

Vocabulum *Responsorium* derivatur, uti patet, a *Respondere*. Quare autem ita nuncupetur, seu ad quid respondeat, varie explicatur. Ita vocari videtur vel quia Lectionibus respondet, vel quia, uno canente aut etiam pluribus, chorus consonando respondet. Cf. Gav. qui praetera tradit varias significationes mysticas talis usus. De eadem re haec adnotat Lohner. Sic Responsoria dicta sunt, „vel quia uno Lectiones dicente, et Versum, Chorus respondet. Ideoque ab Ecclesia, teste Gavanto, *sect.* 5, *cap.* 13, *n.* 4, instituta sunt, ut ex iisdem colligamus Ecclesiam optare,

ut non Auditores tantum Verbi Divini in Lectionibus propositis simus, sed Factores etiam. Juxta Hugonem vero ib. cit. sunt Canticum Spirituale ad animos inter legendum sublevandos ordinatum."

Rub. 1. Responsoria dicuntur ad Matutinum post Lectiones: id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infra.

Rub. 2. In Festis novem Lectionum (praeterquam in Festo sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica), et in Dominicis ab Octava Paschae inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Dominica infra Octavam Nativitatis inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, dicuntur octo tantum Responsoria; et in fine tertii, et sexti, et octavi, dicitur *Gloria Patri,* cum repetitione partis Responsorii (1): quod regulare est in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in officio novem quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis; quo tempore loco *Gloria Patri,* repetitur Responsorium a principio: excepto etiam Officio Defunctorum, in quo illius loco dicitur *Requiem aeternam,* etc. Qui versus *Gloria Patri* quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in propriis locis annotatur. Post nonam Lectionem praedictis diebus, quando octo tantum dicuntur Responsoria, immediate dicitur Hymnus *Te Deum.*

(1) *Cum repetitione partis Responsorii.* Quae repetitio fit non solum post *Gloria Patri,* sed etiam post Versum, prout indicant asterisci in Responsoriis adnotati. Aliquando autem duobus asteriscis divisum est Responsorium v. g. VIII de Dominica per Annum: tunc prima vice legendum est Responsorium post Versum usque ad secundum asteriscum; post *Gloria Patri,* a secundo asterisco ad finem, juxta alias decreta, et ut notatur in Breviario. S. R. C. 7 Decemb. 1844, n. 4839, 7. Cf. dec. 6 Sept. 1834, n. 4584. Si vero tres habeantur asterisci, procedendum erit, prout tradit Deherdt h. l.: Scilicet „prima repetitio fiat a primo asterisco usque ad secundum tantum, secunda repetitio a secundo asterisco usque ad tertium, et tertia repetitio a tertio asterisco usque ad versum, licet etiam sensus aliud exigere videatur. Id clare probat Responsorium primum Dominicae primae Adventus, quod, prout recitari debet, in Breviario impressum est; et ad cujus modum Responsoria dicenda sunt juxta Rubricas tit. 12, n. 7."

De Responsoriis, *Haec est vera fraternitas* — *Domine praevenisti*, dicitur *sect.* 5.

Rub. 3. In Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, et in triduo ante Pascha, dicuntur novem Responsoria, quia tunc non dicitur *Te Deum.*

Rub. 4. In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Festo, et in Feriis temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis et Ascensionem (excepta Feria secunda Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium) dicuntur duo Responsoria, quia post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum.* Quae Responsoria in Festis sumuntur de Communi Sanctorum: et in dictis Feriis Temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primo sunt posita, hoc ordine: secunda et quinta Feria, primum et secundum Responsorium primi Nocturni: Feria tertia et sexta, primum et secundum Responsorium secundi Nocturni: Feria quarta [1], primum et secundum Responsorium tertii Nocturni.

(1) Sabbatum hic non nominatur, quia tempore praedicto, in Sabbato non fit officium de eo, sed de S. Maria.

Rub. 5. In aliis Feriis extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur *Te Deum*) hoc ordine: Feria secunda et quinta, tria Responsoria primi Nocturni: Feria tertia et sexta, tria Responsoria secundi Nocturni: Feria quarta et Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Responsoria tertii Nocturni Dominicae praecedentis, in qua primo sunt posita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum a tertia post Pentecosten inclusive, usque ad Adventum exclusive, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra hebdomadam, quod est septimum in Dominica (propterea quod Responsorium *Duo Seraphim*, non dicitur, nisi in praedictis Dominicis) ideo Feria quarta et Sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit quod est septimum Dominicae: secundo et tertio loco dicitur secundum et tertium sequentis Feriae; id est post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium, quod est secundum et tertium secundae sequentis Feriae, si propria Responsoria habuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominicae. Ab Octava Epiphaniae

usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis Feriis, excepto Sabbato; in quo, quando fit de Feria [1], dicuntur Responsoria Feriae quartae.

(1) „Quod solum accidere potest, ait Lohner, si Dominica, quae poni non potest, in Sabbato sit anticipanda."

Rub. 6. Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita, in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quae autem in prima hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria: semper ex Nocturnis Dominicae sumuntur dicto ordine.

Rub. 7. Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicae, in quo primo ponuntur [1], propter festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus hebdomadae, in qua occurrit fieri de Feria, et omittantur alia, quae forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti hebdomada, vel Dominica similiter non impedita, et dummodo in ea alia Responsoria non sint primo ponenda; alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quae in aliquibus Feriis per hebdomadam habentur, si eo die, quo posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omittuntur.

(1) „Responsoria, ait Gav. *n. 8,* primo ponenda in Dominica, si haec impediatur a Festo Duplici, ponenda sunt in prima Feria sequenti, tamquam Historiae principium antequam dicantur alia Responsoria; eadem ratione qua initium libri legendum est ante alias ejusdem libri Lectiones; quae vero non possunt dici, eo anno omittuntur." In casu autem hujusmodi translationis, nihil mutari debet, licet forte eadem Responsoria dicenda occurrant sequenti feria, juxta Rub. 4, 5 et 6. Dicta enim mutatio fieret contra has Rubricas, quae hujusmodi casum nullatenus excipiunt. Secus tamen docet Gav. *n. 9,* quoad Responsoria de Tobia, Dom. 3 Sept. „Responsoria de Tobia, ait, si in Dominica, aut Feriis 2 et 3 poni non possunt, ponantur Feria 4; sed Fer. 5 ne eadem immediate repetantur, poterunt dici Resp. 2 Nocturn. Domin. eadem ratione, qua

dicetur, de Lectionibus in Festo Sanctorum Philippi et Jacobi in Sabbato ante Dom. 4 post Pascha." Cs. Lohner.

Rub. 8. Tempore Paschali in fine Responsorii ante Versum additur *Alleluja.*

TITULUS XXVIII.

DE RESPONSORIIS BREVIBUS HORARUM.

Rub. 1. Responsoria brevia [1] dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, praeterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusive, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo (1), ut in Psalterio. In aliis horis, quando fit officium de Dominica, vel Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio. In adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis et Paschali, ut suis locis habentur propria. In Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

(1) *Eodem modo,* id est, quoad potiorem partem: Versus enim interdum mutatur, prout ordinat Rubrica 3.

Rub. 2. In fine Responsorii brevis dicitur *Gloria Patri* cum repetitione Responsorii, eo modo quo ordinatur ad Primam in Psalterio, praeterquam tempore Passionis: tunc enim non dicitur *Gloria Patri* in Officio de Tempore (1), sed solum repetitur Responsorium breve a principio.

(1) *In Officio de Tempore,* et ideo non in Festis. Unde juxta Gav. *n. 2,* si in Dominica Passionis fiat in II Vesperis commemoratio de aliquo Festo Semiduplici, in Completorio dicendus erit Versus *Gloria Patri,* quia Festum est jam inchoatum. Sententia tamen opposita est conformior dictis, *pag. 304, 2°,* de propria conclusione Hymnorum, et videtur tenenda cum Guyeto allegato a Mer. *sect. 6, c. 12, n. 3.*

Rub. 3. In Responsorio brevi ad primam, loco versus *Qui sedes,* etc., in Adventu dicitur *Qui venturus es in mun-*

1) Quae nihil aliud sunt, quam certi quidam Versiculi post Capitulum recitari soliti, atque ideo Responsoria vocantur, quia Chorus per ea quadammodo respondet illi, qui Capitulum dixit. Brevia vero appellantur, tum quia sunt per se breviora, quam Responsoria Lectionibus subjungi solita; tum ut ab iisdem Responsoriis distinguantur, utpote quae ob eamdem causam Responsoria magna a nonnullis vocantur. Lohner.

dum, tam in Dominicis et Feriis, quam in Festis (1); excepto (2) Festo Conceptionis B. Mariae et per octavam. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et in omni Officio beatae Mariae, tam novem quam trium Lectionum, etiam si infra ejusdem Octavas fiat de Festo vel de Dominica, dicitur, *Qui natus es de Maria Virgine.* In Epiphania et per Octavam, et in Festo Transfigurationis, dicitur, *Qui apparuisti hodie.* A Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis (excepto Officio beatae Mariae) semper dicitur, *Qui surrexisti a mortuis.* In Ascensione usque ad Pentecosten exclusive dicitur, *Qui scandis super sidera.* In Pentecoste et reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, dicitur, *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in Psalterio.

(1) *In Festis*, licet in his nulla fiat de Tempore Commemoratio: hanc enim non requirit Rubrica. Et idem dicendum de Festis quae celebrantur infra Octavam, quae proprium habet Versum.

Non excipitur Festum Exspectationis partus B. Mariae, ut dictum est, *Tit. XX, Rub. 4.*

(2) Excipitur tamen Festum Imm. Conc. B. M. V. cum Octava. Unde colligitur, in occursu duplicis Versus proprii, Versum proprium Festi aut Octavae praeferendum esse illi de Tempore. Et revera congruit, ut praeferatur Versus illius Officii seu Festi quod anteponitur alteri occurrenti.

Rub. 4. Responsoria brevia aliarum horarum, quae ponuntur in prima Dominica de Adventu dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore. Similiter quae ponuntur in prima Dominica Quadragesimae, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusive. Et quae ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Coena Domini exclusive. Item quae ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusive. Quae vero ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In officio autem beatae Mariae, tam novem quam trium Lectionum (excepto Festo Assumptionis ejusdem) dicuntur semper Responsoria brevia de Communi Virginum.

Rub. 5. Tempore Paschali, a Dominica in Octava Paschae usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive, in

fine Responsorii brevis (1) ante primum Versum dicuntur duo *Alleluja*, quae etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii; et in fine secundi Versus unum tantum *Alleluja*, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quae est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis (2) ad Tertiam, Sextam et Nonam Responsoriis brevibus addantur *Alleluja*, non ideo adduntur ad Primam et Completorium.

(1) *In fine Responsorii brevis*, tam ad Primam, quam ad Completorium. Rubrica enim non distinguit.

(2) *In aliquibus Festis*, v. g. Corporis Christi et Inventionis S. Crucis, 3 Mai.

TITULUS XXIX.

DE CAPITULIS.

Rub. 1. Capitula [1] semper dicuntur (praeterquam a Feria quinta in Coena Domini, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et praeterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas, Laudes et alias Horas, dictis Psalmis et Antiphonis; ad Completorium vero, dicto etiam Hymno.

Rub. 2. Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et Horis, dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post Octavam Pen-

1) Capitulum est lectiuncula seu brevis lectio: stat enim lectionis loco. Idem sonat ac parvum seu breve caput, et ita vocatur quia desumitur ex Capitibus S. Scripturae, plerumque ex Epistolis Missae, etsi aliquando etiam ex aliis locis quae Officio conveniunt. Cf. Gav. Interdum Capitula discordant a textu Vulgatae, quia Ecclesia in his aliquando utitur Versione Itala S. Scripturae, sicut ex eadem Versione desumpsit Introitus, et reliqua quae in Missa cantantur. Mer. *h. l. n. 2.*

Ante Capitula neque Benedictio petitur, neque Titulus legitur. »Quoniam vero, ait Cav. *tom. 2, cap. 35*, ille cujus est capitula recitare, scilicet Celebrans, officium pro arbitratu suo ordinare potest, neque alterius venia opus habet, hinc factum est, quod Capitulis *Jube* non praemittitur. Capitula sine titulo leguntur, quia olim continuatio erant illorum, quae ad matutinum recitata fuerant, vel quod ex Epistola Missae desumerentur, quae numquam sine inscriptione legitur.«

tecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de Tempore: si fit de Sanctis, ut in proprio de Sanctis, cum propria adsunt; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primae et Completorii (quando Capitula dicuntur) numquam mutatur, ut in Psalterio.

Rub. 3. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniae, et a Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in Feriis temporis Paschalis, et in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam, et in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quae suis locis assignantur.

Rub. 4. In Feriis tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum *Regi saeculorum*, sicut in Dominicis et Festis. Post Capitulum semper respondetur *Deo gratias* [1].

TITULUS XXX.

DE ORATIONE [2].

Rub. 1. Oratio in Vesperis et Laudibus dicitur post Antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus* immediate, nisi quando dicendae sunt preces: quae dicuntur post Antiphonam, et in fine illarum Oratio. Ad Primam et alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendae sint preces: tunc enim Oratio dicitur post preces. Ad Completorium Oratio dicitur post Antiphonam *Salva nos*, nisi dicendae sint preces; et tunc dicitur post illas.

Rub. 2. Ad Primam et Completorium numquam mutantur Orationes, quae habentur in Psalterio, praeterquam in triduo ante Pascha; in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum

1) „In fine non dicitur: *Tu autem Domine*, etc., quia neque dicitur ante: *Jube Domne*, etc., quae duo sunt invicem correlativa; tum vero Sacerdos Hebdomadarius ea recitat, cui non convenit ordinarie benedictionem ab alio petere; et praeterea in breviori Lectione facilius culpa evitatur, praesertim a perfecto viro, qualem repraesentat Hebdomadarius, qui Capitula recitat. Dur. *l. c.*“ Gav. *n. 7.*

2) „Antiquitus, ait Cav. *tom. 2, dec. 330,* Orationum seu Collectarum usus non erat, et Officium per *Pater* desinebat, qui clara voce ab Abbate pronuntiabatur.“ Explieatur *ibidem*, et ad *Rub. Miss. Tit. IX*, quare Orationes dictae sint *Collectae*.

Miserere, dicitur Oratio diei, ut suo loco ponitur. In aliis Horis regulariter dicitur Oratio, quae dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigiliis et Feria secunda Rogationum, Oratio, quae dicta est in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam, et Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicae praecedentis, ut in aliis Feriis. Quae Oratio praecedentis Dominicae semper dicitur in feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavas dicitur Oratio, ut in die Festi: similiter et in die Octava, nisi alia propria assignetur.

Rub. 3. Ante Orationem, etiam quando aliquis solus (1) recitat Officium, semper dicitur Versus *Dominus vobiscum*, respondetur *Et cum spiritu tuo*. Qui Versus non dicitur ab eo, qui non est saltem in Ordine Diaconatus, nec a Diacono, praesente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus Ordinem non pervenerit, ejus loco dicat, *Domine exaudi orationem meam*; respondetur *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur *Oremus* (2), postea Oratio: quae si unica tantum dicatur, Versus *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi* repetitur finita Oratione, postquam fuerit responsum *Amen* (3). Sin autem plures Orationes dicendae sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona et Versus, deinde *Oremus*; et post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum*; postea dicitur *Benedicamus Domino*, respondetur *Deo gratias*. Deinde dicitur Versus *Fidelium animae* (4): qui Versus non dicitur post *Benedicamus Domino*, ad Primam ante *Pretiosa*, neque ad Completorium ante Versum *Benedicat*, nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum Beatae Mariae, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Poenitentiales, vel solae Litaniae.

(1) *Etiam quando solus recitat:* is enim alloquitur Ecclesiam seu Fideles.

„Verba *Dominus vobiscum* a Dion. *de Eccles. Hier.* appellantur divinissima salutatio, desumpta ex libro *Ruth. II, 4, et II Paralip. XV, 2,* cujus efficacia ab ipso Christo est, qui dixit *Matth. ult.:* „Ego vobiscum sum,“ quam et Apostoli introduxerunt. .... Sensus autem est: Dominus in vobis maneat, et petitionibus vestris effectum tribuat. Durand. *lib. 4, cap. 14,* vel Sacerdos se habere pacem cum toto

Clero, et Populo docet, ex P. Damiani, *loc. cit.* vel dicitur ad excitandam animorum attentionem ad Orationem. Rupert. *lib. 1 de Offic. cap. 31.* . ." Gav. *n. 6.*

„Excommunicatus autem Sacerdos non potest uti hac salutatione, etiam in privata Officii recitatione: quia pertinet ad dignitatem ordinis, qua ille indignus effectus est." Gav. *n. 9* cum Navar.

„Subditur statim: *Et cum spiritu tuo*, quasi alii optent Sacerdoti, quod ipse aliis optat, ex Floro *in expositione Missae*, quod est desumptum ab Apostolo *II Timoth. IV, 22.* . . . ." Gav. *n. 7.*

Versus *Domine exaudi*, etc., quando occurrunt preces, quae terminantur per eumdem Versum, non est bis dicendus a Subdiacono. Gav. *n. 10.*

(2) *Dicitur Oremus* ante Orationem ut alii invitentur ad orandum. Gav. cum Aug.

Finita Oratione „repetitur salutatio praedicta, *Dominus vobiscum*, ait Hugo, *lib. 4, cap. 4*, sicut Christus dixit semel, et iterum Apostolis: Pax vobis. Sacerdos enim dicens Orationem vicem Christi gerit; et ideo regulariter stans eam dicit, ex Amalario, *lib. 4, cap. 4*, sed et ob memoriam futurae resurrectionis stans eam pronunciat. *Ibidem, cap. 7.*" Gav. *n. 12.*

(3) *Amen.* De hac voce sequentia scribit Cavalieri, *tom. 2, dec. 300, n. 1:* „*Amen et Alleluja*, ait D. Isidorus, *lib. 6, cap. 19, sacrosancta sunt, ut etiam Joannes referat audivisse coelestes exercitus dicentium Amen et Alleluja, ac per hoc sic in terris oportet utraque dici, sicut in caelo resonant.* Equidem erga utrumque ex dictis nominibus tanta veneratio semper stetit Ecclesiae, ut nulla facta interpretatione, aut in aliud idioma versione, eadem semper in precibus usitaverit. *Amen* hebraea vox est, quae *ita est*, vel *ita sit* significat, estque comprobatio eorum, quae dicta sunt, atque ut expleantur, desiderium. In publicis precibus Populus Hebraeorum respondebat *Amen*, unde *Deut. XXVII. Respondebit omnis populus, et dicet Amen;* quibus verbis probabat, et rata, et firma habebat, quae a Sacerdote dicebantur. Paulus omnes fere epistolas suas claudit voce *Amen*, qua optabat, ut gratia Dei cum illis esset, ad quos scribebat. Judaeorum morem Christiani imitati sunt, quare Paulus *I Cor. IV* testatur populum *Amen* respondisse gratiarum actioni, et S. Augustinus hortatur, *ut Antistites*

distincte orent, quatenus populus ad id, quod intelligit dicat Amen. .. Cum itaque respondetur *Amen* iis, quae de fide credimus, *ita est* significat, et per illud probantur, et vera esse asseruntur, quae dicta sunt; cum vero adhibetur in fine precum, vel collectarum, *ita sit* designat, et notat desiderium nostrum, ut expleantur, quae in iisdem precibus dicta sunt." Cf. Bened. XIV, *de Sacrif. Missae, sect. 1, n. 113.*

(4) *Qui* Versus non est omittendus in fine cujusvis horae, quando post eam immediate dicitur Missa. Dec. 24 Apr. 1742, n. 3975.

Rub. 4. Si Oratio dirigatur ad Patrem (1), concluditur *Per Dominum;* si ad Filium, *Qui vivis et regnas.* Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur, *Per eumdem;* si in fine Orationis, dicatur, *Qui tecum vivit et regnat.* Si fiat mentio Spiritus sancti (2), dicatur, *In unitate ejusdem Spiritus sancti,* etc.

(1) Oratio ut plurimum dirigitur ad Patrem, juxta monita Christi Domini, *Matth. VI, 9,* et *Jo. XVI, 23.* Raro ad Filium dirigitur, et non antiquitus, ut notat Bellarminus *de Missa, lib. 2, cap. 6;* quod factum est deinde, ut ipse quoque Filius credatur Deus. Numquam dirigitur ad Spiritum Sanctum; quia donum Dei est, et a dono non petitur donum, sed a donatoribus, a quibus ille procedit, Durand. *lib. 4, cap. 15.* Gav. *n. 13.* Cf. Ben. XIV, *l. c. n. 112.*

Quando plures Orationes dicuntur sub una conclusione, haec adhibenda est quae conveniat ultimae, juxta dec. 15 Sept. 1736, n. 3906, 6.

(2) *Si fiat mentio Spiritus Sancti.* Unde patet non sufficere mentionem de spiritu, qui non significet Spiritum S., ut v. g. in or. S. Juliani, dictio *Spiritus charitatis,* aut similis quae occurrit in quibusdam orationibus. Vid. dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 49, et 7 Decemb. 1844, n. 4839, 9.

Neque ex hac Rubrica, neque ex alia colligi potest duplicis speciei dari conclusionem, scilicet unam *longiorem,* alteram *breviorem,* nec proinde quandonam una prae altera sit adhibenda. Brevioris conclusionis exempla habentur in Orationibus post Antiph. finales B. M. V., in 1ª ante communionem Celebrantis, et in pluribus orationibus Ritualis Rom. Longioris vero exempla passim occurrunt in Breviario et Missali, item aliquando in Rituali Rom. v. g. in or. SS. Sacramenti post S. Communionem datam extra Missam.

Quaeritur 1° quandonam brevior et quandonam longior sit adhibenda?

R. 1° Quod attinet conclusiones quae reperiuntur expressae in Breviario, Missali, Rituali, Pontificali aut in alia lege, procul dubio legendae sunt uti jacent.

2° Quoad *alias*, AA. non consentiunt in assignanda regula, uti videre est apud Gardellini *ad Inst. Clem.* § *24, n. 23 sqq.* Attamen communiter tradunt sequentem generalem regulam: ut, extra Horas Canonicas et Missam, Conclusio sit brevis. Vid. Gardellini *l. c.*

Quaeritur 2° utrum in conclusione brevi, post verba, *qui vivis*, etc., dicendum sit: *per omnia* aut *in saecula saeculorum*?

Respondet Gardellini *l. c. n. 27.* Varia est, inquit, Ecclesiarum consuetudo; sed multo sunt plures quae posteriorem retinent. Putat autem alterutram formulam posse adhiberi, et quidem juxta dec. S. R. C. 14 Jul. 1687, n. 2991, quin obstet aliud subsequens 10 Sept. 1718, n. 3762. Concludit tamen potius adhibendam esse posteriorem, quam longaevus usus, praesertim in Urbe vigens, probavit, quamvis in aliqua non substantiali dictione discrepet ab illa Ritualis Romani. Etenim animadvertere est Rituale exhibere formulam, *per omnia*, in longiori conclusione, et alteram, *in saecula*, in breviori.

Rub. 5. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione *Per Dominum*, vel aliter, ut supra; aliae non concluduntur, nisi in ultima Oratione; sed unicuique Orationi semper praeponitur *Oremus*, praeterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo quam ut supra, Orationes dicuntur; item in Litaniis Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

De varianda Oratione, quando eadem occurrit usurpanda pro commemoratione, dictum est *pag. 214 sq.* Hic quaeritur:

„An in Orationibus tam Officii, quam Missae variari debeant *hunc diem*, vel *hodiernam diem*, sive *praesentem diem*, cum transfertur Officium, sive accidentario, sive perpetuo?"

Respondet S. R. C. „Nihil immutandum, inconsulta Sacra Congregatione." Die 7 Sept. 1816, n. 4376, 21.

Unum denique superest observandum, videlicet, *cognomina* vel *patriam* Sanctorum *generatim* non esse pronuncianda in Orationibus aut aliis Ecclesiae precibus. Quod

tamen non est extendendum ad qualitatem seu praerogativam qua Deus aliquem Sanctum singulariter decoravit. Quod ita explicat et definit S. R. C. occasione controversiae ortae de dictione *Chrysostomus* et *Chrysologus*, proferri solita de SS. Joanne Ep. Constantinopolitano, et Petro Ep. Ravennatensi. Rem ita exponit Secretarius S. C. „.... Etsi S. R. C. perspectum habeat Sanctorum Cognomina, vel Patriam non esse in Orationibus, apponenda, quum horum Deus non indigeat [1] ad dignoscendum, in cujusnam Servi sui nomine Oratio sibi dirigatur, nihilominus, quoniam non abest ab Ecclesiae disciplina, ut peculiaris aliqua virtus, mirificumque donum significetur, ob quae unus, aut alter ex Sanctis caeteris praeluxit, ab hujusmodi lege excipere ea censuit, quae minus proprie Cognomina dici debent, sed potius characterem Sancti alicujus, vel donum illi a Deo collatum exprimunt."

„Adeoque EE. Patres S. R. C. Praepositi in sensu fuere: *Non esse in Orationibus expungenda nomina Chrysostomi, ac Chrysologi, quae adjectiva potius sunt, et vel facundiam, vel vim et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis, quasi supernaturali inditam virtute, designant, idque ubique servandum censuere, si SSmo Domino nostro placuerit.* Die 5 Mart. 1825, n. 4460." Quod approbavit Leo XII, jussitque edi Decretum generale .... ac typis evulgari. *Die 8 ejusdem mensis et anni.*

Coelestinus non est proprie cognomen sed nomen, ac proinde nihil obstat quominus dictum nomen exprimatur in Oratione S. Petri, qui ad summum Pontificatum evectus, illud assumpsit. Dec. 7 Dec. 1844, n. 4839, 9.

Dictum est: *regulariter*. Quia excipienda sunt Cognomina quibus Sanctae, *Mariae* nuncupatae, discernuntur a S. Maria, Dei Genetrice. Nomen enim *Mariae*, absolute sumptum ita proprium est B. Virgini, ut de aliis Sanctis non usurpetur sine adjuncto. „Unum exemplum tamen est, ait Cav. *tom. 2, dec. 330, n. 5,* in S. Maria Magdalena, quae licet a Magdalo Galilaeae oppido sic dicta fuerit, eamdem denominationem in divino officio assequitur. At id factum esse credimus, quod sic in Evangelio fuerit denominata

1) Cav. *tom. 2, dec. 330, n. 4,* addit et hanc rationem: „praesertim, ait, cum etiam Sanctorum Patria coelum sit, ubi renascuntur in vitam aeternam, non locus ille, in quo sortiti sunt vitam hanc mortalem, atque caducam."

ad eam distinguendam a Maria Christi Matre, quam sicuti dignitas a caeteris mulieribus admodum distare facit, ita congruit, eadem secernatur in nomine, ita ut *Mariae* nomen absolute, et simpliciter pronuntiatum, Matri Christi dumtaxat adaptetur, quemadmodum olim foeminis ob reverentiam Mariae nomen non solebat imponi. Credimus itaque, quod si alicubi de Sanctis, quae in terris Mariae nomen sunt sortitae, officium agatur, nonnisi cum cognomine aliquo a Patria, vel aliunde deprompto, in orationibus debeant nominari, uti bene de S. Maria Egyptiaca praestant Ecclesiae Rhemensis, Senonensis et Parisiensis." Cs. Gardell. *n. 4460 cit.*

TITULUS XXXI.

DE HYMNO *TE DEUM* [1].

Rub. 1. Hymnus *Te Deum* dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium (1), nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis, a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive; et a Nativitate Domini inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive: et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum, in qua non dicitur.

(1) *Excepto Festo SS. Innocentium*, ob lacrymas Matrum, ait Amalarius, *lib. 1, cap. 41.* In Dominica vero et in die Octava dicitur, quia in Dominica laetitia Resurrectionis Domini excellit super omnem lacrymam, et dies Octava beatitudinem significat. Gav. *sect. 6, cap. 6, n. 3.*

1) „Vulgaris — sunt verba Mer. *sect. 5, cap. 19, n. 1* — et communior sententia tenet Hymnum, seu Canticum *Te Deum laudamus*, a SS. Ambrosio et Augustino alternatim, et ex tempore ejusdem Versus divino spiritu afflatis recitantibus, fuisse compositum, in gratiarum actionem, statim postquam D. Augustinus Baptismi Sacramentum suscepit.“ De hac sententia Merati late disputat *pro et contra*, et ex disputatis infert, tanquam certum, nullum esse fundamentum talem opinionem tuendi. Deinde, *n. 2* et *3*, inquirit de vero Auctore praedicti Hymni, et ex allegatis ita concludit: „Incertum itaque prorsus est, ait, cui debeat hic Hymnus vindicari, quamvis de ejus antiquitate dubitari non possit.“

Hic generatim notari potest praedictum Hymnum, utpote laetitiae plenum, dici vel omitti, prout Officium est laetitiae vel luctus seu poenitentiae.

Rub. 2. Non dicitur autem in Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, neque in Feriis extra tempus Paschale.

Rub. 3. Cum dicitur, omittitur semper nonum vel tertium Responsorium: et statim dicitur post ultimam Lectionem.

Rub. 4. Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium Responsorium: quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur *Te Deum*, eo Hymno dicto statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini; quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.

TITULUS XXXII.

DE ORATIONE DOMINICA ET SALUTATIONE ANGELICA.

Rub. 1. Oratio Dominica *Pater noster*, et Salutatio Angelica *Ave Maria*, semper dicuntur secreto (1) ante omnes Horas, praeterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem, *Fratres sobrii*, dicto Versu, *Adjutorium nostrum*, dicitur tantum *Pater noster* secreto; et in fine Completorii, statim post Orationem beatae Mariae dicitur *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu *Fidelium animae*, dicitur similiter secreto *Pater noster* tantum, nisi sequatur Officium beatae Mariae, quia tunc post illud dicitur *Pater noster*, ut supra, et nisi alia Hora subsequatur (2): tunc enim dicitur semel tantum *Pater noster* cum *Ave Maria* pro principio sequentis Horae: qua finita, dicitur *Pater noster:* ita ut semper dicatur in fine ultimae Horae. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto *Fidelium animae*, incipitur Versus *Jube Domne*.

(1) *Secreto.* Tribus modis dicitur Oratio Dominica: *a)* integra secreto, *b)* integra clara voce, et *c)* partim utroque modo. Quare haec varietas explicat Gav. *sect. 5, cap. 1.* Quando tota dicitur secreto, in fine additur Amen; secus omittitur.

(2) *Nisi alia subsequatur Hora* ejusdem diei. Nam „si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicatur *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, quia Com-

pletorium, quod est finis Officii, sic terminari debet: et ante Matutinum iterum repetitur pro principio Officio sequentis diei." Rub. ad finem Completorii posita.

Rub. 2. Quando in fine Orationis Dominicae proferendum est clara voce, *Et ne nos inducas*, semper in principio eadem voce proferuntur haec duo verba, *Pater noster*, ut in precibus, et similibus (1); alias numquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.

(1) *Ut in precibus* ad Horas, et *similibus*, v. g. ad Matutinum post psalmos. Quando ita dicendum est, hoc indicatur in Breviario.

Rub. 3. Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium beatae Mariae, quando non conjungitur cum Officio Domini; quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

TITULUS XXXIII.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM ET SYMBOLO S. ATHANASII.

Rub. 1. Symbolum Apostolorum semper dicitur ante Matutinum et Primam, et finito Completorio post Orationem Angelicam, totum secreto: etiam si ad Primam et Completorium iterum dicendum sit cum precibus. Quando vero dicitur cum precibus ad Primam et Completorium, clara voce profertur, *Credo in Deum*, et in fine, *Carnis resurrectionem:* reliquum dicitur secreto: alias totum secreto dicitur, ut supra.

Rub. 2. Symbolum sancti Athanasii (1) dicitur ad Primam post Psalmum *Retribue*, in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica (2), exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, ac Dominicis Resurrectionis et Pentecostes, in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti, ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, et in Dominica SS. Trinitatis dicitur; alias numquam, neque si aliquod Festum duplex celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur *Gloria Patri.*

(1) *Symbolum sancti Athanasii*, scilicet ita nuncupatum. Nihil enim definitum habetur de Auctore hujus Symboli. Sed *sancti Athanasii* dicitur juxta nuncupationem quam a

communiori sententia hic sortitum est, et juxta quam communiter circumfertur. De Auctore hujus Symboli non agit Cavalieri, allegando, *tom. 2, dec. 335*, doctiores et eruditiores de eo tractasse. Eam quaestionem late exponit et expendit Merati, *sect. 5, cap. 20, n. 1.* Existimat, ex ibi allegatis haud temere conjici praedictum Symbolum fuisse confectum in Galliis et ex hac Regione primum prodiisse.

(2) *Quando Officium fit de Dominica*, id est ut in psalterio et proprio de Tempore. Quod locum non habet in Dominicis infra Octavas privilegiatas; bene vero, infra alias.

Hoc Symbolum, quod ex regula dicitur tantum in Officio Dominicali, dicendum etiam est in Festo SS. Trinitatis. Et hujus dispositionis ratio est, inquit Merati, *n. 4,* quia in hoc Symbolo clarissima et distinctissima fit explicatio et confessio hujusce Mysterii SS. Trinitatis. Numquam vero recitatur extra Dominicam. Unde ubi SS. Trinitas est Titularis, Symbolum S. Athanasii recitatur tantum in festo SS. Trinitatis et in ejus die octava, non autem in diebus infra octavam, juxta dec. 5 Mai. 1736, n. 3894, *alia dubia ad 13.*

TITULUS XXXIV.

DE PRECIBUS.

Rub. 1. Preces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a *Kyrie eleison* vel a *Pater noster*.

Rub. 2. Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniae, et Feria sexta et Sabbato post Octavam Ascensionis, etiam si infra Octavam fiat Officium de Dominica, vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavae non dicuntur: alias autem semper dicuntur.

Rub. 3. Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctae, ut in Psalterio, dicuntur tantum in Feriis (1) Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, quae jejunantur (2) [exceptis (3) Vigilia Nativitatis Domini, ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes], et tunc dicuntur flexis genibus (4). In aliis Feriis per annum, numquam dicuntur nisi Dominicales, et in illis non flectuntur genua.

(1) *In Feriis*, id est in Officio feriali.

(2) *Quae jejunantur*, juxta dicta *pag. 178*, quamvis nunc jejunium sit suppressum.

(3) *Exceptis*, etc. Quia in dictis Vigiliis et Temporibus non fit Officium feriale, saltem ad Laudes.

(4) *Dicuntur flexis genibus.* Quod tamen non est de praecepto extra Chorum. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 44. Congruit autem ut ita fiat etiam in privata recitatione, quando nihil obstat.

Rub. 4. In feriis Adventus, Quadragesimae, et Quatuor Temporum, dicuntur preces feriales etiam ad Vesperas (1), si non sequatur Festum: ad Completorium dicuntur consuetae de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem preces flexis genibus ab Hebdomadario usque ad Versum *Dominus vobiscum* (2) ante primam Orationem: a circumstantibus autem, usque ad Versum *Benedicamus Domino* (3) post ultimam Orationem (4).

(1) *Ad Vesperas* de Feria, non autem si sint de Festo aut Dominica sequente.

(2) *Usque ad* Versum *Dominus vobiscum* exclusive. Gav. Mer. etc. *sect. 5, cap. 17.*

Ante primam Orationem, id est, *a)* ad Primam, ante Or. *Domine Deus; b)* ad alias Horas, ante Or. Officii, quae ad Tertiam, Sextam et Nonam unica dicitur et est proinde prima simul et ultima, imo etiam ad Laudes et ad Vesperas, quando nulla fit commemoratio; *c)* ad Completorium, ante Or. *Visita.*

(3) *Usque ad* Versum *Benedicamus Domino*, etiam exclusive juxta Gav., qui tamen hoc subdit: „At usus communior non surgendi, nisi dicto *Fidelium animae* etc., est magis pius, et retinendus; cum praesertim addenda est Antiph. finalis in fine Horae, ne rursum statim genua flectamus. Neque Rubrica adversatur.“ *N. 8.* Imo potius favet. Vid. Mer. *l. c. n. 4.*

(4) *Post ultimam*, id est ad Primam, post *Domine Deus*: nam post sequentes non dicitur *Benedicamus Domino*; ad alias autem Horas, post illam qua clauduntur, sive illa sit unica, sive proprie ultima, quando scilicet aliae praecedunt.

Rub. 5. In Vigiliis, Preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum (1), et per Horas: ad Vesperas vero sequentes non dicuntur, quia inde fit de Festo. Quod si post

Vigiliam sancti Mathiae sequatur primus dies Quadragesimae, in Vesperis dicuntur Preces feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicae praecedentis, et non Vigiliae. Quod etiam servatur, quando in Feria sexta et Sabbato quatuor Temporum Septembris fit Officium de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum: tunc enim in Vesperis Feriae sextae dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicae praecedentis, non autem Feriae Quatuor Temporum.

(1) *Ad Matutinum*, sumptum pro Nocturnis cum Laudibus, juxta dicta *pag. 284 et praec.*

Rub. 6. Psalmus *Miserere* dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, et Psalmus *De profundis* ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio designantur.

TITULUS XXXV.

DE COMMEMORATIONIBUS COMMUNIBUS SEU SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Rub. 1. Commemorationes communes (1), seu Suffragia de Sanctis, quae habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati, dicuntur in fine Vesperarum et Laudum ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam Passionis exclusive (2), et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in Dominicis, Feriis et Festis (nisi Officium sit duplex, vel infra Octavas, etiam si de Dominica vel Semiduplici infra eas fiat) et illis adjungitur commemoratio de Patrono vel Titulo Ecclesiae (3) ante vel post Commemorationem de sancta Maria, et de Apostolis, pro dignitate illius (4); ita tamen, ut semper (5) ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in feriali Officio (6) fit commemoratio de Cruce, quae habetur in Psalterio post Laudes Feriae secundae.

(1) Hae Commemorationes nuncupantur *communes* „quod, ait Cav. *tom. 2, cap. 23*, non uni, aut alteri officio particulares sint, sed cuilibet officio feriali, et semiduplici communes; *suffragia Sanctorum*, utpote ad horum auxilium implorandum institutae; et *memoriae* a Radulpho *prop. 14*, quod in iisdem fiat memoria eorumdem Sanctorum." Cf. *pag. 217 sq.*

(2) *Exclusive.* „Excluduntur ab Adventu, ut in adventu Principis cedant servi; a tempore Passionis, ut uni

Christo in illo tempore, quo ejusdem repraesentatur passio, vacemus; a tempore paschali, quia cum juxta Joan. *Epist. 1, cap. 2.* Christus post resurrectionem suam apud Patrem advocatus noster factus sit singularis, aequum est, quod eo tempore spes nostra specialiter elevetur ad unicum ejus singulare refugium; ab officio denique duplici, et ab octavis, ad majorem celebritatem.“ Cav. *l. c.* Cf. *pag. 186, 5.*

(3) *De Patrono vel Titulo Ecclesiae.* Haec verba manifestant hic agi de *solius* Ecclesiae Patrono vel Titulo, prout Ecclesia reperitur dedicata Personae aut Rei sacrae, juxta dicta *pag. 133 sqq.*, minime vero de Patrono *Loci.* Quod praeterea confirmatur tum ex Rubrica peculiari in psalterio apposita ante Primam Dominicae, tum ex S. R. C. declaratione 23 Sept. 1848, n. 4980. Unde de sensu praesentis Rubricae nullum moveri potest dubium, quidquid olim senserint Rubricistae vel maximi nominis [1].

Quamvis autem ex hac Rubrica nihil agendum sit de Patrono Loci, nisi insimul sit Patronus Ecclesiae, nihilominus ex consuetudine, etiam faciendum est suffragium Patroni Loci, scilicet Civitatis, Oppidi aut Pagi (vide dicta *pag. 145*), imo Dioecesis, saltem si, pro hoc ultimo casu, existat specialis consuetudo (vid. dicta *pag. 152*).

Quod attinet ad Patronum praecipuum proprii seu peculiaris Loci (cujus vices aliquando supplet Patronus Dioecesis, ut dictum est *pag. 152*), consuetudo videtur universim vigere et, qua talis, tanquam generalis regula habita a S. R. C. [2], saltem [3] respectu eorum qui nulli Ecclesiae sunt addicti, ita ut non requiratur ut in Loco vigeat talis consuetudo. „Quamvis igitur, ait Merati, *sect. 5, cap 18, n. 8,* ex dispositione praedictae Rubricae nulla deducatur obligatio faciendi Commemorationem de Patrono loci, nihilominus, quia mos invaluit apud fere omnes inter Communia Suffragia recensendi etiam Patronum principalem loci in quo recitatur Officium, idcirco non est recedendum ab hac pia consuetudine, praesertim ubi est legitime introducta.“

1) Cavalieri, *tom. 1, dec. 43, a n. 2 ad 27*, cum Gavanto etc., contra Guyetum et Meratum, quibus consentit Romsee, late propugnat in hac Rubrica agi simul de Patrono Loci, et de Patrono aut Titulo Ecclesiae.

2) Vid. dec. 4 Sept. 1745, n. 4027, 8; 7 Jun. 1721, n. 3798, explicatum per subsequens 27 Feb. 1847, n. 4925.

3) Dec. 12 Sept. 1840, n. 4750, 3, *in Brugen.*

Dictum est: *saltem respectu eorum qui nulli Ecclesiae sunt addicti.* Quia pro his res non est dubia, dum de aliis, qui nempe agunt commemorationem Titularis suae Ecclesiae, id aeque certo affirmari nequit. His enim applicari non potest dec. cit. *in Brugen.*, neque pro certo haberi potest generalem existere consuetudinem faciendi commemorationem simul de Patrono Loci et de Patrono vel Titulo Ecclesiae. Si tamen peculiaris existat consuetudo utramque commemorationem agendi, ea servanda videtur ex decretis cit. hic in notat. 2. Et idem resolvendum est de Patrono Dioecesis, videlicet attendendam esse consuetudinem.

Huic resolutioni non obstat S. R. C. Responsum 8 Apr. 1656, n. 1642, ubi declaratur „posse, sed minime cogendos qui recusaverint facere commemorationem de Patrono Dioecesis inter Suffragia Sanctorum.“ Tempore enim hujus Rescripti, nondum hujusmodi consuetudini accesserat vis legis quam eidem tribuere vel saltem agnoscere videntur hic citata Decreta.

Nec dicendum est contradicere decretum 23 Sept. 1848, n. 4980. Cum enim ibi mandentur *servari Rubricae et Decreta*, non solum non revocantur citata decreta 7 Jun. 1721, 4 Sept. 1745, 12 Sept. 1840, et 27 Feb. 1847, sed expresse confirmantur. Omnia igitur decreta inter se sunt componenda. Quod congruenter fieri videtur, distinguendo jus quod ex *sola* Rubrica oritur, ab illo quod accessit ex *consuetudine*, decretis confirmata.

Ex dictis supra *pag. 116 sq.* facile colligitur commemorationem de Titulari Ecclesiae respicere eos qui eidem sunt adscripti, et eam de Patrono loci, pertinere ad ejusdem incolas.

Ex hucusque expositis sequentia erui possunt: *a)* Qui alicui Ecclesiae est adscriptus, ultra commemorationem, de illius Titulari inter Suffragia SS., agere tenetur, si talis vigeat consuetudo, eam de Patrono tum loci proprii, tum Dioecesis. — *b)* Qui vero nulli Ecclesiae est adscriptus, agere tenetur de Patrono loci proprii, et praeterea, si talis vigeat consuetudo, de Patrono Dioecesis.

„Quod si adsint plures Patroni, vel Tituli Ecclesiae, de omnibus possit fieri Commemoratio, imo omnes in una Antiphona, et in unica Oratione possint de licentia Majorum conjungi, exemplum nobis exhibet Sacrosancta Late-

ranensis Basilica, quae hoc modo comprehendit Commemorationem Salvatoris, et utriusque Joannis, qui sunt Titulus respective, et Patroni ejusdem primae omnium Cathedralis Ecclesiae.“ Mer. *sect. 5, cap. 18, n. 8.* Cf. dicta supra *Tit. I, § 3, n. 11 et 29.* Sed de pluribus Patronis Ecclesiae aut Loci non potest divisim fieri Suffragium. Dec. 20 Nov. 1683, n. 2891, 7, et 27 Feb. 1847 cit.

(4) *Pro dignitate illius*, juxta exposita *pag. 251 sq.* Ordo enim dignitatis ibi datus hic servandus est, hocque difficultatem non patitur quando, ut supponit Rubrica, fit tantum commemoratio de Titulo aut Patrono Ecclesiae. Unum tantummodo est addendum, scilicet: si Titularis sit Apostolus, ejus commemoratio postponenda est illi SS. Petri et Pauli, juxta dec. 28 Sept. 1675, n. 2597, 1. Hi enim sunt Apostolorum Principes.

Contingere autem potest ut fiat simul de Patronis Ecclesiae ac Loci, de Patronis Dioecesis ac Loci proprii, et hi Patroni sint ejusdem dignitatis v. g. Apostoli, vel diversae quidem dignitatis, sed quae non attenditur in occurrentia, utpote inferior dignitati Apostolorum. Pro hujusmodi casibus ponendae videntur sequentes regulae.

I. Titularis Ecclesiae, juxta dicta *pag. 250*, ita videtur dignior Patrono Loci, ut huic anteponendus sit inter Suffragia Sanctorum. Cs. Cav. *tom. 1, dec. 43, n. 40.*

II. Ex decreto 7 Jun. 1721 cit. commemoratio fieri debet 1° de Patrono Dioecesis et 2° de Patrono Loci, puta proprii.

Hic non datur praeferentia peculiari sed generaliori Patrono et hoc ad majorem uniformitatem cum communitate, a qua uniformitate non receditur, nisi propter rationem potiorem. Hinc inter occurrentia, sed non inter reponenda Festa *(pag. 251 et 255)* praeferuntur quae sunt magis peculiaria. Hujusmodi, autem praeferentia videtur admitti in occurrentia ex speciali congruentia, videlicet, ne a propria die amoveatur Festum quod in Ecclesia aut Loco, speciali devotione celebratur prae altero occurrenti et alias aequali. Quae peculiaris et potior ratio non militat pro Festis reponendis aut pro suffragiis Patronorum.

In dicto tamen ordine assignando dissentiunt AA. eoque magis quod, uti dictum est, alii affirmant, alii negant agendam esse commemorationem de solius Ecclesiae Patrono aut Titulo. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 219 sqq.*, et *tom. 1, dec. 40, n. 37 sqq.* Mer. *l. c. n. 8.*

Ex dictis asserendum videtur dignitatem hierarchicam Litaniarum non esse hic attendendam inter Sanctos minus dignos Apostolis, sicuti dictum est de translatione Festorum, *pag. 251.*

(5) *Semper ultimo loco*, quia, ait Cav., ultimum quod exspectamus, est pax aeterna, et quia in pace omnia bona continentur.

(6) *Et ante illas in feriali Officio*, ac proinde non in I Vesp. Dom. *fit de Cruce.* Quae commemoratio aliis, etsi dignioribus, praeponitur, quia per se seu ex natura rei pertinet ad Officium feriale. Cav. cum Mer. Propter eamdem rationem commemoratio de Cruce infra Tempus paschale postponitur commemorationi speciali: haec enim etiam pertinet ad Officium.

Rub. 2. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriae secundae post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in duplicibus, neque infra Octavas.

Rub. 3. Si facienda sit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.

Rub. 4. Commemoratio de sancta Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quandocumque fit Officium de ea.

Ratio hujus Rubricae est, ne de Beata duplex fiat suffragium generale, unum per Officium parvum et aliud per commemorationem generalem. Vid. Cav. *tom. 2*, *dec. 291.* Si tamen S. Maria sit alicujus Ecclesiae Patrona, recitatio Officii parvi non impedit quominus de ea, ut Patrona, fiat consuetum Suffragium. Dec. 2 Oct. 1683, n. 2889, 7. Et ratio discriminis est, quia Officium parvum supplet quidem Suffragium generale de Beata, qua Patrona Universalis Ecclesiae, non vero particulare de Eadem, qua alicujus Ecclesiae speciali Patrona. Cav. *l. c.*

Omittitur autem Suffragium de S. Maria, quando de Eadem fit Officium, puta in Sabbato, aut Specialis Commemoratio. Pariter non fit nisi solum Suffragium de S. Cruce et de SS. Ap. Petro et Paulo, in Ecclesiis quae sunt dedicatae in honorem S. Crucis aut praedictorum SS. Apost. Cf. dec. 30 Mart. 1621, n. 448, et 16 Oct. 1743, n. 4000.

Notandum autem est 1° in Ecclesiis SS. Salvatori dicatis Commemorationem de eo agendam esse, non omissa illa

de Cruce in Officio feriali. Dec. 23 Aug. 1704, n. 3554, 1. — 2° Suffragium de S. Patrono non esse omittendum in Vigilia Omnium Sanctorum, quamvis et ipse comprehendatur in Officio aut commemoratione de praedicta vigilia. Secus autem si de ipsius Vigilia fieret. Cf. Cav. *l. c. dec. 295.*

Quaeritur quibus Antiphonis et Versibus agendum sit Suffragium Patroni aut Tituli?

R. 1° Si quaestio sit de B. V., ejus Commemoratio agenda est juxta solitum. Dec. 12 Jan. 1669, n. 2312. Cf. dec. 2 Apr. 1667, n. 2259, 2, et 23 Apr. 1695, n. 3207, 2. Et ita est agendum quacumque sub ratione Deipara existat Titularis. Et idem dicendum de SS. Apostolis Petro et Paulo. Dec. 16 Oct. 1743, n. 4000. Sed quoad alios Sanctos, attendenda videtur peculiaris ratio sub qua constituti sunt Ecclesiae Protectores. „Cur, ait Cav. *dec. 294, n. 1*, magis in usum sit Antiphona *Sancta Maria*, et non Antiphona ex festo, in qua recolitur particularis ratio Tituli, fit dubium; at *communes* sunt commemorationes istae, unde in iisdem *communia* satius adhibentur, quinimo quae in festo usurpantur, persaepe non quadrant, et in alia necesse est mutari, vel nonnulla omitti. Antiphona autem *Sancta Maria* cum Deiparam absolute respiciat, nec quid in se habeat, quod particularibus rationibus, sub quibus Titularis esse potest, minus sit consonum, et in ea exoretur admodum apposite validum ejusdem patrocinium, haud dubie rite delecta exstitit pro commemoratione quorumcumque Titulorum. Hinc Gavantus, *sect. 5, cap. 18, n. 7*, et Guyetus, *lib. 3, cap. 17, q. 8*, in usum esse volunt suffragium *Petrus Apostolus* in Ecclesiis SS. Petro et Paulo, aut alterutri dicatis, et quidem tametsi sub particulari ratione aliqua, puta S. Petri ad Vincula, Conversionis S. Pauli, etc., iisdem dedicatae forent. Quae licet ita esse putemus in festis, quae jam inter suffragia proprium habent, non tamen probamus sententiam Guyeti, qui exceptis Ecclesiis sub Titulo S. Joannis ante portam latinam, et Decollationis S. Joannis Baptistae, in quibus ex festo suffragium proprium depromi autumat, in caeteris omnibus asserit suffragium faciendum esse, perinde ac si Ecclesia absolute Sancto dedicata foret, nos enim consultius esse credimus suffragium peti ex festo, si Antiphonas, quae quadrent, aut facile accommodari queant, habeat, ut suffragium undequaque apte conveniat nedum subjecto, quod Titulus est, sed etiam

rationi illi, sub qua est Titulus, nec aliam videmus posse esse causam, ob quam in duobus assertis casibus S. Joannis ante portam latinam, et Decollationis S. Joannis Baptistae ex respectivis festis desumi debeat.“

R. 2° Ubi non agitur de S. Maria, nec de SS. Apost. Petro et Paulo, servanda videtur resolutio, quam tradit Cav. *n.* 2. „Sit autem, inquit, generalis regula, ut pro suffragio ad laudes sumatur Antiphona cum Versu ad *Benedictus*, et ad Vesperas Antiphona cum Versu secundarum Vesperarum ad *Magnificat*, si festum, de quo faciendum est suffragium, proprium habet officium, et ex hoc suffragium desumi cogat necessitas, vel ut colatur particularis ratio Tituli, aut deficiat commune aliquod, quod apposite valeat deservire; extra hos enim casus satius nos adjudicamus ex respectivo communi peti suffragium, quia plerumque propria, quae usurpantur in festo, pluribus de causis minus apta censentur inter suffragia recitari. Quoties propria ex festo hunc ad effectum desumuntur, Antiphonae ad *Benedictus*, et ad *Magnificat* secundarum Vesperarum cum suis respectivis Versibus deserviant, quia ut belle ponderat Gavantus, *n.* 10, suffragium est quasi repetitio festi per annum, unde instar dierum infra octavas, quae itidem sunt repetitio festi, Antiphonas, et Versus ut supra debet habere. Secus vero est, si depromantur ex communi, ne ob occurrentiam festorum ejusdem qualitatis, Antiphonarum, et Versuum frequens mutatio ad varietatem inducendam fieri debeat. In hoc itaque casu potius consulimus Antiphonas aliquas, quae magis quadrant, ex nocturnis, aut ex laudibus cum Versu secundi, et tertii nocturni usurpare, et nihil est, quod vetet, eamdem Antiphonam, et Versum ad *Benedictus*, et *Magnificat* adhiberi, cum id similiter praestet Breviarium Romanum circa suffragium Deiparae; quod enim dicunt nonnulli, Antiphonas aliquas, etiam proprio arbitrio, aut sine Congregationis consensu efformatas, substitui posse, nos approbare non possumus, pluribus a Decretis instructi, in officio Divino nihil, vel minimum apponi, vel misceri posse, quod non fuerit a Sacra Congregatione approbatum. Non adeo tamen reluctaremur, si quis ex alio communi mutuaret Antiphonas, aut Versus, dummodo Sancto apte conveniant, quia sunt ex approbatis dici in officio divino.“

De *Alleluja* quod aliquando habetur in fine Antiphonae

propriae, notandum est illud retinendum esse extra tempus Septuag. etc. etiam in Suffragiis, quoties hujusmodi Antiphonae contineant verba, quae exprimant gaudium, victoriam et similia. Alias autem est omittendum. Ex dec. 29 Nov. 1738, ad 4.

R. 3° Ex eodem *n. 3.* „Cum propria, inquit, ex festo depromuntur, communiter Auctores asserunt, vocem *hodie*, aliamve similem, si adsit, esse omittendam, uti et in collecta vocem *Natalitia*, vel *festivitatem*, in *commemorationem* esse immutandam, aut prout magis licuerit, accommodandam, ne falsa enuntientur. Caeterum licet et nos ipsi ita faciendum esse putemus, haud tamen arbitramus per praefatas voces falsum iri enuntiatum, quia ut scite monet Suarez *de Sacrific. Missae qu. 83, art. 2, disp. 80, sect. 4*, quandoque praesentia referuntur ad praeterita; et sane quando festa ratione translationis extra proprium diem celebrantur, voces illae absque ulla absurditate usurpantur, et circa meridiem celebrantes, nihilominus in prima Missa Natalis Domini dicunt *Hanc noctem.*“ Cf. *pag. 337.*

Quando et quomodo varianda sit commemoratio, propter aliam similem, habetur *pag. 211 sqq.*

TITULUS XXXVI.

DE ANTIPHONIS BEATAE MARIAE IN FINE OFFICII.

Rub. 1. Antiphonae [1] beatae Mariae positae in fine Psalterii post Completorium, singulae dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, praeterquam in triduo majoris Hebdomadae ante Pascha.

Circa Rubricas ibi annotatas, unum venit advertendum, scilicet Antiphonam *Ave Regina Caelorum* incipi, ut ibi dicitur, a fine Completorii *diei 2 Februarii*, ac proinde nullo respectu habito an transferatur necne Festum Purificationis. Cf. pt. dec. 10 Jan. 1693, n. 3152, 6.

1) „Antiphonae in Virginis honorem, quae post canonicas horas dicuntur, respectivae pars horae non sunt, sed additamentum quoddam sero in Breviarium Romanum invectum; quaelibet enim hora per collectam terminatur, unde ab Epiphania ad Purificationem idem Versus *Post partum*, et Oratio *Deus qui salutis* dicuntur, in suffragiis et post Antiphonam finalem, cum tamen si Antiphona finalis esset pars horae, ex mandato Rubricarum eidem versui, et orationi variatio adhibenda foret.“ Cav. *tom. 2, dec. 337, n. 1.*

Rub. 2. Dicuntur autem extra Chorum tantum in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimae Horae. In Choro autem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora, discedendum est a Choro.

In fine Completorii, quamvis statim dicatur Matutinum. Nam Completorio absolvitur Officium diei. Cav. *tom.* 2, *dec.* 338, *n.* 4. In recitatione privata hujusmodi Antiphonae non sunt de praecepto post parvas Horas, aut Vesperas. Laudabiliter tamen recitantur, prout in choro, quoties terminatur aliqua Hora.

Rub. 3. Numquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Poenitentiales, aut Litaniae, praeterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiamsi praedicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (1) [praeterquam in diebus Dominicis (2), a primis Vesperis Sabbati, et toto tempore Paschali], Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

(1) *Dicuntur autem flexis genibus.* Qui modus non obligat extra Chorum, juxta dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 44. Consultius tamen, etiam extra chorum, idem ritus servatur.

(2) *Praeterquam in diebus Dominicis, a I Vesperis Sabbati.* Quae exceptio de duobus est intelligenda: *a)* de tempore quod currit a I Vesp. Sabbati usque ad crepusculum Vespertinum in Dominica, quamvis tunc dicatur officium vel Sabbati vel feriae II, et *b)* de ipso Officio Dominicae, cujus Ant. finalis recitanda est stando, quamvis dicatur post dictum crepusculum. Dec. cit. 12 Nov. 1831, 45. Cs. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 6, et 22 Aug. 1818, n. 4399, 8. Et ratio esse videtur quia tum per ipsam diem Dominicam, tum per ejusdem officium, significatur Resurrectio Domini, propter quam stando dicitur Antiphona finalis.

TITULUS XXXVII.

DE OFFICIO PARVO BEATAE MARIAE ET ALIIS.

Rub. 1. De Officio parvo beatae Mariae, de Officio Defunctorum, de septem Psalmis Poenitentialibus et Litaniis, et de Psalmis Gradualibus, quando et quomodo, tam

in Choro quam extra Chorum, dicenda sint, habentur suis locis propriae Rubricae circa finem Breviarii.

Generalis obligatio recitandi haec duo officia et dictos Psalmos suppressa fuit a S. Pio V. Reservata tamen fuit peculiaris consuetudo eadem recitandi in choro. Equidem S. Pius V. sermonem facit solummodo de pia consuetudine recitandi parvum Officium B. M. V. (vid. *pag. 101*). Unde docuit Cavalieri, *tom. 2, dec. 421, n. 2,* non obligare consuetudinem in choro recitandi Officium defunctorum, aut Psalmos poenitentiales vel graduales. At mentio specialis quae, in Bulla Piana, fit de Officiis B. Virginis non est sumenda in sensu exclusivo, uti constat ex dec. 23 Sept. 1827, n. 4483, aliisque ibi adnotatis.

Rub. 2. Tempore Paschali, in Officio parvo beatae Mariae, quod dicitur in Choro, non additur *Alleluja* Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriis.

APPENDIX AD SECTIONEM III.

DE CAEREMONIIS DIVINI OFFICII. — DE LAUDIBUS VESPERTINIS (SALUTS). — DE CANTU IN ECCLESIIS. — DE ORGANO.

1. In Rubricis generalibus Breviarii hucusque expositis, paucae admodum traduntur Caeremoniae divini Officii, ideo quod viri ecclesiastici ad chorum obligati, eas singillatim descriptas habent in Caeremoniali Episcoporum aut in Caeremonialibus propriis. Quamvis ad scopum nostrum non pertineat horum Librorum caeremonias ex professo exponere, et aliunde caeremoniae Breviarii fuerint propriis titulis explicatae, nihilominus quaedam hic veniunt dicenda de Rubricis ad Officium chori pertinentibus, in gratiam eorum qui officium privatim, aut publice quidem, sed in Ecclesiis, quae jure communi non sunt obligatae ad officium chori, quales sunt v. g. Ecclesiae mere parochiales. Hae nimirum non tenentur ad officium chori, sicut Ecclesiae Cathedrales aut Collegiatae, quamvis et ipsae possint teneri ad aliquod officium, diebus Dominicis aliisve persolvendum, vi fundationis, consuetudinis aut praecepti particularis. Ut igitur completa sit expositio Rubricarum de officio divino persolvendo, privatim aut in choro, extra Ecclesias cathedrales et Collegiatas, nonnulla hic veniunt addenda iis quae jam dicta sunt de ritu recitandi Officium

divinum. Hujus appendicis materia dividitur in quatuor §§, ut enunciat Titulus.

§ I. DE CAEREMONIIS OFFICII DIVINI.

2. Duo inquirenda sunt in hoc § 1, an et quae Caeremoniae [1] Officii divini obligent in recitatione privata aut quasi privata [2], et 2, quaenam sint Caeremoniae quae de praecepto aut saltem convenienter servandae sint in dicta recitatione. Deficientibus, uti dictum est, Breviarii Rubricis de hac materia, ea quae hic exponuntur, praecipue desumuntur ex Caeremoniali Episcoporum, ex Rubricistis et aliquando ex consuetudinibus. Semper itaque prae oculis habenda erunt quae, *Parte 1,* dicta sunt de obligatione Caeremonialis Ep. extra Cathedrales et Collegiatas, atque de auctoritate Rubricistarum et vi consuetudinis in re liturgica. Inde lector colligere poterit hic plura tradi quae non excedunt congruentiam, et quae proinde communiter cedunt consuetudini rationabili.

I. De obligatione vel congruentia servandi caeremonias divini Officii in recitatione privata aut quasi privata.

3. Circa hujusmodi obligationem, distinguendum est. Dantur Caeremoniae de quarum obligatione *extra chorum* nulla esse potest quaestio, quia patet eas praescribi tantum pro recitatione in choro. Tales sunt quae in solo Caeremoniali praescribuntur, v. g. genuflexio in fine lectionis *(pag. 326)*; talis est etiam ritus quem tradunt Rubricae Breviarii de voce varianda, dicendo quaedam secreto et alia clara voce *(pag. 340)*.

4. Certum etiam est Rubricas de situ non obligare extra chorum: quia constitutae sunt solum pro choro, nec Ecclesia vult earum obligationem extra chorum extendere, juxta dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 44. Est etiam sententia communis. „Extra chorum, ait S. Lig. *Th. mor. l. IV, n. 179,*

1) Vox, *Caeremonia,* hic non distinguitur a ritu, sed sumitur in sensu lato pro reverentiis et actionibus quae pertinent ad Officium inchoandum, peragendum et terminandum. An autem et quomodo caeremonia differat a ritu, dictum est *pag. 2.*

2) Brevitatis gratia, *quasi privatam* nuncupo eam officii recitationem, quae fit publice in choro Ecclesiarum quae non sunt obligatae legibus chori, quales sunt v. g. Ecclesiae mere parochiales, uti observatum est.

communiter docent praefati *(ibi cit.)* auctores, (quidquid aliqui dicant) nullam esse culpam, ritum praescriptum omittere, licet laudabile sit illum servare. Censet autem Concina *pag.* **491**, *n.* **2**, et Viva *l. c. n.* **6**, non excusari a veniali, qui, sine causa, officium recitaret recumbendo in lecto." Itaque privatim recitans potest eligere situm vel ipsi magis commodum aut utilem, modo sit honestus, v. g. sedendo, stando aut deambulando; vel magis pium, puta genuflectendo, praeterquam ad ea quae in Choro praecipiuntur dici stando propter aliquam congruentiam, ut in sequentibus.

„Convenienter, ait Gav. *sect. X de Caerem.*, statur ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, quia sunt de textu Evangelico; ad Symbolum item Apostolorum, ut ad fidei confessionem promptiores videamur. Item ad Horarum Initia, quibus adjutorium divinum imploramus, et laudem Deo Trino tribuimus; ad Invitatorium, ne segnes videamur, dum alios invitamus; ad Hymnos, qui sunt laudes Dei solemniores, inter quos *Te Deum* quoque numeramus; ad Versus quoque Nocturnorum, et post Hymnos, quia iis, ut docuimus supra, convertimur, et excitamur in Deum; ad textum Evangelii ante Homiliam, quod per se patet; ad Capitula, quae sunt breves exhortationes majorum, ad Cantica *Benedictus, Magnificat*, et *Nunc dimittis* quae vocantur Evangelica. Ad Orationes denique omnes, quibus immediate Deum alloquimur (excepto triduo majoris Hebdomadae) et ad Preces, quae praecedunt." Observandum etiam est varietatem in situ aptam esse ad excitandam fovendamque attentionem.

5. Item extra chorum non obligant signa Crucis, inclinationes aut pectoris tunsiones. Nam in Rubricis Breviarii, uni Hebdomadario praescribuntur signa Crucis *(pag. 286)*, et nulla fit mentio de inclinationibus aut pectoris tunsione. Cf. dec. **12** Nov. **1831**, **4520**, **42**, de verbis *Vobis Fratres*, etc., omittendis vel non, quando plures privatim recitant Officium.

Congruit autem, sicuti dictum est *n. praec.* cum S. Ligorio, ut signa Crucis, inclinationes pectorisque tunsiones fiant privatim uti in choro.

6. Quod ad recitationem *quasi privatam* attinet, non potest idem resolvi ac de privata, aut de ea quae fit in Ecclesiis ad chorum obligatis: aliquatenus enim pertinet

ad privatam et aliquatenus ad recitationem in choro. Hinc una ex parte, de recitatione quasi privata, id est, de officio quod publice persolvitur in Ecclesiis parochialibus et similibus, mentionem non faciunt Rubricae Breviarii aut Caeremonialis Episcoporum, neque de illa existit expressa lex generalis, adeo quidem ut Vesperae possint in hujusmodi Ecclesiis cantari non conformes Officio, sed ad normam officii votivi (Sacerdos tamen qui has recitat non adimplet suum onus Officii canonici). Vid. dicenda *§ seq. n. 2.* Altera vero ex parte, praedicta recitatio est revera officium publicum Ecclesiae ac proinde necessario servandae sunt in ea caeremoniae quas exigit tum reverentia cultus divini tum aedificatio Christi fidelium. At cum illa reverentia, illa aedificatio valeant etiam obtineri quamvis non serventur singulae caeremoniae Officii canonici, ideo affirmari nequit eas omnes obligare.

In hac igitur quasi privata recitatione *quaedam, sed non omnes* caeremoniae Officii canonici erunt de praecepto servandae. Sic v. g. servanda erit Rubrica Caeremonialis Episcopi, juxta quam genuflectendum est in accessu ad altare, aut in transitu ante illud, quando ibi habetur tabernaculum cum SS. Sacramento. Item, ad *Gloria Patri*, caput erit aperiendum. E contra non obligabit Rubrica Caeremonialis juxta quam cantor accedit ante Celebrantem ipsi praeintonaturus Antiphonam. Cf. dicta *pag. 14 sq.*, de obligatione Caeremonialis extra Cath. et Collegiatas. Sed non possunt in specie indicari singulae quae de praecepto, aut de consilio tantum servandae sint. Semper autem consultum erit omnes servare, quantum fieri possit. Hae enim Caeremoniae, si rite et uniformiter serventur, commendatur SS. rerum majestas, instruuntur fideles, eorumque necnon recitantium pietas excitatur, et nutritur, unitasque fidei et cultus factis praedicatur. Cf. dicta *pag. 4 sq.*

Dictum est, *quantum fieri possit,* tum quia dari potest usus quem tollere non convenit (cf. dicta *pag. 53 sqq.*), tum quia inter caeremonias praescriptas pro Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, plures reperiuntur quae in multis Ecclesiis servari nequeunt defectu Cleri aut sacrorum aut paramentorum.

II. Caeremoniae Vesperarum solemnium et Completorii.

7. Caeremoniae, datae a Rubricis Breviarii, fuerunt propriis titulis expositae. Cf. Tit. XII, 1, *de initio Matutini;* Tit. XV, *de Prima;* Tit. XXXII, *de modis dicendi or. Dominicam;* Tit. XXXIV et XXXVI, *de situ* infra preces et Antiphonas finales B. M. V.

Hic traduntur Rubricae Caeremonialis Episcoporum, ut ex eis desumantur quas oportet aut convenit observare in Ecclesiis parochialibus et similibus.

Caeremonialis, *lib. 2, c. 3,* primo tradit caeremonias regulariter servandas, et deinde indicat quid discriminis sit ponendum in celebrandis Vesperis pro varia earum solemnitate. En integrum textum praecitati capitis 3, subjectis numeris, et nonnullis adnotationibus.

8. Agenda in Sacristia et in accessu ad altare. „In Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris tempori convenientis super Rochetto, si eo utatur, aut super cotta, et cum eo parantur quatuor, aut sex Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiae, non tamen Canonici; coadunatisque Canonicis, et aliis de clero, in chorum, praedictus Canonicus celebrans procedit e sacristia hoc ordine: praecedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde caeremoniarius, et aliqui ministri cottis induti; mox Presbyteri, pluvialibus parati, bini, et bini; ultimo loco Canonicus celebrans, pluviali indutus, medius inter duos ex dictis Presbyteris; qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevant; parati vero procedunt manibus junctis, et cooperto capite." *N. 1.*

Juxta hanc Rubricam, Crux adhibenda non est in accessu ad altare. Usus tamen contrarius invaluit in nonnullis Ecclesiis. An tollendus vel servandus sit, colligendum est ex dictis *hic n. 2,* et *Part. I, de consuetudine.*

De usu assistendi in Dalmatica et Tunicella, vel dec. 31 Aug. 1793, n. 4308.

9. De adventu ad altare et accessu ad propria loca. „Cum perveniunt ante altare, stabunt omnes recta linea; ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a lateribus: in eorum medio Presbyteri pluvialibus parati; et inter ipsos medius Canonicus celebrans paratus; simulque omnes, detecto capite, genuflectent, genuflexique, parumper ora-

bunt, praeter Acolythos ceroferarios, et ministros supradictos, cottis indutos, qui statim discedunt ad latera altaris, ibique Acolythi candelabra cum cereis extinctis super gradu, vel plano inferiori deponunt." *N.* 2.

„Presbyteri parati cum Canonico celebrante, postquam oraverint, surgunt, et profunde altari caput, humerosque inclinant. Si vero Sanctissimum Sacramentum in eo asservetur, denuo genuflectunt; deinde salutant, ab utraque parte chori, Canonicos, capitis inclinatione." *N. 3.*

Advertendum est hic neminem, ne celebrante quidem excepto, eximi a genuflexione. Haec autem Rubrica servanda est quoties reverentia indicitur fieri altari. „*Nam reverentia* est nomen genericum, ait Cavalieri, *tom. 4, dec. 9, n. 4,* quod genuflectionem minime excludit." Sub se nimirum comprehendit diversas inclinationes et genuflexiones, ac proinde intelligenda est vel de inclinatione, vel de genuflexione pro exigentia casus et juxta Rubricas.

„Canonicus vero paratus celebrans, accedit ad scamnum, panno coopertum, in cornu Epistolae praeparatum, vel ad stallum, seu primam sedem chori ab ea parte, quae eidem illa hebdomada obtigerit, in qua sede ponetur pulvinum, et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio, ante se posito; super quo etiam ponitur liber, serico, coloris caeterorum paramentorum, tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante celebrantem, et removetur prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum celebrantem." *N. 4.*

10. Initium et prosecutio Vesperarum usque ad Capitulum. „Sedet ibi paululum, Presbyteri vero parati stant ante eum in plano, et cum per caeremoniarium fit signum inchoandi, ipse Canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de choro, qui secreto dicit *Pater noster,* etc., et *Ave Maria,* etc., integre; quibus dictis elevatur ei pars dextera pluvialis aliquantulum per caeremoniarium, vel per primum assistentem paratum, si sint in scamno; et ipse se signat signo crucis a fronte ad pectus, dicens clara voce, et in cantu competenti, *Deus, in adjutorium,* etc., prout supra, celebrante Episcopo, dictum est." *N. 5.* Vid. *pag.* 285.

„Tunc unus ex dictis Presbyteris paratis, facta altari reverentia, ac ducente caeremoniario, accedit ante ipsum Canonicum celebrantem, et illi se profunde inclinat; et

expleto per chorum Versiculo *Sicut erat*, etc., et *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, etc., ipse stans, praeintonat illi Antiphonam primi Psalmi, qua per Canonicum celebrantem repetita, ipse iterum facta reverentia ante illum, et altare, ut prius, recedit cum caeremoniario ad sedilia in plano chori disposita hinc inde contra altare, et ornata panno viridi, aut tapetibus, ubi sedet cum aliis Presbyteris paratis.“ *N. 6.*

Facta altari reverentia, id est, genuflexione aut profunda capitis inclinatione, prout ibi asservatur vel non SS. Sacramentum, juxta *n. 3* hujus capitis.

„Expleta per chorum Antiphona, duo cantores, cottis induti, intonant Psalmos in medio chori, et incoepto primo versu Psalmi, omnes sedent; et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum surgunt, ut mox dicetur.“ *N. 7.*

Pro tempore quo SS. Sacramentum est publice expositum, sequentia ordinat Caeremonialis *lib. 2, c. 33, n. 33*, agendo de Octava Corporis Christi. „Et quia solitum est, ait, per totam hanc octavam ponere super altare tabernaculum cum SS. Sacramento discooperto, dum Vesperae, et officia divina recitantur, ad quae magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, quam Canonici, et omnes praesentes, et in choro assistentes, durante officio, starent semper, capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente SS. Sacramento super altari, divinis officiis assistere.“

De sessione infra Missam, exposito SS. Sacramento, agitur *tom. 2.*

„Cum dicitur Versiculus *Gloria Patri*, etc., in fine cujuslibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant, sic permanentes usque ad Versiculum *Sicut erat*, etc. Cantores duo praedicti, vel ultimus ex dictis Presbyteris, pluvialibus paratis, si sint plures, quam duo, praeintonant caeteras Antiphonas Canonicis ab utraque parte chori per ordinem, incipiendo a dignioribus; et cum aliquis ex Canonicis, reassumpturus Antiphonam, surgit, pariter omnes tam Canonici, quam alii de clero surgunt, et illo sedente, sedent.“ *N. 8.*

Caput etiam inclinandum erit ad nomen Jesu, Mariae,

et Sancti, de quo Officium recitatur. Item ad *Confiteor*, etc., quod in Prima, et ante Completorium dicitur, usque ad *Misereatur* inclusive, ab eo, qui dicit, et cui dicitur respective, ut in Missa Gav. *sect. X, n. 5.* — Item in fine Hymnorum, cum nominatur *Sancta Trinitas*, omnes profunde se inclinant. Caerem. Ep. *l. 2, c. 6, n. 8.* Cf. S. R. C. 12 Aug. 1854, 65. Cf. pt. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 40.

11. De Capitulo, Hymno et Thurificatione. „Finitis Psalmis, duo Acolythi simul deferentes candelabra cum candelis accensis, cum dictis Presbyteris paratis, accedunt ad Canonicum celebrantem, eique faciunt reverentiam, et hinc inde ad ejus latus assistunt in plano chori: ipse vero Canonicus, finita Antiphona, seu sono organi, surgit, capite detecto; junctisque manibus, cantat Capitulum; et, eo finito, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante ejus faciem, intonat illi Hymnum; quo per eum repetito, praedicti Acolythi, ac Presbyteri parati, facta Canonico reverentia, recedunt ad loca sua, ubi parati, stant manibus junctis, donec perficiatur Hymnus.“ *N. 9.*

De modo repetendi intonationem Hymni, *Jesu Redemptor*, in Nativitate Domini, habetur, Caerem. *l. 2, c. 14, n. 5*, Rubrica specialis, scilicet Episcopus, dum repetit praedictum Hymnum, elevat et jungit manus, caput versus altare inclinans, ob reverentiam Divinae Incarnationis. Romsee, *tom. 3, art. 18, n. 9*, cui non contradicit D. Hasé *ibidem*, docet hunc ritum servandum esse, ad Vesperas Pentecostes, dum intonatur Hymnus *Veni Creator*. Sed hoc videtur fieri absque fundamento, ac proinde introducendus non est talis usus.

Ad Hymnum regulariter statur. Sunt tamen Versi ad quos genuflectendum est, scilicet: ad versiculum seu stropham *Veni Creator*, etc.; *Ave maris stella*, etc., Caerem. *l. 2, c. 1, n. 12*; *Te ergo quaesumus*, in Hymno: *Te Deum*; *Tantum ergo*, etc., quando ipsum Sacramentum est super altari, Caerem. *l. 1, c. 28, n. 6*; cf. pt. dec. 19 Sept. 1665, n. 2198, 14, ubi enumeratur etiam Versus *O Crux ave.* Quidam, ait Gavantus *h. l.*, genuflectunt ad verba: *O Salutaris Hostia.* Merati, *hoc loco* et *sect. VI, c. 18*, late expendit varias AA. opiniones et Caeremonialium Rubricas de tempore, quo incipiendae et per quod protrahendae sunt dictae genuflexiones. Regula tamen, a Caeremoniali ut supra tradita, satis clara videtur, scilicet genuflectendum

esse a Celebrante post intonationem; ab aliis, ab initio, usque ad finem strophae, seu versiculi, ut vocatur in Caeremoniali. Ita etiam dec. 14 Nov. 1676, n. 2653, 7.

Quidam putarunt genuflexionem esse protrahendam usque ad finem strophae *Genitori.* Non tamen videtur talis esse sensus Rubricae: non enim dicit, ad Versiculos seu strophas, sed loquitur in numero singulari.

Genuflexio ad stropham *Tantum ergo*, non indicitur, in Caeremoniali, modo absoluto, sed *quando SS. Sacramentum est super altari.* Sunt AA. qui putent sufficere, si sit in Tabernaculo; imo Merati *l. c.* existimat non requiri quidem ut adsit in Tabernaculo. Ei favet dec. 31 Jul. 1665, n. 2198, 14. Cf. dec. 4 Aug. 1663, n. 4103, 2.

„Quo (Hymno scilicet) expleto, duo ultimi ex eisdem paratis, accedentes ad medium chori ante altare cum debita reverentia aequaliter ibi stantes, cantant simul versum [1] voce altiori, quibus chorus respondet: primus vero ex ipsis rediens ante celebrantem, cum debita reverentia praeintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per celebrantem repetita, ipse celebrans, et alii omnes in choro sedent: et cum inchoatur Canticum *Magnificat*, quod a duobus cantoribus cottis paratis intonatur, omnes surgunt, et ipse celebrans, salutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei assurgere debent capitibus detectis, vadit ad altare (a) cum dictis Presbyteris paratis, ordine, quo venerant, et faciunt altari profundam reverentiam: aut, si super eo sit SS. Sacramentum, genuflectunt ante infimum gradum (b): celebrans cum duobus ex dictis paratis ascendit ad medium altaris, quod osculatur, mox vertens se versus cornu Epistolae altaris, ubi thuriferarius ante eum stans inclinatus, offert illi thuribulum apertum cum prunis ardentibus, ministrante ei Presbytero parato, a dextera illius assistente, naviculam cum cochleari, imponit thus in thuribulum et benedicit more consueto; acceptoque thuribulo de manu ejusdem Presbyteri parati, thurificat altare debito ritu (c); mox thuribulum reddit eidem Presbytero parato, a quo acceperat, et ille thuriferario: et facta altari reverentia simul cum dictis Presbyteris paratis, ordine quo

1) Caeremonialis non praescribit ut adstantes, dum cantatur Versum, vertantur ad Altare. Hoc autem faciendum videtur, prout annotatur cum Bona et Merati, supra *pag. 311 (3).*

venerant, recedunt ad sua loca, salutatis iterum redeundo Canonicis, ab utraque parte chori ut prius." *N. 10.*

(a) *Vadit ad altare*, capite detecto, ob reverentiam Cantici evangelici. Mer. *n. 12.*

(b) *Genuflectunt ante infimum gradum.* Ex hoc loco et aliis Caeremonialis deduci potest regulam esse ut in accessu ad altare, et recessu ab eodem, genuflexio fiat, non super infimo gradu, sed ante illum, in plano. Confirmatur decreto 12 Nov. 1831, n. 4520, 51.

(c) *Thurificat altare debito ritu*, id est, eo prorsus quo praescribitur initio Missalis *Tit. IV, 4*, sine psalmo, *Dirigatur*. Gav. *l. c. n. 17.*

„Si aliud Altare est incensandum, puta, SS. Sacramenti (quod, more Urbis incensandum est prius, quam Altare, ad quod Vesperae fiunt), seu alterius Sancti pro more locorum, de quo fit Festum, praecedunt Acolythi, et procedunt alii parati, ut initio Vesp. et Celebrans ea omnia facit, quae in incensatione Altaris fiunt, excepto, quod non imponit rursus incensum in thuribulo, nisi opus sit." Gav. *l. c. cap. 3, n. 18.*

Rubrica Caeremonialis nonnisi de unius altaris thurificatione mentionem facit. Attamen ex dec. 31 Jul. 1665, n. 2198, 1, praeter altare chorale, thurificandum est altare ubi asservatur SS. Sacramentum; modo, juxta dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 11, expositum non sit ad altare chorale.

Si ad altare chorale adsit SS. Sacramentum vel publice expositum vel in tabernaculo reconditum, tunc juxta decreta citata, regula est ut aliud altare non incensetur. Excipiendus tamen videtur, cum Gav. cit., usus thurificandi insuper altare Sancti cujus festum colitur.

„Canonicus celebrans, stans in loco suo, in choro, invitato prius ad honorem incensationis proximiore Canonico, caput inclinando, aut, si absit, Vicario Episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis Presbyteris paratis triplici ductu thuribuli, cum profunda capitis inclinatione ante, et post incensationem." *N. 11.*

„Si vero Episcopus interest Vesperis non paratus, sed in cappa [1], thurificatio per celebrantem altari, ipse apud

1) Per *cappam* hic non intelligitur Pluviale, quod in quibusdam Regionibus illo nomine venit, sed intelligitur Cappa proprie

sedem suam stans, detecto capite thurificatur (Caerem. Ep. *lib. 1, c. 23, n. 17*), a primo presbytero assistente, *n. 26*, triplici ductu *n. 32*. Celebrans autem duplici tantum ductu. Ad Episcopum autem pertinet thus imponere et benedicere (*lib. 1, c. 24, n. 14*), ministrante naviculam primo ex assistentibus cum debitis osculis, dicendo: *Benedicte Reverendissime Pater;* et Thuriferarius genuflexus utroque genu (cum genuflectionibus unico genu ante et post) sustinebit thuribulum. Cf. Mer. *h. l. n. 15*.

Circa incensationem personarum in Ecclesiis minoribus, et Regularium, nulla datur in Caeremoniali Episcoporum determinata regula, unde unaquaeque Ecclesia circa hoc observare debet suas laudabiles, et praescriptas, probatasque consuetudines. Mer. *ibid.*

„Thuriferarius, vel ultimus ex assistentibus paratis, quatenus sint sex, vel quatuor, accepto de manu ejusdem Presbyteri thuribulo, thurificat omnes Canonicos ordine suo cum reverentiis ante, et post, duplici ductu; deinde caeteros de choro unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato." Caerem. *cap. 3, cit. n. 12*.

Advertat tamen incensans, quod dum a Choro cantatur *Gloria Patri*, *et Filio*, *et Spiritui Sancto*, debet facere pausam et inclinari versus Altare; et deinde prosequi, si aliqui remanent incensandi; seu potius procedere ad Populum incensandum. Mer. *ibid. n. 16*.

„Advertant interim cantores, et organista, ut cantum, et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta. Cum repetitur a choro Antiphona, omnes sedent. Interim Acolythi duo cum candelabris, ac cereis accensis, et Presbyteri parati, accedunt ad Canonicum celebrantem, assistendo, ut supra, factis solitis reverentiis." *N. 13*.

12. De oratione et conclusione Vesperarum. „Expleta Antiphona, omnes surgunt; Canonicus vero celebrans, stans junctis manibus, cantat *Dominus vobiscum*, *Oremus* et orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum, secundum regulas, et Rubricas Breviarii." *N. 14*.

Neque Caeremonialis, neque AA. requirunt ut caput inclinetur, dum in Officio profertur, *Oremus*, quemadmodum dicta, de qua Caerem. Ep. *l. 1, c. 3, n. 3*, et qua utuntur Canonici quarumdam Ecclesiarum v. g. Cathedralis Tornacensis.

fit in Missa, ex Tit. V, 1, et Tit. VII, 1. Videtur tamen facienda propter parem rationem, uti dictum est de inclinationibus ad nomina Jesu, Mariae, Sancti cujus festum colitur, et Papae. Cf. Deherdt, *P. V, n. 37, VII, 5°.*

„Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium chori, ad altare versi, et ibi voce altiori cantant *Benedicamus Domino*, et redeunt ad celebrantem, qui dicto *Fidelium animae*, etc., si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte chori, discedit cum praedictis paratis, ordine, quo venerat: si vero non sequatur Completorium, expletis a celebrante orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loco, dicto remissiori voce *Fidelium animae*, etc., et secreto *Pater noster*, et in fine mediocri voce *Dominus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariae, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando, juxta regulas Breviarii, standum, vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, et in fine dicit voce item submissa Versiculum, Orationem, et *Divinum auxilium*, etc., deinde discedit, ut supra.“ *N. 15.*

13. Differentia servanda pro varia solemnitate festorum. „Eodem modo, et ordine semper, diebus Dominicis, et festivis, quae a populo observantur, a Canonico hebdomadario, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum officia celebrantur: ea tamen moderatione adhibita, quod in festis solemnioribus, ut in Natali Domini Nostri Jesu Christi, Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in Festo Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum. Sancti Titularis Ecclesiae, et Patroni Civitatis, vel Ecclesiae Dedicationis, sex pluvialia a Presbyteris, seu Clericis totidem, hebdomadario assistentibus, sumantur.“ *N. 16.*

„In aliis festis immediate subsequentibus diem Nativitatis Domini, Paschae, et Pentecostes; item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annunciationis, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis, Sanctissimae Trinitatis, et Sancti Joannis Baptistae, quatuor tantum pluvialia sumantur; in Dominicis vero, et aliis festis, duo. In duplicibus autem minoribus, semiduplicibus, simplicibus, et

feriis, non oportet celebrantem, seu hebdomadarium esse paratum, nec fieri thurificationes.“ *N. 17, et ult.*

Consulto abstinui a miscendis, cum ipsis Rubricis Caeremonialis, usibus Ecclesiarum particularium, quia hujusmodi usus non possunt haberi tanquam Rubricae ubique servandae. Sed an tales usus sufficiendi sint necne propriis moribus, caeteroquin a Rubricis non reprobatis, pertinet ad prudens arbitrium Superiorum, Rectorumve Ecclesiarum particularium. Caeterum qui plura desiderat, adeat Gavantum et Merati *l. c.*, et Baldeschi, *tom.* 2, *part.* 2. Hic minutim exponit singulas caeremonias servandas in Vesperis cantatis; sed inter has caeremonias referuntur non pauci usus particulares. Cf. v. g. *cap. VI, n. 1* et *6* cum textu Caerem. *lib. 2, cap. 3, n. 2* et *11 hic relato.* In hoc *n. 11* celebrans praescribitur incensari *triplici ductu thuribuli,* et juxta Baldeschi, qui ad praxim romanam attendit, incensandus est tribus ductibus *duplicibus (con tre tiri doppi),* id est, pro singulo ductu, a caeremoniali ordinato, *bis* mittitur Thuribulum, brevissima pausa interposita, ita ut singulus duplex ductus, quasi unum ductum principalem constituat.

De Caeremoniis Tridui Sacri, dicitur proprio loco.

14. *De ritu celebrandi Completorium,* fere sufficiunt Rubricae Breviarii. Itaque haec pauca tantum adnotantur ex Caerem. *l. 2, c. 4.*

Officium Celebrantis erit circa haec, „ut dicente cantore, *Jube Domne benedicere,* ipse stans respondeat, *Noctem quietam,* etc.; et, post Lectionem brevem, *Adjutorium nostrum,* etc.; deinde *Pater noster,* etc.; tum confessionem et absolutionem, et alia usque ad *Deus in adjutorium,* etc., inclusive, et incoepto Psalmo sedebit.“ *Cap. cit. n. 2.* Cf. Tit. XV *de Prima.*

„Nulla autem fiet altaris thurificatio ad canticum *Nunc dimittis,* etc., nec organum pulsabitur, nisi forte in aliquibus Ecclesiis hujusmodi hora solemnius celebrari aliquando consueverit, quo casu organum adhiberi poterit, juxta normam traditam infra § 4.“ *N. 3.*

§. II. DE LAUDIBUS VESPERTINIS (SALUTS).

1. ‚Per laudes Vespertinas, vulgo *Saluts* (haec enim vox idem sonat ac laudes), hic intelliguntur, juxta nostrum communem loquendi modum, quaedam Officia seu

laudes Dei et preces, quae circa Vesperam (inde Vespertinae dicuntur) cantari solent cum expositione et benedictione SS. Sacramenti. Hora tamen vespertina non ita est propria hisce Officiis, ut aliis horis diurnis fieri nequeant.

2. De hujusmodi officiis non habentur peculiares Rubricae, neque aliqua lex generalis quae expresse jubeat ea ordinare ad normam harum vel illarum Rubricarum. Attamen cum habeant rationem officii publici, eatenus subsunt quibusdam generalibus Rubricis, tum quoad dies quibus possint celebrari, tum quoad ritum aliasque circumstantias. Cf. dicta *§ praec. n. 6.* Huc referri possunt quae Cavalieri scribit, *tom. IV, dec. 171, n. 7*, de officio coram SS. Sacramento exposito. „Non negamus, ait, ultra officium diei ad satisfaciendum praecepto, ex devotione dici posse quodcumque aliud (excipe tamen solemniora festa, quibus, aequum est, publicae correspondeant preces), et quidem etiam publice, et quamvis Sacramentum pateat expositum. Non est itaque reperire, quod vetet ultra officium canonicum in praedicta circumstantia decantari officium de SS. Sacramento, aut de eo Sancto, de quo ageretur solemnitas, cujus aut in honorem expositio fieret, vel in cujus intercessione populus specialiter confideret, dummodo sit ex Sanctis approbatis, et non beatificatis dumtaxat, et quibus publicae institui non possunt preces, nisi specialiter fuerit indultum."

3. Quoad dies quibus illa officia permittantur aut prohibeantur, idem statuendum est ac de expositione SS. Sacramenti si cum ea fiant. Si vero SS. Sacramentum non exponatur et preces desumantur ex officio diei, non solum permittuntur iisdem diebus, quibus licet exponere SS. Sacramentum, sed, in se spectata, licita videntur quovis die. Si autem hujusmodi Officia non sint conformia Officio currenti, patet illa non permitti omni die. Sic, v. g. Feria VI Hebdomadae S. non sunt publice cantandae Laudes de Sancto Patrono. De Laudibus vespertinis Defunctorum idem resolvendum venit ac de Officio eorumdem, de quo *sectione VI.*

4. Paramenta eadem adhibeantur ac in Vesperis solemnibus, id est celebrentur in habitu chorali, cum pluviali, si fiant solemniter, et cum stola, si tractandum sit SS. Sacramentum. Cf. *§. 1 praec. n. 8.*

De ministris, de Sacerdote assistente, de eorum paramentis, de causa et ritu exponendi SS. Sacramentum, de

luminaribus, quae coram illo collucere debent, de ritu benedicendi populum cum eodem, dicitur *tom. II.*

5. Pro colore distinguendum est sicut in expositione SS. Sacramenti. Si hujusmodi Laudes sequantur immediate aliquam Horam canonicam, v. g. Vesperas, servari potest color officii, modo non sit niger, exposito SS. Sacramento. Si vero fiant separatim tanquam officium distinctum, tunc, seclusa rationabili causa, adhibendus est color albus, propter SS. Sacramentum. Data vero rationabili causa, v. g. si paramenta coloris diei pretiosiora sint albis, ea usurpari posse videntur. Nam si color officii ea de causa permittitur quod ab altari non receditur, idem licitus habendus est, quacumque causa rationabili occurrente.

Si, quod vix evenit, hae Laudes fiant sine expositione SS. Sacramenti, pariter est distinguendum. Si cum officio diei immediate conjungantur, adhibeatur color diei; si autem fiant tanquam functio omnino separata, adhiberi etiam potest color Mysteriis aut Sanctis, quorum laudes celebrantur, conveniens, quia cum fiant extra officium, connexionem cum eo non habent, et potius imitari videntur Missam votivam, quam officium diei.

6. De his quae cantantur, duo quaeruntur: 1° quae generatim liceat vel non cantare in hujusmodi Laudibus, et 2° quo ordine et ritu sint cantanda? De 1°, agitur § seq. Satis sit hic adnotasse *a)* cantanda esse quae functionis qualitati conveniunt; et *b)* expositionem SS. Sacramenti non impedire, quin pro defunctis cantentur preces aut Psalmi, qui pro illis usurpari solent, v. g. *Miserere mei, De profundis.*

Quoad *secundum,* serventur Rubricae et ritus de divino officio et de expositione SS. Sacramenti. Sic quoad stationem, sessionem et genuflexiones, seclusa rationabili consuetudine contraria, serventur dicta de Vesperis. Apud nos, celebrans solet genuflectere ad ea quae coram SS. Sacramento exposito cantantur, praeterquam ad ea, ad quae standum est, v. g. ad *Magnificat,* ad *Te Deum.*

Ordo autem partium idem servari poterit ac inter commemorationes quae fiunt ad Vesperas. Cf. S. R. C. dec. quod fertur datum 7 Sept. 1850 *in Rupellen., ad* 19.

De salutatione, *Dominus vobiscum,* et conclusione orationum, haec notanda sunt. Versus *Dominus vobiscum,* omittendus est si una dicatur oratio de SS. Sacramento. Si

vero plures dicantur preces cum pluribus orationibus, ita ut intervallum non breve intercedat inter primam Orationem et benedictionem cum Sanctissimo, tunc dictus Versus praemitti posse videtur primae orationi, prout fit ad Vesperas in quibus plures dicuntur orationes. Ideo autem omittitur illa salutatio, „quia, inquit Gardellini, *ad Inst. Clem. §. 31, n. 6*, Merati et Cavalieri secutus, immediate post cum Sacramento, populo adstanti impertienda est benedictio, quae est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea, quae per vocem exprimitur. Quod si preces aliquae in expositione recitentur cum Oratione Sacramenti et discedendum postea sit ab Altari, ita ut aliquod spatium intercedat inter expositionem et repositionem, idem versus Orationi praemittendus erit, quia cessat ratio, ob quam omittitur.“ Cf. *ibidem n. 7 seq.*

Conclusio Orationum erit brevis, juxta dicta, *pag. 336.*

§ III. DE CANTU IN ECCLESIIS.

De hac materia Benedictus XIV, erudite, more suo, tractat in Epistola encyclica, *Annus*, quam, *die 19 Feb. 1749*, direxit ad Episcopos Ditionis ecclesiasticae. Legitur in Bullario praefati Pontificis, *tom. III, ord. III.* — Cum nostrum non sit scribere tractatum de Cantu, hic quaedam tantummodo adnotabimus, quae leges liturgicas respiciunt.

1. Cantus duplex distinguitur, *planus* seu firmus, et *musicus* seu figuratus. Prior est proprie Cantus Ecclesiae et solet dici *Ecclesiasticus* [1]. De utroque sequentia scribit Bened. XIV *l. c.*

a) Postquam, § 2, asseruit cum Concilio Tridentino, *Sess. 24, cap. 12, de Reformat.*, Canonicos saeculares teneri in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare, haec

1) Cantus Psalmorum repetitur »ab Apostolis: habetur, *Coloss. 3, Ephes. 5, in Psalmis cantantes;* adeo ut *ex Dion. de Caelest. Hierarch. cap. 3.* Psalmorum modulatio omnibus fere Pontificiis mysteriis, essentiae instar, adhibeatur. Cantus autem primitivae Ecclesiae, modico flexu vocis pronuncianti Psalmos, quam canenti, vicinior erat, *ex Isidor, loc. cit.,* quod accepit ab Augustin. *lib. 10, Confess. cap. 33,* ubi facit auctorem hujus moderati cantus Athanasium. Renovaverunt hunc cantum Clerici Regulares. — De *Alterno cantu,* est magna quaestio, quis fuerit auctor.« Gav. *Sect. V, cap. 8, n. 14 sq.* Cf. Merati *ibid.*

subjungit: „Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit, aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant, et ut altera pars Chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur priusquam altera antecedentem absolverit ...... ut cantus vocibus unisonis peragatur, et chorus a peritis in cantu Ecclesiastico (qui cantus planus seu firmus dicitur) regatur. ..... Hujusmodi cantus ille est qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui, si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus harmonicus, seu musicus dicitur, merito praefertur."

b) Deinde, § 3, sermo instituitur de cantu musico. Admonet „ut musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis receptus est, et qui Organi aliorumque Instrumentorum harmoniae conjungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet." Observat deinde dari adhuc Ecclesias apud quas nondum invaluit hujusmodi cantus; atque inter Auctores esse qui illum reprobent et qui illum approbent. Cf. Caerem. Ep. *l. 1, cap. 28, n. 11 sq.* De qua controversia agit, §§ 4, 5 et 6. Attentis autem ibi dictis hic cantus non potest traduci tanquam illicitus in divinis officiis. Cf. Caerem. Ep. *l. 2, cap. 20, n. 4,* et Trid. *Sess. 22. Decret. de observandis et vitandis in celebratione Missae:* in hoc decreto, uti docet Bened. § 5, ab Ecclesiis solum rejectae fuerunt musicae illae *ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur.* „Hoc autem posito, inquit § 7, quod in Ecclesiasticis officiis cantus harmonici, seu figurati, et musicorum instrumentorum usus receptus sit, et solummodo abusus reprobetur ... sequitur ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus." Subsequentibus §§ verba facit „de iis quae in Ecclesia canenda sunt; deinde de modo ac ratione, qua cantus institui debet; denique de instrumentis musicis Ecclesiarum propriis, quibus in sacris Templis cani debet."

2. *De motetis.* Usus invaluit ut, praeter ea quae cantanda habentur in Missali, Antiphonali, aliisque libris liturgicis, cantentur piae cantilenae, quae solent nuncupari *moteta.* De hujusmodi cantilenis, in se spectatis, sive motetorum, sive alio quocumque nomine veniant, sequentia statui posse videntur.

1° Per se, nihil obstat, quin praefata moteta, latino sermone conscripta, in Ecclesiis, sed extra functiones, ante vel post, cantentur. Si exarata sint lingua vulgari, vide dicta 3°. Hic autem per functiones sacras intelliguntur non solum SS. Missae Sacrificium, et Officium chori, sed etiam expositio SS. Sacramenti. Quibus, ut dictum est § II, adnumerandae sunt Laudes vespertinae.

2° Pro tempore, quo persolvitur Officium chori vel SS. Sacramentum est expositum, non videtur dari regula generalis. Ubique tamen laudabiliter servabuntur, quando usus contrarius non obstat, Constitutiones Alexandri VII [1] et Innocentii XII. Sed non possunt dici de praecepto universali, saltem vigenti. Et idem sentiendum est de decretis hic 3° citatis.

Unde Moteta, ubi eorum usus non viget, non introducantur, nisi ad normam praefatarum Constitutionum. Si autem vigeat usus ea cantandi in sermone latino, ad Ordinarios locorum pertinet examinare quousque opportunum sit hujusmodi usum servare, quibusve limitibus circumscribere, aut penitus e medio tollere. Quae asserta aliquatenus explicanda et confirmanda veniunt.

a) De praedictis constitutionibus haec tradit Bened. XIV *l. c.* *§ 8.* „Vertente *anno 1657*, Summus Pontifex Alexander VII Constitutionem edidit, cujus initium est: *Piae sollicitudinis*, inter alias autem ejusdem Pontificis *n. 36.* In hac autem praecepit, ut per id tempus, quo Divina persolvuntur officia, et quo publicae fidelium venerationi in Ecclesiis sacramentum Eucharistiae expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali Romano; quae *in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cujusque. diei festo, vel Sancti*

1) »Non agit hic Pontifex Alexander, inquit Gardellini ad Inst. Clem. *§ 24, d. 20,* de precibus recitandis coram Sanctissimo Sacramento vel in expositione, vel antequam Sacerdos cum eo benedictionem populo impertiatur: verum de versiculis vulgo *Mottetti,* qui in solemnibus quibusdam expositionibus cum instrumentorum sonitu cantari a Musicis solent: sed eadem potiori jure extendi ratio debet ad preces coram Sacramento recitandas, quae nedum Romae, verum etiam ubique aliae esse non debent, praeter eas, quas Ecclesia praescribit, vel longaeva consuetudo rationabilis, atque laudabilis tacite, vel expresse, consentientibus locorum Ordinariis, probavit. Vide, quae hac de re supra notata sunt *ad § 3, num. 13, 14, 15, 16, et 17.*«

solemnitate, praescribuntur, vel ex Sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus; ita tamen ut antea a Sacra Ritum Congregatione recensenda, et approbanda sint. Porro ex hujusmodi Pontificia Constitutione videtur, cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexandro Praedecessore Nostro praescripta, composita, et a Sacra Congregatione recensita, et probata sunt [1], procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem Venerabilis Servus Dei Innocentius XI Decreto suo *die 3 Dec. 1678* confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda, atque interpretanda Constitutione Alexandri, et Decreto Innocentii XI fel. rec. Innocentius XII Praedecessor Noster, *die 20 Aug. 1692* aliud Decretum promulgavit, *quod est num. 76 in ejus Bullario;* in eo autem, offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum, seu motetorum cantum prohibuit: In sacrarum autem Missarum solemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriae, et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale, et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonae, quae initio cujusque Psalmi, vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit, ut cantores Musici omnino legem Chori sequerentur, et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in Choro fas non est aliquid addere Officio, vel Missae, ita etiam musicis noluit id licere, et illud dumtaxat concessit, ut ex Officio et Missa, quae in solemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel ex Antiphonis, aliisque relatis in Breviario et Missali Romano, carmen aliquod, seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra Hostia elevatur [2], vel publice veneranda, et colenda exhibetur.“ Cs. Gardellini *ad Inst. Clem. § 24, n. 20 sq.*

b) Hae autem constitutiones non sunt de praecepto uni-

1) „Nobis, inquit Cavalieri, *tom. 4, dec. 171, n. 2,* qui non tam verbis quam Constitutionis scopo insistendum esse credimus, angusti nimis ejusmodi apparent limites; quare orationes quaslibet, ac preces, quae jam approbatae sunt, aut in Ecclesia receptae, vel dici consuetae, adhuc circumstantia Sacramenti expositi recitari posse putamus.“ Cf. *ibid. n. 5.*

2) Vid. dicta *tom. II,* de cantu ad elevationem SS. Sacramenti.

versali, saltem vigenti. Etenim constitutio Alexandri VII fuit directa tantum ad Episcopos Ecclesiasticae Ditionis, et altera eosdem tantum respicere videtur. Et quidquid sit de hujus extensione, certo non viget ubique, uti palam fit ex traditis a Gardellini *l. c.* *§ 3, n. 16 et 17.* Cf. *§ 24, n. 20.* Neque obstant, ut hic in 3° dicitur, decreta, quae ab eodem allegantur *§. 31, n. 18.*

c) Quando tamen usus contrarius non obstat. Cum enim talis usus, in se spectatus [1], non sit malus, neque reprobatus lege generali certo vigente, tota res spectat ad vigilantiam et prudens arbitrium Ordinariorum locorum, aliorumve Superiorum. Cf. Cav. *tom. IV, dec. 171—173, n. 5.*

3° Moteta supponuntur scripta *latino sermone.* Nam, quae lingua vulgari scripta sunt, tolerari non permittuntur *infra ss. functiones.* Cavalieri *l. c. n. 6,* loquendo de cantilena, *Lodato ogni momento,* supra *pag. 54* exscripta, haec scribit: „Cantilenae ejusmodi, aliaeve similes ex se quidem bonae sunt; et fortasse dignae, quae recipiantur, sed cum iisdem non assistat antiqua, et universalis praxis, neque reapse approbatae ipsae sint, nec in Ecclesia generaliter receptae, comprehendi videntur in Constitutionibus Benedicti XIV, in quarum una recitari inhibet novas aut inusitatas orationes, et in altera in sacris tribus ex orationibus, quales sunt praedictae cantilenae, non admittit, nisi eas quae in Ecclesia receptae sunt.“ Cf. tamen dicta supra *pag. 55,* cum Gardellini.

Quinimo mens Ecclesiae est ut Episcopi, quantum fieri possit, non permittant, etsi *extra ss. functiones,* quorumvis verborum cantum materno idiomate. Tria hac de re S. R. C. decreta referuntur apud Gardellini, *ad Inst. Clem. § 31, n. 18,* scilicet: decreta 21 Mart. 1609, n. 258, 7 Aug. 1628, n. 1618 *(cs. dec. n. 982),* et 24 Mart. 1657, n. 1672. Hoc ult. refertur in Indice. Cf. pt. n. 2659, 7. Dicta tamen decreta non videntur aut novam imponere aut jam existentem declarare obligationem generalem. Vide dicta *pag. 23, n. 11 sqq.* Saltem hujusmodi lex generalis non viget ubique.

4° De hac disciplina egit Em. D. Card. Arch. Mechlin. in Congreg. Archiep. 1842 et statuit, n. III, ut „quae cantantur, officio semper concordent, atque ex Missali, Breviario vel Scriptura s. desumpta sint. Porro rarissime per-

1) Cf. Suarez cit. a Bened. XIV, § 8.

mittatur usus linguae vulgaris.“ Apud Deherdt, *Part. I, n. 40, V.*

3. *De ratione qua cantus musicus institui debet*, sint sequentia: 1° non agatur theatrali modo et scenico strepitu; neque ita „ut populus spectator et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat, numerisque musicis delectetur, melodia et suavitate vocum fruatur; verba autem plerumque non recte percipiat.“ Sed 2° e contra „illud in primis curandum est, ut verba perfecte planeque intelligantur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus ..., id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur...“ Bened. XIV *l. c.* § *9.* Cs. Caerem. Ep. *lib. 1, c. 28, n. 12, cit.* § *seq., n. 12.* De cantu infra Missam dicitur, *tom. II.*

4. De sono Organi musici aliorumque instrumentorum, quorum usus in aliquibus Ecclesiis admissus est, agit Bened. a § 10. In § 11 recensentur instrumenta permittenda ab Episcopis ad quos scribit. Et § 12 eosdem Episcopos admonet „ut instrumenta adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum, Divinarumque rerum amorem incitentur.......“ Deinde enumerantur abusus tollendi. De Organo agitur hic § seq.

5. „Demum, inquit § 13, quod ad symphonias attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus jam receptus est, dummodo graves sint, et earum prolixitudine, aut diuturnitate, taedium et fastidium non afferant iis, qui adsunt in Choro, vel Altari, in Vesperis aut in Missis, inserviunt. De hujusmodi symphoniis agit Suarez, *lib. 4, cap. 13, n. 17....*“

§ IV. DE ORGANO.

De pulsatione Organi sequentia tradit Caerem. Ep. *lib. 1, c. 28*, tam pro Officio divino quam pro Missa.

„1. In omnibus Dominicis, et omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia organum, et musicorum cantus adhiberi.“

„2. Inter eas non connumerantur Dominicae Adventus, et Quadragesimae, excepta Dominica tertia Adventus, quae

dicitur *Gaudete in Domino*, et quarta Quadragesimae, quae dicitur *Laetare Jerusalem* sed in Missa tantum, item exceptis festis, et feriis infra Adventum, aut Quadragesimam occurrentibus, quae cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur: ut die Sanctorum Matthiae, Thomae Aquinatis, Gregorii Magni, Josephi, Annuntiationis, et similibus infra Adventum, et Quadragesimam occurrentibus. Item feria quinta in Coena Domini ad Missam tantum, et Sabbato Sancto ad Missam, et ad Vesperas; et quandocumque occurreret celebrare solemniter, et cum laetitia, pro aliqua re gravi."

Exceptio, quae fit gratia Festorum, extendenda venit, propter parem rationem, ad Officia, quae hisce temporibus solemniter celebrantur die permisso, v. g. Laudes vespertinae in honorem B. M. V. aut Patroni. Cf. dec. 14 Apr. 1753, n. 4084, 4, et dicta *§ II, praec. n. 3.*

Quoad Missam Rogationum, servanda est consuetudo, juxta dec. 3 Aug. 1839, n. 4713, 9.

De usu pulsandi Organum, contra hanc Caeremonialis regulam, in Dominicis Adventus, etc., vide dec. S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 4957, 1. Cs. dec. 22 Jul. 1848, n. 4965, 2.

„3. Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missae solemni per alium celebrandae in festis solemnioribus interfuturus, Ecclesiam ingreditur; aut, re divina peracta, discedit, convenit pulsari organum."

„4. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus Dioecesanus honorare voluerit, donec praedicti oraverint, et res divina sit inchoanda."

„5. In Matutinis, quae solemniter celebrantur in festis majoribus, possunt pulsari organa, prout et in Vesperis, a principio ipsorum."

„6. Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum, et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus *Te ergo quaesumus*, etc., et Versiculus *Tantum ergo Sacramentum*, etc., quando ipsum Sacramentum est super altari, et similes cantentur a choro in tono intelligibili, non autem ab organo: sic etiam Versiculus *Gloria Patri*, etc., etiamsi Versiculus immediate praecedens fuerit a choro pariter decantatus; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum." Id est, horum ultimi versus non

ab Organo, sed a choro cantantur. Cf. Mer. *sect. X, c. 3, n. 7.* De genuflexione ad quasdam Hymnorum Strophas, dictum est *§ I, n. 10.*

„7. In aliis autem horis canonicis, quae in choro recitantur, non est consuetum interponere organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter horas canonicas, aut aliquas earum, ut est hora Tertia, praesertim quando cantatur, dum Episcopus solemniter celebraturus, capit sacra paramenta, poterit talis consuetudo servari; sed advertendum erit, ut, quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret."

„8. In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cujuslibet Psalmi; et alternatim in Versiculis Hymni, et Cantici *Magnificat*, etc., servatis tamen regulis supradictis." Item, juxta *lib. 2, cap. 1, n. 18,* pulsari potest ad *Deo gratias;* quod etiam posse fieri videtur, ex *n. 17 l. c.,* infra Antiphonam ad *Magnificat.*

„9. In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison,* et *Gloria in excelsis,* etc., in principio Missae; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad *Sanctus,* etc., alternatim; item dum elevatur SS. Sacramentum, graviori, et dulciori sono; item ad *Agnus Dei*, etc., alternatim; et in Versiculo ante orationem post communionem, ac in fine Missae."

„10. Sed cum dicitur Symbolum in Missa non est intermiscendum organum, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur."

„11. Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non spectent, nedum profani, aut ludicri, nec alia instrumenta musicalia, praeter ipsum organum, addantur." Notandum est usum quorumdam instrumentorum esse hodie receptum, prout *§ praec. n. 1, b),* dictum est cum Bened. XIV.

„12. Idem quoque cantores, et musici observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis, aut lasciviae praeseferat, ac potius

audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis."

„13. In Missis, et officiis Defunctorum, nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo; quem etiam tempore Adventus, et Quadragesimae, in ferialibus diebus convenit adhiberi." De consuetudine immemoriali in contrarium, vid. dec. 31 Mart. 1629, n. 660.

SECTIO IV.

PROPRIUM DE TEMPORE.

Praenotanda. 1. Exposcit ordo Breviarii ut, explicatis Rubricis generalibus, colligantur et, quantum opus sit, exponantur Rubricae, quae nuncupari solent speciales, quia non ad omnia officia aut festa, nec ad omnes Breviarii partes, sed ad quaedam tantum Officia pertinent, scilicet ad *Proprium de Tempore* aut *de Sanctis*, vel ad *Commune*. Cf. *pag. 126, n. 3 sq.*

2. Integrum Breviarium, id est, complexus Officiorum et Festorum integri anni, partitur in quatuor partes: Prima, seu *Hiemalis*, incipit ab *Adventu;* secunda, seu *Verna*, a Quadragesima; Tertia, seu *Aestiva*, a 1ª Dominica post Pentecosten; et Quarta, seu *Autumnalis*, a 1ª Dominica Septembris. Unaquaeque pars sequentia comprehendit: *Psalterium, Proprium de Tempore, Proprium et Commune Sanctorum, et Commune Dedicationis Ecclesiae*, etc. Praeterea ad calcem cujusque partis apponi solent Officia quibusdam locis concessa.

3. De Psalterio satis dictum est, Sect. III. In praesenti Sectione exponuntur vel colliguntur, de Proprio Temporis, ea de quibus specialis mentio magis necessaria aut utilis videtur. Haec autem ad duo reduci possunt, scilicet *a)* ad quamdam Temporis, Mysteriorum aut Festorum notitiam, et *b)* ad peculiares Rubricas. Quod vero attinet hujusmodi Rubricas, saepe satis erit indicare Titulum ubi reperiuntur, vel remittere ad loca propria Breviarii. Idem deinde praestabitur, Sect. V, de Proprio SS.; et Sect. VI, de Communi SS., necnon de quibusdam quae sequuntur, in Breviario.

Haec Sectio habet sex articulos: agetur 1° de Adventu et Vigilia Nativitatis Domini; 2° de Natali Domini, etc.,

usque ad Epiphaniam; 3° de Epiphania Domini et Dominicis sequentibus; 4° de Septuagesima, etc., usque ad Sabbatum S. inclusive; 5° de Paschate, tempore Paschali et Festis in eo occurrentibus; 6° de Festo SS. Trinitatis, et Corporis Christi, necnon de Dominicis post Pentecosten.

ARTICULUS I.

DE ADVENTU ET VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

1. Nunc, propter rationem datam *pag. 64,* Annus ecclesiasticus computatur ab Adventu, id est, a Dominica quae est proximior Festo S. Andreae, vel quae venit in ipso Festo Tit. IV, 7. Olim ipse Natalis Domini dicebatur Adventus. Sed nunc hoc nomine tantum venit tempus quod praecedit dictum Festum, quodque est ad idem quaedam praeparatio, per jejunium et Officium. „Jejunium in Adventu, ait Benedictus XIV, *Inst. XI, n. 3,* simul cum abstinentia ab Ordinibus. Regularibus nunc observatur, quod aliqui incipiunt a die festo Sancti Martini, vel etiam Sanctae Catharinae, alii a prima Adventus Dominica, et nonnulli etiam a celebritate Sanctorum omnium, uti Cardinalis Cozza accurate perpendit."

„Nunc etiam Orientis Ecclesia temperantiam a festo S. Philippi auspicatur, quod die 14 Novembris solemni cultu celebrare consuevit (et ideo S. Philippi Quadragesimam nuncupat), eamque ad Natalem usque Salvatoris diem prosequitur. Per id temporis se a carnibus, butyro, lacte, et ovis abstinet; Pisces tamen, oleumque adhibet, et vino utitur, quae solemniori Quadragesimae tempore omnino vetantur. Septem dierum spatio jejunare solum jubentur Graeci, licet pietatis causa universi jejunare soleant, uti Bailletii testimonio satis comprobatur." *Ibid. n. 4.*

„Tandem (ut nihil de Religiosis Ordinibus loquamur, quibus peculiari lege temperantia praecipitur) ex consuetudine Occidentalis Ecclesiae abstinentia, seu jejunium per Domini Adventum nemini indicitur: non tamen hic mos olim obtinuit. . . . ." *N. 5.*

2. De Adventus origine, de causa, ob quam institutus fuit, et de aliquibus precibus ejus Officii, sint haec pauca.

De origine Adventus non consentiunt AA., uti videre est apud Gav., Merat. et Bened. XIV *l. c.* Hic vero, auctoritate Martenis ductus, initium celebritatis Adventus refert

(n. 7) ad saeculum VI, et Sanctum Gregorium Pontificem Auctorem affirmat.

Adventus celebritatem constituit S. Mater Ecclesia, ad recolendos duos Domini Adventus: *primum*, quando nostra carne amictus, infirmitateque circumdatus, venit ad nos redimendos; *secundum*, quando Coeli nubibus insidens, et immenso beati corporis majestatisque lumine circumfulgens, adveniet universos homines judicaturus, uti legitur in Evangelio 1ae Dominicae. „Hinc factum est, inquit Bened. XIV *l. c. n. 9*, ut Ecclesia per hosce dies cum laetitia ac voluptate, etiam maeroris signa praeseferat: laetitiae quidem indulget pro Christi salvatoris priori Adventu, ob quem festivum *Alleluja* in Divinis Officiis non omittit; maerorem autem ostendit, dum Christi Judicis Adventum contemplatur.“ Hinc in Officio Temporis omittitur *Te Deum*, et preces feriales dicuntur flexis genibus; in Missa autem adhibetur color violaceus praetermittiturque *Gloria in excelsis.*

In Officio plura leguntur quae, ut vera sint, retrahenda sunt ad tempora quibus prolata sunt a Prophetis. Hujusmodi sunt: *Rorate Caeli desuper, et nubes pluant Justum, etc. O Adonai veni ad redimendum nos. Emitte Agnum Domine Dominatorem terrae. Orietur sicut sol Salvator Mundi, et descendet in uterum Virginis.* Etsi enim multa praeteriere saecula, ex quo Verbum divinum carnem assumpsit, Ecclesia tamen retrahit ejusmodi preces ad tempora Prophetarum Christi Incarnationem acri desiderio exspectantium. Bened. XIV, *de Sacrif. Miss. sect. I, n. 164.*

3. Rubricae. Dominicae Adventus sunt majores, scilicet: 1a est I Cl., 2a, 3a et 4a sunt II Cl. Feriae sunt majores [1]. Omittuntur commemorationes communes. Tit. XXXV. „Omittimus suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum implorare videamur eorum opem, quos ipse Christus suo adventu sanctitate donavit. Neque fit commemoratio crucis, ne videatur passus, antequam natus (vel dum adhuc est parvulus dicatur crucifixus, Mer.); neque item de Pace, quae ante Nativitatem ejusdem non fuit; sed eo nato ab Angelis data est hominibus bonae voluntatis, Azorius, *lib. 10, part. 1, cap. 16.* Adventu Principis cedunt alii, ait Durandus, *lib. 6, cap. 2,* quod supra retulimus.“ Gav. *n. 1.* Vid. *pag. 344, 2.*

1) Quae sint privilegia Dominicarum et Feriarum majorum, exponitur Tit. IV et V.

Invitatorium est proprium. — LL. Scripturae occurrentis sunt de Isaja, quia nullus Prophetarum apertius locutus est de Nativitate Christi. — In Officio temporis non dicitur *Te Deum*, sed nonum Responsorium. — Dicuntur preces feriales, et quidem flexis genibus. — Hymni, versus et responsoria brevia I Dom. dicuntur in aliis Dominicis et Feriis Adventus. — Ad Primam, pro responsorio br., etiam in officio de Sanctis, praeterquam in die Conceptionis B. Mariae et per Octavam, dicitur: *qui venturus es in mundum.* — Oratio 1ae Dominicae semper dicitur per Hebdomadam in feriali Officio, quando propria non assignatur. Et ad horas Antiph. sumuntur de Laudibus Dominicae praecedentis, quando ad Laudes Feriae non assignantur propriae. — Capitula Feriae II 1ae Hebdomadae dicuntur in feriali Officio usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive. — A die 17 Decembris cessant peculiares Octavae *(pag. 186, 5).* Eadem die incipiunt Antiphonae, *majores* nuncupatae, quia duplicantur ad exprimenda iterata suspiria SS. Patrum. Eadem de causa, incipiunt a particula admirationis O, et propterea etiam vocantur Antiphonae O.

Praecedunt has Antiphonas aliae ad Laudes, quasi praeparatoriae ad majores. Si impediantur, omittuntur, illae nimirum quae correspondent feriae impeditae. Tres tamen sunt privilegiatae. Prima est, *Exspectetur*, quae semper dicenda est in Sabbato, quarto loco (quod et antiqui observarunt) ut concordet cum Cantico Sabbatino, de quo sumpta est, et bene quadrat Adventui Domini. Altera est, *Nolite timere*, quae die 21 Mensis Decembris semper est ponenda, sive sit Festum S. Th. sive Dominica, ne enuncietur falsum extra quintum diem ante Nativitatem. . . . . Tertia est, *Ecce completa sunt*, quae ultimo die dicitur ante Vigiliam Nativitatis huicque diei apprime congruit. Ex Gav.

4. *Dominica IV Adventus*, id est, post Sabbatum Ordinationis, dicebatur Vacans *ex Microl. c. 25,* quia putabatur ejusdem Officii cum Sabbato, et inde Evangelium hujus Dominicae quartae est idem ac praecedentis Sabbati [1]. Gav. *tom. 1, P. IV, Tit. 2, n. 6.*

1) „Primis Ecclesiae saeculis, ait Merati ad hunc textum Gavanti, quibus non opus erat multiplicandi sacros ministros, ut hodie urget necessitas, non solum alibi, sed etiam Romae,

5. Officium Vigiliae, a Laudibus est duplex et festivum. Congruit enim cum exultatione celebrare Vigiliam Festi, quod est initium salutis nostrae. Gav. De majori solemnitate qua legi solet Martyrologium in hac Vigilia, vid. Gav. et Merat.

Si haec Vigilia venerit in Dominica, fit de ea prout ordinant propriae Rubricae. Vesperae autem in Sabbato, eodem fiunt modo ac si ageretur de Dominica 4ª: Rubricae enim nullam indicant mutationem pro Vesperis in casu. Hinc juxta dec. 22 Sept. 1703, n. 3515, 8, si nullum occurrat Festum in Sabbato, de hoc erunt Vesperae usque ad Capitulum, ubi fiet de Dominica. Item a Capitulo de Dom. si Sabbato occurrat Festum semiduplex.

ARTICULUS II.

DE NATALI DOMINI, ETC., USQUE AD EPIPHANIAM.

I. *Natalis Domini.* 1. „Festum diem Nativitate Christi consecratum non modo inter omnes celeberrimum esse, sed post Pascha et Pentecosten primum locum obtinere, omnes consentiunt. ... Nunc vero duo tantum restant vetustae disciplinae monumenta, quae Solemnitatis magnitudinem declarant; quorum alterum, ut si Natalis Christi dies in diem cedat, quo carnium usus est interdictus, iis nihilominus vesci liceat *propter Festi excellentiam*, ut ait Honorius III in cap. *Explicari* de Observantia jejuniorum; alterum, ut Natali Christi die quilibet Sacerdos ternas Missas

unica celebrabatur ordinatio per annum, et haec quidem mense Decembri ob Natalis Festum, ideoque ad anni finem, ut in proximo essent ad Ecclesiam sub proxime sequentis anni initium deserviendam et hinc toties in fine historiae Pontificum haec clausula subjicitur: fecit ordinationes mense Decembri, etc. ..... Caeremonia circa noctis medium peragebatur, et ad lucem usque perdurabat, sive usque ad Dominicae auroram, postea haec caeremonia ad Sabbati vesperam retracta fuit; cum enim a jejunis praestari deberet, hinc occasio sumpta est decimo, vel undecimo saeculo praeveniendi antedictam ordinationem, ob difficultatem servandi tanto tempore jejunium. Ex praedictis factum est etiam, quod istae Dominicae appellabantur vacantes, quia nempe proprias Missas non habebant, Missasque de ordinatione, quae Dominica die summo mane fiebat pro ejusdem Dominicae Missa reputabatur; unde ad nos derivavit consuetudo Quatuor Temporibus Decembris, et Quadragesimae idem Evangelium Sabbato, et Dominica ad Missam dicendi.“

celebret, ut videre est in Can. *Nocte Sancta*, ubi Glossa, de consecrat. Dist. 1, et cap. *Consuluisti*, ubi itidem Glossa, de Celebratione Missarum. Tres Christi Domini ortus ternis hisce indicari Missis docetur Instit. Catholicar. *tom. 1, pag. 814*, primum ab aeterno in sinu Patris; in tempore alterum in utero Virginis; tertium denique quotidie in Justorum animis, in quibus inascitur et habitat per fidem.“ Bened. XIV, *de Festis D. N. J. C. n. 668*. Ibidem ostendit quomodo illi tres ortus Christi praedictis Missis indicentur.

2. Lectiones I Noct. leguntur sine titulo, ea forte ratione, ait Gavantus, qua Hugo docet *l. 2, c. 3*. Capitula legi sine titulo, quando scitur Auctor; et Isaias in toto Adventu lectus est, ita ut pateat ejus nomen. Dicerem cum Patre Ruiz, „jam non per Prophetas, sed in Filio Deum loqui.“ — In primo vero Resp. additur *Gloria Patri*, in gratiarum actionem de tanto beneficio. Gemma *c. 7*. — „In tertio Nocturno multiplicatur *Alleluja*. ad Antiph. quia, ut alias diximus, tertium Nocturnum significat tempus gratiae post legem, in quo significari debet laetitia per Christum natum, nobis communicata, Amalarius, *l. 4, c. 31*.“ Gav. *n. 3*.

In eodem Nocturno tria ponuntur Evangelia, singulae trium Missarum correspondentia.

3. Octava Natalis Domini est privilegiata. *Tit. VII, n. 6*, et *Rub. 3*. — Infra eam Officium ordinatur ad normam peculiarium Rubricarum, juxta quas Vesperae semper sunt de Octava Nativitatis usque ad capitulum; et commemorationes Octavarum fiunt etiam in Festis secundi ordinis, id est II Cl. (Quod tamen applicari nequit ad Circumcisionem Domini.) Antiphonae autem Vesperarum duplicantur vel non, prout Officium currens est dup. aut semid.

4. Si infra hanc Octavam occurrat Festum Patroni, servandae sunt omnes regulae de occurrentia et concurrentia atque de Octavis, in quantum tamen componantur cum hisce peculiaribus Rubricis. Hinc 1° Vesperae usque ad Capitulum erunt de Octava Nativitatis, saltem ante 31 Decembris; 2° S. Patronus, qua talis non habet Octavam, hoc tempore; 3° Si tamen eam habeat in Breviario, v. g. si sit S. Joannes, de eo facienda est commemoratio ut in Breviario, sed ante S. Stephanum; 4° In Festo Patroni, omittendae sunt commemorationes, quas respuunt Festa

I Cl.; 5° Juxta Gavantum SS. Innocentes, si sint Patroni, habent *Te Deum* et colorem rubeum.

In 1° dictum est: *saltem ante 31 Decembris.* Si autem Festum dup. I Cl. occurrat 31 Decembris, non consentiunt AA. an *integrae* Vesperae dicendae sint de tali Festo, vel de Octava Nativitatis *usque ad Capitulum.* Posterius tenet Cavalieri, *tom. 2, dec. 122, n. 8,* cum Guyeto, contra Gavant. et Merati.

Quare hoc tempore habeantur Dominicae *vacantes,* dictum est *pag. 164.* — Officium Dominicae infra Octavam, si reponendum sit ad diem 31 Decembris, hac die praefertur cuicumque festo translato, *pag. 239.*

II. *Circumcisio D. N. J. C.,* et, ait Martyrologium Rom., Octava Nativitatis ejusdem. Hoc Festum Christum simul et B. M. V. respicit. Unde hac die, juxta quosdam tria festa, juxta alios duo celebrantur. „Ordinarium Nannetense relatum ab Edmundo Martene *in tract. de antiq. Eccles. discipl. cap. 13, num. 15,* ait: *Quidam dicunt, quod in die Circumcisionis, tria Festa concurrunt, B. M. V., Circumcisionis, et octavae Domini, quia si Christus circumcisus non fuisset, nihilominus fieret Octava. Et alii dicunt, quod duo Festa tantum concurrunt B. M. V. et Circumcisionis; unde in multis Ecclesiis dicitur prima Missa de B. M. V.,* Vultum tuum, etc.; *alia vero de Circumcisione,* Puer natus est, etc., *et Evangelium Lucae legitur:* Postquam impleti sunt. Haec praefatum Ordinarium; et quidem in plerisque antiquis Missalibus duae Missae reperiuntur, ut adnotat idem Martene *cit. loc.*" Mer. *tom. I, part. 4, tit. 3, n. 21.* Cf. Bened. XIV, *loc. cit. n. 25.* „Cum autem, ait Benedictus XIV, Circumcisio Domini, quemadmodum lex judaica jubebat, octavo die facta fuerit, idem plane est dicere Festum Octavae, et Festum Circumcisionis. *Octava et Circumcisio uni concinunt Sacramento:* verba sunt Ivonis Carnotensis in serm. de Circumcis. Domini." *De Festis, P. I, n. 19.* Ante finem IV saeculi videtur hoc festum celebrari consuevisse. *Ibidem, n. 24.*

Hoc Festum, quamvis sit tantum dup. II Cl., excludit tamen quodcumque dup. occurrens. Tit. X, 1.

III. *Vigilia Epiphaniae Domini.* Habet ritum semid. et 9 LL., et eatenus habet rationem Dominicae. Si cum ea occurrat festum dup., de hoc fit officium cum commemoratione Vigiliae. Cf. dec. 2 Dec. 1673, n. 2517. Excludit

autem semiduplicia occurrentia et quaecumque translata, uti rubricistae communiter docent cum Gavanto, Guyeto, *lib. IV, cap. 10, q. 1,* et Cavalieri, qui *tom. 2, cap. XV, n. 18,* haec scribit: „Officium itaque hujus Vigiliae, quod semiduplex est et Domini, privilegiis Dominicae gaudeat, et sunt, ut non cedat festo semiduplici occurrenti, nec cuicumque duplici translato bene vero duplici occurrenti, in quo tamen licet primae Classis foret, commemorationem in 1 Vesp. et L. cum 9 LL. hom. ad Matutinum habebit, non vero in secundis Vesp. ratione Epiphaniae sequentis, quae duplex primae Classis est. Si alicubi ex privilegio vel ex legitima consuet. celebratur octava aliqua, ut Patavaii, diei infra Oct. sola commemoratio fiet.“ De die infra Octavam vid. etiam Guyet. *lib. IV, cap. XII, q. 7.* Quod dicitur de exclusione translatorum intelligendum est etiam de immutatis seu translatis in perpetuum. Nam *a)* cum haec Vigilia semper occurrat stata die, impedimentum non est accidentale, sed perpetuum; *b)* quamvis haec Vigilia non sit proprie Festum, sed Officium novem LL., aequiparanda tamen est potius festo 9 LL. *(pag. 239)*, quam diei infra Octavam, ad instar Dominicae (illa, sicut Dominica, habet commemorationem in dup. I Cl., Tit. IX, 4): imo, a fortiori, siquidem, dum occurrit in Dominica, huic praefertur, Tit. VI, 2; *c)* confirmatur ex verbis, quibus designatur dies festus S. Titi, occurrentis pridie hujus Vigiliae. Etenim non assignatur *dies sequens*, sed *prima insequens libera*, quibus verbis designatur non dies assignata, sed dies eligenda juxta Rubricas, uti dictum est *pag. 237.* Jam vero si Vigilia Epiphaniae non fuisset habita tanquam impedita pro festo immutato, Festo S. Titi fuisset taxative assignata, ut v. g. dies 2ª Augusti Festo S. Alphonsi de Liguori. Itaque ubi Romsee, *P. II, cap. 2, art. 3,* haec dicit, „si occurrat duplex *fixum*, de eo fiat cum commemoratione vigiliae ubique, illud *fixum* intelligendum est non de duplice translato ad *diem fixam,* sed de duplici occurrente.

ARTICULUS III.

DE EPIPHANIA DOMINI ET DOMINICIS SEQUENTIBUS.

1. *Festum Epiphaniae* (*Ἐπιφάνεια* ab *Ἐπιφαίνειν*, Apparitio ab apparere) celebratur sexta die [1] Januarii, sub

1) Sextam Januarii diem scribit Orosius, *lib. 6,* tribus Augusti triumphis fuisse celebrem: ex quo conjicit Florentinus in

ritu dup. I Cl. cum Octava privilegiata. Tit. IX, 5, VII, 3, X, 1.

„Tres apparitiones seu manifestationes Christi hac die ab Ecclesia recoluntur. Commemoratio fit adorationis Magorum, qua Dominus Jesus demonstratus est Gentibus: Baptismatis, quod ab Joanne suscepit, cum voce delapsa de Caelo, *Hic est filius meus dilectus*, Judaeis innotuit: et conversionis denique aquae in vinum, qua factus est manifestus Discipulis." Bened. XIV, *de Festis D. n. 26.* Numeris 30 et sqq. late agitur de singulis apparitionibus, referunturque multa scitu utilia. Cf. Cav. *tom. II, cap. 21.*

In nonnullis Ecclesiis, occasione horum Evangelii verborum *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, inverso itinere Processiones fiunt: hoc fit praeter Rubricas, adeoque consuetudo, ubi non existit, certo non est introducenda.

2. *Officium.* Romsee scribit non esse quaerendum mysterium in modo peculiari incipiendi Matutinum. „Sic enim, ait, antiquitus officium semper incipiebat; adeoque precise in officio hodierno forma antiqua retinetur [1]." Sed statim ab eo quaeri potest, quare hac die servata fuerit illa singularis forma? Ad quam quaestionem non videtur posse satisfieri, nisi allegata una aut altera ratione mystica, cum Gavanto, Cavalieri et aliis. En verba Cavalieri, *tom. 2, cap. 21.* „Quod in festo Epiphaniae Matutinum inchoetur ab Antiphona primi Psalmi, omissis invitatorio, Hymno,

exercitat. 3, de Historia Magorum, quam in suo Martyrologio inseruit, Ecclesiam fortasse in hoc uno die tria Redemptoris nostri miracula conjunxisse, quae inanibus Ethnicorum triumphis opponeret. *Nec improbabile est Romanam Ecclesiam diem 8 Id. Januarii Baptismo, Nuptiarum prodigio, et Magorum adorationi, hoc est triplici Christi triumpho, aptasse, ut Romanos a solemnitate profana averteret. Celebris enim dies erat, ut Orosius adnotavit, ob triplicem Augusti triumphum; ut celebris quoque exinde apud Christianos fieret ob triplicem Domini gloriam, nempe barbarorum Regum et Gentium adorationem, divinae in Baptismo Filiationis testimonium, atque ex mutatae aquae prodigio gloriae suae manifestationem."* Bened. XIV, *de Festis D. n. 28.* Cf. *n. 73 sqq.*, quae tradit praeclarus scriptor de celebritate et vetustate hujus Festi. De vetustate cf. Suarez, qui *de Religione tit. 2, c. 5, n. 9*, putat magni hujus Festi celebrationem Apostolis Auctoribus esse tribuendam.

1) Cf. tamen quae ex Eodem exscribuntur, infra de Officio Tridui Sacri, art. IV.

et Domine labia, teste Grancola, *lib. 2, cap. 30,* reliquia est moris antiqui quodlibet inchoandi Matutinum adhuc retenti, ne Psalmus *Venite,* qui ad tertium nocturnum dicitur, bis diceretur. Addit Durandus, *lib. 6, cap. 16,* ad denotandam promptitudinem Gentium in Magis praesignatam, qui statim stella apparente venerunt, muto nuntio, non loquente, ut simul hinc incutiatur erubescentia iis, qui tarde credunt, cum multos habeant praedicatores. Vel quia ipsa res nos invitat, scilicet stella, per quam significatur fides, quae ducit nos ad Deum, et nos illuminat in nocte hujus saeculi. Sive ad detestandum fraudulentam Herodis invitationem, qui fingens se velle adorare Christum, cum vellet perdere, dixit Magis: *Ite, et interrogate diligenter de puero, ut et ego veniens, adorem eum.* Quae tamen Magi in somnis admoniti, deluserunt, per aliam viam in regionem suam revertentes. Psalmus invitatorius dici relictus est in tertio nocturno, quia in tertio tempore, scilicet gratiae, per tertium nocturnum significato, invitata est Ecclesia de Gentibus per Magos, et stellam, et nullus se excusare potest, quia in omnem terram exivit sonus eorum; saepius autem repetitur antiphona *Venite adoremus,* ut confluant undique omnes. Infra octavam dicitur Invitatorium nomine magorum, alios invitantium ad adorandum Christum; ne autem bis dicatur, tacetur in tertio nocturno.“ *N. 4.*

„Primum responsorium, *Hodie in Jordane,* quod est de Christi baptismo, dicitur in festo, eo quod reapse die 6 Januarii Christus baptizatus fuit, ut contra Epiphanium, qui sexto Idus Novembris dictum baptismum assignat, communis, et antiquia traditio testatur. Dicitur quoque in Dominica infra octavam, quod, cum Christus baptizatus fuit, dies 6 Januarii in Dominicam inciderit, sicuti ex Augustino eruit Baronius, *ad annum Christi 31, n. 34,* et demum in die octava Epiphaniae, quod huic diei adnexa sit specialis memoria baptismatis Christi Jesu, de quo olim totum erat officium, nunc est Evangelium tantum, ut observat Grancolas, *cap. 31.* Infra octavam vero subrogatur responsorium, *Tria sunt munera,* eo quod cum sit de donis, et Magorum adoratione, principalius respicit dictae festivitatis subjectum.“ *N. 5.*

„Ab Epiphania (imo a Natali Domini) ad Septuagesimam leguntur Epistolae S. Pauli, quia, inquit Rupert. *lib. 13, cap. ult.,* dum repraesentatur Christus in Mundo,

novi Testamenti praecones audiri debent ante Quadragesimam." Gav. *sect. V, c. 12, n. 8.*

3. De transferenda solemnitate hujus Festi ad 1[am] Dominicam sequentem liberam, agitur *tom. 2.* Haec autem translatio nihil efficit circa divini Officii recitationem tum publicam, tum privatam: nihil enim, sub hoc respectu, innovatum est per Indultum reductionis Festorum, anno 1802 datum. Quod pariter notandum est pro Festis SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, atque S. Patroni Loci.

4. Officium Dominicae infra Octavam, fit juxta peculiarem Rubricam. Si Epiphania venerit in Dominica, tunc praefatum Officium anticipatur in Sabbato, ante diem Octavam. De cujus anticipationis causa, cf. Gav. *n.* 8, et Caval. *l. c. n. 3.*

Si autem, in casu anticipationis, Sabbato occurrat Patronus, hujus festum agetur cum commemoratione et 9[a] Lectione Dominicae, *pag. 168.*

5. *Dominicae post Epiphaniam.* De 2[a] habetur in Breviario haec peculiaris Rubrica. „Quando autem Septuagesima venerit in prima Dominica post Octavam Epiphaniae, tunc in primo Sabbato post Octavam, non impedito Festo IX Lectionum, alioquin prima die post Octavam, fiat Officium de Feria; in qua ponuntur Responsoria 1 Nocturni Dominicae II post Epiphaniam, et tres Lectiones leguntur de Homilia ejusdem Dominicae cum ejus Ant. *ad Benedictus*, et Oratione. Festum vero semiduplex, in ea occurrens, transfertur in primam diem similiter non impeditam."

1° *Non impedita Festo 9 LL.*, id est, duplice aut semiduplice, ut patet. Cf. pt. dec. 10 Jan. 1693, n. 3152, 16, et Cavalieri, *tom. 2, ad decret. cit. ord. 120, n. 54,* item dec. 7 Dec. 1844, n. 4849. Secus tamen dicendum, si agatur de Officio *ad libitum:* nam hujusmodi Officium non impedit illud Dominicae anticipatae *(pag. 166).* Pariter Dominicae officium non impeditur officio diei infra octavam. Dec. 27 Mart. 1824, n. 4452, 1. Cf. Gardell. ad eamdem causam, *n. 4444, dub. II, q. 4.*

2° Si post Octavam Epiphaniae, occurrat in una die dies infra Octavam, puta Patroni, et in altera semiduplex, Officium Dominicae anticipandum est die qua agendum est de die infra Octavam. Dec. cit. 27 Mart. 1824, *ad* 4.

3° *Festum vero semiduplex, in ea occurrens, transfertur,*

quamvis in Sabbato etiam semiduplex occurreret, uti ex contextu patet, quidquid contradixerint aliqui. Cf. Cav. *l. c. n. 50 sqq.*

4° Gavantus, *sect. VI, cap. 8, n. 2,* docet Officium Dominicae II post Epiphaniam semper fieri ante Septuagesimam, duplici de causa. „Primo, ut ordine historico servato de Vita Christi, legatur, post ejusdem Baptismum, primum miraculum in Cana Galileae factum, antequam quidquam aliud in sequentibus Dominicis de eo narretur. Secundo, ut Officium, et Responsoria Dominicarum post Epiphaniam semel dicantur suo proprio tempore, nec omittantur omnino.“ Caeterum, addit Cavalieri *l. c. n. 48,* quod officium hujus Dominicae numquam transferatur post Pentecosten, utique evenire non potest, tametsi in eo mentio dicti miraculi non fieret, quippe cum ipsa superest, post Pentecosten, Sedem Dominicalem numquam reperit.

5° Officium Dominicae anticipatae recitandum est, prout, supra *pag. 168,* traditur cum Caval. Cs. dec. 27 Mart. 1824 *cit.* Quoad LL., si anticipatio fiat in aliqua Feria, diebus sequentibus legetur de Scriptura assignata Dominicae anticipatae. Tit. XXVI, 7 et 8.

Hodiedum hac Dominica II post Epiphaniam ab omnibus celebrandum est officium SS. Nominis Jesu, de quo, *sect. V, mense Januario.*

De 3ª, 4ª, 5ª et 6ª Dominica post Epiphaniam, quae aliquando locum habere non possunt ante Septuagesimam, agit Tit. IV, 5.

Dominicae sextae Officium cum suo Evangelio est de novo jure Pii V, in quo antiquiores repetebant Officium Dom. 5ªᵉ post Epiphaniam. Gav. *sect. VII, cap. 8, n. 8.*

6. Ad Vesperas Sabbati ante Septuagesimam, sive de Festo sint, sive a capitulo de Dominica, *ad Benedicamus Domino* post ultimam orationem, duo addantur *Alleluja,* juxta Rubricam peculiarem. Hoc autem usu proscriptae sunt antiquae repetitiones illius vocis *Alleluja,* quae ait Merati, usque ad nauseam dicta die repetebatur.

ARTICULUS IV.

DE SEPTUAGESIMA, ETC., USQUE AD SABBATUM S. INCLUSIVE.

I. Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae sunt II Cl., excluduntque dup. II Cl., *pag. 163 sq.*

1. Hae Dominicae sunt maeroris viamque nobis aperiunt ad Quadragesimam. „Ecclesia [1], inquit Bened. XIV, *Inst. XIV, n. 2,* tribus Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae diebus antea propositis viam nobis ad Quadragesimam aperit; quae ita nominantur, quod cum Quadragesimam a quadraginta Jejunii diebus nuncupatam praecedant, necessario sequebatur, ut quae longius ab ista distaret Septuagesima, media vero Sexagesima, postrema Quinquagesima diceretur; uti Carolus V Alcuino respondit, a quo deinde haec sententia tradita fuit, eamque recentiores Ecclesiasticae antiquitatis studiosi magnopere comprobarunt. Nam si Septuagesimae nomen ad Septuagenariam Judaïci populi captivitatem referendum velimus, uti putant nonnulli, quos P. Theophil. Raynaldus enumerat, nullo deinde pacto Sexagesimae, et Quinquagesimae nomina convenient."

2. „Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae diebus moerorem praesefert Ecclesia. In divinis Officiis *Alleluja* non amplius utitur, cujus loco *Laus tibi Domine,* etc., subrogatur, quod humilitati nostrae, et calamitati, quae a primo parente in nos derivata est, aptissime convenit, uti eruditissimus Martene, et Gavantus recte perpendunt. Insuper per eos dies Psalmi *Dominus regnavit*, et *Jubilitate,* etc., qui plurima laetitiae signa continent, minime recitantur; sed alii Psalmi *Miserere,* et *Confitemini* sufficiuntur, qui ad tristitiam, et moerorem concitandum prope facti videntur, sicut Sarnellius epistola octava libri sexti primus omnium advertit. His tribus Dominicis Ecclesia maximo studio Fideles admonet, ut pietatis operibus se vehementius exerceant..." *Ibid. n. 6.* De Ps. *Dominus regnavit,* et aliis, hic omittendis, dictum est, *pag. 309.*

3. „A Septuagesima ad Dominicam de Passione, leguntur Genesis, et Exodus: quia passionem Domini celebraturi recurrere debemus ad Adae peccatum, pro quo passus est; et, dum legitur de Patriarchis, Abraham, Isaac, et Jacob, quasi de diversis aetatibus ad Christum Choros

1) „Mundus quoque Carnevalis, ut ajunt, profana celebritate, nos ad Quadragesimam deducit. Hujus quippe originem Italici Scriptores ex eo desumptam credunt, quod in fine ipsius carnes edere Fideles prohibentur: *Quidam Scriptores,* ait du Cange, *Itali carnevale dictum putent, quasi carne, seu caro vale.*" Bened. XIV *l. c. n. 3.*

Patrum deducimus. Rupert. *lib. 4, cap. 5.*" Gav. *sect. V, n. 8.* De reassumendis LL. harum Dominicarum infra Hebdomadam, quando in Dominica fuerunt impeditae, vide dicta *pag. 319.*

II. *Feria IV Cinerum.* Haec feria, *cinerum* dicta propter caeremoniam benedictionis et aspersionis Cinerum, est privilegiata, excludens quodcumque officium. *Pag. 174 et 238.* Reliquae Feriae usque ad majorem Hebdomadam sunt majores, sed non privilegiatae. Cf. Tit. V, 1.

Ab hac die cessant Octavae (Tit. VII, 1); preces dicuntur flexis genibus (Tit. XXXIV, 3); duae Orationes dicuntur quotidie in feriali Officio, quarum secunda est Vesperarum propria, quia in Missa duae item dicuntur super Populum: altera initio, altera in fine; de quo vid. *tom. 2.* Gav. *h. l. n. 3.*

„Hodie, ait Rubrica peculiaris, et duobus sequentibus diebus, dicuntur Vesperae hora consueta, Sabbato vero dicuntur ante comestionem."

„Nondum, inquit Gav. *n. 4,* dicuntur Vesperae ante comestionem, ut reservetur praerogativa Dominicae sequentis, quae est caput Quadragesimae, cujus primae Vesperae dicuntur in Choro ante coenam; et deinceps idem fit in diebus ferialibus, ex Concil. Cabillon. *de Consecr. dist. 1, c. Solent.*"

„Dixi, *ante coenam,* quia antiquitus solvebatur jejunium hora coenae in Quadragesima post Vesperas; et licet horam anticipemus, retinemus tamen vocabulum coenae, cui benedicimus ea Prece quae adhibetur ad coenam: *Edent pauperes,* etc., ut in fine dicitur Breviarii. Quia vero non possumus jejunare diebus, et noctibus, sicuti fecit Christus, jejunemus saltem usque ad horas diurnales inclusive, hoc est dictis Vesperis, ut ait *Archid. in cap. Solent. de consecr. cit.*" Gav. *n. 5.*

„Extra Chorum non tenemur ante comestionem recitare Vesperas, quia Concil. Cabillon. intelligitur de publica in Choro recitatione: cui tamen congruum est, ut conformemur in privata quoque Vesperarum recitatione." *Ibid. n. 6.* Cf. dicta *pag. 355 sq.* de situ in recitatione privata aut quasiprivata.

III. *Dominicae* 1ª, 2ª, 3ª et 4ª ac Feriae *Quadragesimae.* Dominica 1ª Quadrag. est I Cl., excludens quodcumque

Festum; 2ª, 3ª et 4ª sunt II Cl. et praeferuntur duplicibus II Cl. Tit. IV et X, 1.

1. Hymni, versiculi et responsoria brevia 1ªᵉ Dominicae dicuntur in Dominicis et Feriis usque ad Dominicam Passionis exclusive. *Rub. special.*

Pariter Ant. et Capitula Feriae II Hebdomadae 1ªᵉ dicuntur in feriali Officio usque ad Dominicam Passionis. *Rub. special.*

In Officio feriali non habentur LL. de Scriptura occurrente, sed legitur Evangelium cum homilia. Pro Festis autem LL. 1 Noct., assignantur, *Tit. XXVI, 2, 6 et 9.*

Dominica 2ª Quadragesimae, sicuti 4ª Adventus, habet idem Evangelium ad Sabbatum praecedens. Vid. *pag.* 379.

2. In Feria V post Dominicam III dicitur Oratio singularis, ait Gavantus, de SS. Cosma et Damiano, quia statio fit in eorum Ecclesia, quam dedicavit Romae in Foro Boario Felix IV.

3. Dominica IV Quadrag. dicitur *Laetare,* a primo verbo Introitus.

4. A Sabbato ante Dominicam Passionis usque ad Feriam II post Octavam Pentecostes non fiunt commemorationes consuetae de Cruce, de S. Maria, et aliae in Psalterio positae. *Tit. XXXV, 1,* et *loco prop.* — Ad Completorium in Responsorio br. non dicitur *Gloria Patri* in Officio de Tempore Passionis, sed solum repetitur Responsorium br. a principio. Loc. pr. et Tit. XXVII, 2. „In Psalmis tamen nondum tacetur *Gloria Patri,* quia Psalmi, ut diximus supra, significant opera, et nondum Judaei, operibus, sed linguis tantum, de nece Christi agunt: in triduo vero majoris Hebdomadae removetur a Psalmis, quia opere compleverunt Judaei necem Christi, haec Dur. *l. 6, c. 60.*" Gav. *l. c. cap. 12, n. 3.*

Hoc Sabbato „ante Vesperas cooperiuntur Cruces et Imagines." *Rub. pec. Miss.* Cf. Caerem. Ep. Verba hujus Rubricae sunt generalia ac proinde intelligenda de omnibus Imaginibus, prout etiam declaravit S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 2094, 2, atque de diebus festis. Cs. dec. 16 Sept. 1649, n. 1466, 2 et 3. Usus tamen invaluit, etiam Romae, ut non cooperiantur Imagines et Cruces viae Crucis. — Velatae autem manent *a)* Cruces usque ad feriam sextam Parasceves post detectionem Crucis in officio, *b)* imagines vero usque ad *Gloria in excelsis* in sabbato sancto, si tunc

ommode detegi possint, et alias usque post officium ejus-
em diei *juxta* dec. 20 Nov. 1662, n. 2047, et 22 Jul. 1848,
. 4965, 3. Velum debet esse violaceum absque ullo in
o depicta Cruce vel imagine, etiam repraesentante Pas-
ionem Domini. Mer. *h. l.* Id fit ad luctum fidelibus in-
pirandum, vel, ut ait Durandus, *lib. 1, c. 3, n. 43,* quia
ivinitas tunc fuit abscondita et velata in Christo; permisit
nim se capi et flagellari ut homo, tanquam non habens in
virtutem divinitatis: unde in Evangelio Dominicae Pas-
ionis dicitur: „*Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.*"

IV. *De Dominica et Tempore Passionis.* Hoc tempus
icitur Passionis quia tunc speciali modo recolitur Passio
Domini. Hinc, uti dictum est ad Sabbatum praecedens,
raeter *Alleluja*, etiam omittuntur *Gloria Patri* et comme-
orationes communes.

Dominica Passionis est I Cl. — Invitatorium, *Hodie
vocem*, etc., dicitur in Officio de Tempore usque ad
er. V in Coena Domini. In Psalmo *Venite,* sequentia
erba, *Hodie si vocem ejus audieritis*, etc., omittuntur, ne
lem bis dicatur, et repetito Invitatorio, statim subjungi-
ur: *Sicut in exacerbatione,* etc. In fine dicti Psalmi, praeter-
uam in Festis, omittitur etiam *Gloria Patri,* cum ultima
te Invitatorii, *Nolite obdurare corda vestra*, sed Invita-
ium, jam integre repetitum pro Versu *Quadraginta annis,*
orum integre repetitur ut alias, in fine. Quod etiam ser-
atur in Responsorio ad Matutinum et in Responsoriis brev.
Horarum, ubi similiter repetitur Responsorium. Cf. dicta
d Sabbatum praecedens.

Verba Rubricae peculiaris de repetendo Invitatorio pos-
unt videri aliquatenus aequivoca. Sed ea esse intelligenda,
rout hic exponuntur, constat ex dec. 24 Jul. 1683, n. 2880, 1.

Hymni, Versiculi et Responsoria br. hujus Dominicae
icuntur etiam in Dominica Palmarum, et in feriali Officio
sque ad Feriam IV majoris Hebdomadae. Capitula vero
n feriali Officio usque ad eamdem Fer. IV, et Ant. per
Horas, usque ad Dominicam in Psalmis, sumuntur ex Fe-
ia II Passionis.

In Feria V, Ant., *ad Benedictus* et *ad Magnificat*, contra
norem praecedentium Feriarum, discordant ab Evangelio,
um quia, utpote de Passione, sunt congruentissimae tem-
ori, tum quia haec Feria non habuit Evangelium proprium
nte Gregorium II. Gav. *n. 6.*

Feria VI. Festum VII Dolorum B. M. V. ex dec. 22 Aug. 1727, *apud Merati in Indice n. 269.* Est dup. maj. Si impediatur, videatur Rub. peculiaris Brev. ad mensem Aprilis. „Quando, ait Merati *h. l.*, primae Vesperae fuerint impeditae, tunc ut integra dicatur Sequentia, quae dicitur loco hymni, pars omissa in dictis primis Vesperis impeditis uniri debet alteri parti Matutini, sicuti fit in Hymnis S. Martinae et aliorum similium. Vid. hic *pag. 302.* — Ex dec. S. R. C. 4 Mart. 1673, n. 2470, in Officio dicendus est Hymnus *Te Deum* ... et in Missa, *Gloria in excelsis*, colorque albus est adhibendus.

V. *De Dominica Palmarum et majore Hebdomada.* 1. Haec Dominica dicitur Palmarum, quia in ea benedicuntur et deferuntur Palmae ad recolendam memoriam D. N. J. C., solemniter ingredientis Hierosolymam. Cf. dicta, *tom. 2, de Benedictione Palmarum.*

Haec Dominica est I Cl. „Ab hac die usque ad Octavam Paschae, si occurrat aliquod Festum 9 LL., transfertur post Octavam; trium vero LL. a Fer. V in Coena Domini usque ad Fer. III Paschae, nulla fit commemoratio." *Loc. prop.*

2. „Hebdomada Dominicae Palmarum, ait Romsee, *tom. III, art. 9, Sancta* nominatur ob justificationem impiorum, inquit *Durandus:* cui addi potest, et maxime ob sanctitatem Mysteriorum, quae infra illam recoluntur, nempe institutio Eucharistiae, Passio et Mors Christi, quarum merita per collationem Baptismi Catechumenis applicabantur: ut autem fideles unice his Mysteriis vacarent, olim per totam hebdomadam abstinebant ab operibus servilibus: hujus feriationis mentionem faciunt Constitutiones apostolicae, quam et extendunt ad totam hebdomadam Paschae his verbis: *Tota Magna hebdomada et proxima sequenti vacent servi; quia illa Passionis est, haec Resurrectionis.* Idem refert *Photius* et *Gregorius IX.* Vocatur, in Constitutionibus supra citatis, *magna*, et in libris nostris liturgicis, *major,* non a tempore, sed ab Officio prolixiore juxta *Durandum* loco citato, vel etiam ob magnitudinem Mysteriorum, et notanter redemptionis humanae, quae lectione quater repetita Passionis et multis lugubribus caeremoniis ad mentes fidelium revocatur."

„In Fer. III et IV nulla Homilia; quia in Missa nullum Evangelium, in qua Passio Domini secundum Marcum et

secundum Lucam legitur. De Jeremia legitur, ut in Dominica praecedenti, quia de Passione Domini proprius scribit.“ Gav. *n.* 2.

3. Tres ultimae dies hujus Hebdomadae solent vocari *Triduum Sacrum*, et quandoque dicuntur etiam *Triduum mortis Christi*, uti apud Cavalieri, *tom.* 4, *c.* 1.

„Quamvis, ait Romsee, *l. c. art. XI, n. II*, officium hujus tridui totum singulare et mysteriis refertum appareat, tamen nihil prae se fert, nisi antiquam divini Officii formam, juxta quam incipiebat per Psalmos immediate, quippe in eo non dicebantur *Domine labia mea*, etc., nec Invitatorium, nec Psalmus *Venite exultemus*, nec hymnus, nec versus *Gloria Patri* post psalmos. In primo Nocturno Matutini Lectiones sumebantur ex veteri Testamento, in secundo ex SS. PP. et in tertio ex novo Testamento: hanc autem antiquam Officii formam sub hoc triduo retinuit Ecclesia, quia illius simplicitas maxime convenit ad plangendam Christi Passionem et mortem.“ Cf. Bened. XIV *de Festis, n.* **121** *et* **124**.

4. De Matutinis, quae recitantur Fer. IV, V et VI ad vesperam, unde appellari solent Matutina *Tenebrarum*, sequentia adnotanda videntur cum Bened. XIV, *de Festis, n.* **118**. „In iis Matutinis id unum, ait, Ecclesia videtur tantummodo studuisse, ut suum maerorem luctumque, dolorisque sui sensus omnino significaret. Non a suavibus illis invocationibus Officium incipit, quibus Deum orat, ut canendis ejus laudibus labia sibi aperiat. Nullum in iis Invitatorium: Psalmi hymno illo *Gloria Patri* carent omnes: nulli hymni, non benedictiones, non Capitula; ut rerum omnium oblitam Ecclesiam, et ab omni alia cogitatione avocatam, in eo tantum versari merito dixeris, ut de peccatis humani generis ingemiscat, et Christi Redemptoris cruciatibus illacrymetur. In Matutino Feriae Quintae primi Nocturni lectiones sunt ex Threnis[1] Hieremiae, quibus

1) „Alphabeto Hebraïco, inquit Fornici, *Part. II, cap. 39*, distinguuntur et praenotantur versus Threnorum, *Aleph*, *Beth*, *Ghimel*, etc., ad innuendum Threnorum artificium esse quoddam genus carminis alphabetarii, hoc est singulos Threnorum versus in textu Hebraïco, unde in Latinum conversi sunt, incipere ab iisdem litteris, quae his praeponuntur juxta ordinem alphabeti Hebraïci. Praedictum autem artificium alphabetarium adhibent Hebraei in canticis sive laetitiae, sive luctus alicujus multum notabilis; et hac quippe de causa Ecclesia has ipsas Hebraïci

Propheta Hierosolymae, deflet excidium, multoque gravius super sceleribus, quibus Deum civitas illa irritaverat, ingemiscit. In Matutino Feriae Sextae, in primi itidem Nocturni lectionibus excisam Hierosolymam deflet, cujus ruinis, Synagoga disjecta, sancta Ecclesia nostra inaedificata fuit: in tertia autem lectione de suo statu praesertim Propheta conqueritur, et in iis animi angustiis Redemptoris nostri dolores exprimit; nam in altam fossam, veluti seductor, dejectus fuerat, ut in ea, ope omni destitutus, interiret. In Matutino denique Sabbati Sancti lectione prima Hieremias miserrimi hominis exprimit formam, qui in solitudine dolet, sed tacitus dolet, erectoque animo spem omnem in Dei auxilio et ope reponit. Cujusmodi homine, Servatoris nostri ejusque invictae patientiae et mirificae mansuetudinis exemplar videmus expressum. In duabus, quae sequuntur, ejusdem Nocturni lectionibus, excisum dirutumque Templum, Patriam misere eversam, extremamque rerum omnium deflet inopiam, qua florentes olim et beati ejus cives tunc temporis premebantur: ea porro de afflictis perditisque Gentis suae rebus querela perfunctus, suas ad Deum preces convertit, ut tot mala perpessam gentem tandem placatus recipiat in gratiam, ejusque angores et contumelias respiciat. Hoc tempore, quo haec officia recitantur, magnum ante Altare ponitur Candelabrum, cujus figura est ad formam trianguli. Plures illi candelae accensae imponuntur, quarum singulae, singulis expletis Psalmis, extinguuntur, una tantum excepta, quae sub Altare accensa occultatur. Post canticum *Benedictus* paululum obstrepitur: deinde producta, quae sub Altari latebat, candela, surgunt omnes, ac taciti abeunt, ut videre est in Caeremoniali Episcoporum, *lib.* 2, *cap.* 22.“ *Ibidem n.* 122 *sqq.*, plane rejicit opinionem Verti [1] asserentis sacras Caeremonias

alphabeti litteras et Threnos usurpat; et voce lugubri decantat, ut fidelibus repraesentet, quod symbolice in hisce Threnis exprimere, et graphice depingere videtur Jeremias, Christum nempe in Cruce gementem, loquentem, lamentantem, omnesque ad compassionem moveat, et ad poenitentiam, vitaeque emendationem excitet efficaciter et impellat, uti ex Ruperto adnotat Cornelius a lapide *in comment. ad Thren.* Exemplo Christi, qui, *Matth. XXIII*, ea geminatione usus est, Lectiones concluduntur cum exhortatione *Jerusalem, Jerusalem,* etc., ad Judaeorum duritiam ostendendam, et ad nostram conversionem excitandam.“

1) »Cum, ait Bened. XIV, *l. c. n.* 121, de Officiis agit (Vertus)

e causis naturalibus ortas. Deinde, *num. 125 seq.*, expendit aliquot rationes, propter quas candelae subinde, alia post aliam, extinguuntur infra Matutina Tenebrarum. Putat illum ritum uno ex his modis esse explicandum: „Vel ea candela (ultima scilicet) significari B. Virginem quae per triduum illud, quo Christus mortuus a nobis abfuit claram explicitamque Fidem habuerit de Resurrectione Filii sui; quin ex eo tamen quisquam possit arguere caeteros omnes, ideoque etiam Apostolos in infidelitatem incidisse, qui Resurrectionem Christi explicite credere non tenebantur, nisi post legitimam ejus promulgationem, ut disputat Abulensis quaest. 14 Prolog. in Matthaeum, et Venerabilis Bellarminus Card. tom. 2. Controvers. lib. 3, de Eccles. milit. cap. 17. Vel, ut observat Mazzinellus cit. Opere pag. 85, ideo singulas candelas ex intervallo subinde extingui, quod, cum tempus, quo Christum mori oportuit, adventaret, Discipuli, remisso pristino illo animorum ardore, passim huc illuc aufugerint, promissis non steterint, ac fere omnes, ut fuga suae saluti consulerent, Magistrum suum deseruerint; qui autem ad Calvariae montem secuti sunt Christum Dominum, iidem teterrimis illis imaginibus aspectuque mortis perculsi pene obstupuerint. Addit idem Auctor, Candela illa, quae sub altari servatur accensa, pulchre Christum Jesum significari, quem e Caelo delapsum, ut universum mundum a multis retro jam saeculis in tenebris jacentem suo lumine illustraret, scelesti homines et ingrati extinguere, aut obscurare conati sunt; sed cum maxime credebant illum obscuratum, aut omnino sublatum, tum maxime reviviscentem surgentemque viderunt ad immortalitatem, splendidissimo lumine coruscantem ab universo mundo

Majoris Hebdomadae: et de candelis identidem extinguendis sermonem habens, principio illi suo tenacissime adhaeret, sacras Caeremonias e causis naturalibus ortas: earum multis post saeculis excogitatas esse rationes Symbolicas ab hominibus, qui piis meditationibus nimis indulgerent; Candelas in Divinis Officiis, quae intempesta nocte celebrabantur, ideo adhibitas, ne Fideles in tenebris versarentur: candelarum, albescente aurora, et ut dies illucesceret magis, ita subinde aliquam extingui solitam, ex eo factum esse, ut in majoris Hebdomadae Officiis, etsi ea non amplius nocte in diem inclinante celebrantur, sed die in vesperam vergente, retineatur tamen luminum extinguendorum consuetudo, nec simul omnia eodem momento temporis restinguantur, sed singillatim et ordine quodam, sicuti dictum est.*

praedicari et conspici. Illud quoque ait pag. 124 parvo illo strepitu, qui in fine Laudum in his Matutinis edi solet, magnam illam significari perturbationem confusionemque rerum, quae, ut alibi demonstrabimus, Christi Domini mortem consecuta est." *N. 126.*

5. *Caeremoniae divini Officii infra hoc Triduum.* Cum hujusmodi Caeremoniae parcius indicentur in Breviario iterum est recurrendum ad Caeremoniale Episcoporum. Ideo textus *lib. 2, cap. 22,* hic exscribitur, additis quibusdam adnotationibus. An et quae ex his caeremoniis obligent in Ecclesiis mere parochialibus, aliisve similibus, satis examinatum est supra, *in Appendice de Caeremoniis divini Officii, et Parte I ibi cit.* Quaedam exscribuntur etsi ad solum Episcopum pertinent. Magis enim utile existimatur si textus integer exhibeatur cum paucis quae non sunt omnino ad rem, quam si mutiletur ad illa pauca omittenda. Caeterum facile discernet Lector quaenam soli Episcopo, quaenam celebranti cuilibet competant.

In Breviario hae paucae Rubricae apponuntur ante Fer. V. „Tribus sequentibus diebus, dicto secreto, *Pater noster, Ave Maria,* et, ad Matutinum et in principio Primae, *Credo,* omnibus aliis praetermissis, absolute incipitur Officium ad Matutinum et Vesperas ab Antiphona primi Psalmi, et Antiphonae duplicantur sicut in Festo Duplici." Cf. aliae Rubricae quae apponuntur in Breviario post Laudes hujus Fer. V.

Quae Breviarii Rubricae compleri poterunt per sequentes, ex Caerem. Ep., *lib. 2, cap. 22,* excerptas, cum nonnullis adnotationibus.

6. *Textus.* „Ipsa vero quarta feria hora vigesima prima, vel circa, Episcopus veniet cum cappa ad Ecclesiam, sequentibus Canonicis: et ingrediens Ecclesiam cooperit sibi caput caputio cappae; et si erit Archiepiscopus, non defertur crux ante eum in Matutinis horum trium dierum." *N. 3.*

„Ecclesia autem, tribuna, altare, et sedes Episcopi poterunt remanere parata, prout fuerunt Dominica praeterita, seu aliquanto parcius, vel remissius, et a latere Epistolae ponitur candelabrum triangulare, accomodatum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis, singulos ponderis unius librae, vel circa: qui paulo ante adventum Episcopi accenduntur simul cum cereis altaris, ex eadem cera communi." *N. 4.*

„Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua sede, surgit, surgentibus omnibus, et detecto capite, dicit versus altare secreto *Pater noster, Ave Maria,* et *Credo* usque ad finem: tum sibi ipse caput tegit eodem caputio, et sic stat, quo usque ad ejus nutum chorus dixerit Antiphonam *Zelus Domus tuae,* etc., qua finita, et incoepto Psalmo, sedet, et Capellani aptant fimbrias cappae; similiter Canonici, et alii omnes sedent.“ *N. 6.*

„Finito quolibet Psalmo, caeremoniarius, vel aliquis Capellanus accedit, cum debitis reverentiis, et cum instrumento, apto ad extinguendum, ad candelabrum triangulare, et extinguit cereum in illius extremitate positum a latere Evangelii; deinde in fine alterius Psalmi alterum ab alio latere, et sic successive alternatim ab utroque latere, singulos cereos extinguit in fine cujuslibet Psalmi, tam primi, quam sequentium Nocturnorum, et Laudum.“ *N. 7.*

„Finita Antiphona tertii Psalmi, in quolibet Nocturno, post Versiculos Episcopus surgit surgentibus omnibus, caput detegit et finito Responsorio, dicit secrete totum *Pater noster* ut prius; quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus.“ *N. 8.*

„Tunc cantores accedunt, cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ad legile praeparatum in medio chori, seu ad locum consuetum, secundum consuetudines Ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, ac factis reverentiis altari, et Episcopo, recedunt.“ *N. 9.*

„Lectiones secundi et tertii Nocturni cantant, vel ipsi cantores, vel Canonici pro more Ecclesiarum, incipiendo a junioribus, singuli singulas.“ *N. 10.*

„Ad *Benedictus,* Episcopus surgit, detecto capite, surgentibus omnibus, et cum dicitur Versiculus *Ut sine timore,* etc., caeremoniarius, seu aliquis Capellanus cum instrumento apto extinguit singulatim, ad quemlibet Versiculum, singulos cereos altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia luminaria, si qua sunt per Ecclesiam, extinguuntur praeterquam ante SS. Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus* reperiantur omnia extincta.“ *N. 11.*

„Cum repetitur Antiphona post *Benedictus* caeremoniarius, sive alius Capellanus, removet, ex candelabro triangulari unicum cereum accensum, et summitate trianguli positum, eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolae altaris; et cum inchoatur *Christus factus*

est pro nobis, etc., illum sic accensum abscondit retro altare, vel alio modo.“ *N. 12.*

„Episcopus autem, dum praedicta Antiphona repetitur, descendit a sede, et dum inchoatur *Christus factus est,* etc., genuflectit super faldistorio praeparato ante altare, omnibus genuflectentibus, et postea chorus incipit sub silentio *Pater noster*, mox Psalmum *Miserere mei Deus*, etc., modulata, sed flebili voce.“ *N. 13.*

„Quo finito, Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce orationem *Respice quaesumus*, etc., usque ad *Qui tecum* exclusive, quod secrete complet.“ *N. 14.*

„Qua oratione finita, caeremoniarius manu scabellum, seu librum percutiens, per breve spatium, strepitum, fragoremque facit, et a caeteris similiter fit, donec caeremoniarius cereum praedictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu.“ *N. 15.*

„Finito strepitu, Episcopus, et omnes surgunt, et recedunt eodem modo, et ordine, quo venerant.“ *N. 16.*

„Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrarum; hoc tantum excepto, quod altare, sedes Episcopalis, et tota tribuna, ac pavimentum sint penitus denudata: poterit tamen in sede Episcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, si voluerit; et advertatur, ut officium perficiatur hora tarda, hoc est, sole occidente.“ *N. 17.*

7. *Adnotationes.* Ad *n. 3. Hora vigesima prima,* id est tribus fere horis ante Solis occasum. Nam 1ª hora, juxta computum italicum, incipit a solis occasu, ubi desinit ultima seu 24ª. — Dicitur tamen, *vel circa;* ita scilicet, incipiendum est Officium ut, quemadmodum monetur *n. 17,* perficiatur *hora tarda, hoc est, Sole occidente.*

Ad *n. 4.* 1° Candelabrum ponitur *a latere Epistolae, ante Altare*, ait Breviarium, puta in plano presbyterii, ubi Subdiaconus solet cantare Epistolam. Cf. Mer. *n. 1.* Praedicto loco ponitur „quia, ait Gavantus, *n. 7*, sinistrum cornu Altaris est, quod in Missa Hebraeos significat, ad quos primo venit Christus. Ivo Cornot, *Sermon. de convenientia novi, et veteris sacrificii:* fuerunt enim Apostoli ex Hebraeis. Nisi velimus in sinistro latere protendi sinistros eventus in Christo.“

2° *Unius librae, vel circa.* „Sintque, ait Merati, *n. 1,*

candelae praedictae 2 aut 3 circiter unicarum, et quotidie hoc triduo, si fieri potest renoventur."

3° *Cum cereis altaris*, numero sex juxta Rubricam Breviarii post Ant. *ad Benedictus* Fer. V. „Super altare sint sex candelabra ex materia obscura et candelae cerae communis." Mer. *n. 1.*

„Si SS. Sacramentum sit super Altare, ante quod dicendae sint Matutinae, omnino removeatur, paulo ante Completorium, et cum debita decentia in aliquod Sacellum transferatur; in hoc Sacello servari debent lampades accensae, quae nunquam extingui debent, donec ibi asservetur idem Venerabile. In Altari, a quo removetur Sanctissimum Sacramentum, debet relinqui ostium Tabernaculi apertum, ne adoretur, quod ibi non est." *Ibid.* Hodie tamen, finitis Laudibus, reponendum est in Altari majori. *Ibid. n. 8 fin.* Hanc remotionem et repositionem SS. Sacramenti silet Cav. *tom. 4, dec. 9.* Vide adnot. ad *n. 9.*

Ad *n. 6.* *Zelus domus tuae*, etc. „Quam Antip. Superior Celebrans inchoare debet, signans se interim signo Crucis, quod omnes pariter praestare debent in principio cujuslibet Horae Canonicae." Mer. *n. 2.* Observandum tamen est hanc signationem non esse de praecepto universali.

Ad *n. 7.* „In fine cujuslibet Psalmi, utroque Choro simul conveniente, aliquantulum inflectitur vox, quod in toto hoc triduo servatur in ultimo versu Psalmorum, ac in fine Lectionum, prout habetur in Directorio Chori et in Caerem. Paridis de Crassis, *l. 2, c. 50.*" Mer. *n. 2.*

Ad *n. 9.* *Tunc cantores accedunt cum debitis reverentiis altari.* „Advertendum est, inquit Merati, *n. 5*, quod qui transeunt ante Crucem, in medio majoris Altaris positam, toto hoc triduo, quod incipit a supradicta remotione SS. Sacramenti, hoc etiam absente, omnes debent genuflectere unico genu, praeter Celebrantem paratum, qui solum profundam facit reverentiam, nisi aliud notetur, quia in die Parasceve etiam ipse genuflectit; coram aliis vero crucibus, quae in Altaribus reliquis, aut locis positae sunt, sola inclinatio ab omnibus est de more facienda." Cavalieri autem, *tom 4, dec. 9, n. 4*, hujusmodi genuflexionem requirit tantum a Vesperis Fer. V, et Canonicis permittit sese tantum inclinare extra Feriam VI [1].

1) „Hoc autem triduum, inquit Cavalieri *l. c.*, prae caeteris diebus id habet speciale, quod ab his Vesperis (scilicet Feriae V)

Sed Cavalieri supponit SS. Sacramentum ab altari chori solum removeri initio Vesperarum Feriae V; dum Merati docet illud omnino esse removendum paulo ante Completorium Feriae IV.

Ad *n. 12. Illum sic accensum abscondit.* Quare hic cereus servetur accensus, et alii omnes et successive extinguantur, dictum est, supra *n. 4*, cum Benedicto XIV.

Ad *n. 13. Flebili voce*, ad significandum Apostolorum timorem. Durand.

Ad *n. 14. Genuflexus*, „ad imitandum Christi humilitatis exemplum: neque salutatione Sacerdotali utimur, hoc est, *Dominus vobiscum*, ad detestandam salutationem Judae, Amal., vel quia summus Sacerdos moritur, Alcuinus." Gav. *n. 20.*

Ad *n. 15. Strepitum fragoremque facit:* significant, vel tenebras in Christi morte cum terraemotu, vel concrepationem Judae et tumultum cohortis. Dur. apud Gav. *n. 22.*

8. Modus inchoandi et terminandi Psalmos *Horarum.* „Hoc triduo, ait Merati, *n. 8*, ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, et Completorium, Cantor, seu Officiator, tantummodo incipit primum Psalmum, et Chorus alios simul prosequitur, ac si tantum essent versus unius, et ejusdem Psalmi usque ad ultimum illius horae versum inclusive, qui terminabitur cum modica inflexione vocis. In Vesperis vero, in quibus Psalmi dicuntur cum Antiph. Cantores inchoabunt omnes Psalmos de more et terminabuntur cum modica inflexione vocis. Caerem. Monast. *l. 4, c. 8.*" — De modo ordinandi Horas, habentur Rubricae prop. loco.

Retinenda est consuetudo removendi, hoc triduo, aquam benedictam e vasis. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 60.

9. *Feria V.* „Quum Feria V Coenae Domini in choro dicuntur vesperae, e sacrario exit Sacerdos aliquis in cotta, et stola alba et accedit ad Altare, in quo recondita latet

usque ad Missam Sabbati Sancti, crux Altaris majoris a transeuntibus coli debet genuflexione unico genu facta, sicuti Castaldus, *lib. 3, sect. 7, cap. 2, num. 2,* per S. R. C. decisum refert, statuit Memoriale Rituum, *num. 6*, et concordes Auctores asserunt, solum excipientes Celebrantem paratum, atque Canonicos, hac tamen lege, ut et hi eidem se profunde inclinent; in sequenti vero feria VI, in qua specialius fulget crucis mysterium, pariter genuflectant."

pyxis cum particulis consecratis, genuflectit, et ab acolytho superindutus velo oblongo coloris albi, ascendit ad Altare, et cum debitis genuflexionibus aperit tabernaculum, accipit pyxidem, et praecedentibus duobus, aut quatuor acolythis cum facibus ardentibus, eamdem ut supra defert in Capellam ab Ecclesia separatam, vel in Sacrarium, relicto ostiolo tabernaculi, in quo asservari solebat, aperto, ne populus ibi adoret, quod non adest amplius, sed alio est asportatum, ut scite monet Gavantus, *par. 4, tit. 8, num. 20.*" Cav. *tom. 4, dec. 9, n. 2.*

Hac Feria Altaria denudantur et lavantur, fitque pedum lotio, nuncupata *Mandatum.* De his ritibus habentur Rubricae speciales in Missali, ac proinde de iisdem agetur, *tom.* 2.

De Vesperis Sabbati, dicendis tam in choro quam privatim habentur Rubricae *prop. loco.*

ARTICULUS V.

DE PASCHATE, TEMPORE PASCHALI ET FESTIS IN EO OCCURRENTIBUS.

1. I. Vox *Pascha* idem sonat ac Transitus. „Quidam putarunt, ait Benedictus XIV, vocem *Pascha* ductam a Graeco verbo *πάσχω*, id est patior, quod ad Christi Domini Passionem referatur. Vera tamen sententia est, *Pascha* nomen esse Hebraïcum, et Transitum, ut diximus, significare." *De Festis, n. 413.* Cf. *ibidem n. 414 sqq.*, et *hic* dicta *pag. 65,* de hac voce et de die celebrandi solemnitatem Paschae.

„Hujus Festi origo, inquit Bened. XIV *l. c. n. 414,* ad Apostolos referenda, ut ait D. Augustinus, *Epist. 54,* et ideo S. Gregorius Nazianzenus eam appellat Festum Festorum, et solemnitatem solemnitatum; et juxta veterem disciplinam non die tantum Dominica, duobusque consequentibus diebus, sed per integram hebdomadam memoria Resurrectionis Christi celebrabatur, ut septem omnibus illis diebus festum esset de praecepto. . ."

Hoc Festum habet ritum dup. I Cl. cum Octava privilegiata quae terminatur Sabbato seq. ad Nonam. Tit. VII, 1, 2, 3.

„Breve per hos dies, inquit Bened. XIV *l. c. n. 420,* usque ad Dominicam Officium recitatur, cui unum tantummodo Nocturnum est, idque brevissimum. Cujus brevitatis

ratio historica et naturalis ea est, quod cum Christiani ad multam noctem in Officio et Missa Sabbati Sancti detenti fuissent, et rursus, paulum refectis viribus, ad Officia divina redirent, nocte jam vergente in diem, pluribus recitandis Nocturnis spatium non suppetebat. Propterea unum dumtaxat satis esse oportuit; isque mos tota hebdomada retinebatur, quia quidquid in Ecclesia prima die, praesertim quod ad Neophytos attinet, fieri solebat, idem per reliquos hebdomadae dies factitabatur, ut apud Martene de antiqua Eccles. disciplina in celebrandis Divinis Offic. cap. 25, num. 5, et apud Mazinellum in Notis ad Officium Hebdomadae Sanctae pag. 252.“ Cs. Cav. *tom. 5, cap. 14, n. 33.*

Hymni et capitula non dicuntur in aliqua Horarum, usque ad Vesperas Sabbati in Albis, nec Versiculi, nisi in Nocturno, sed eorum loco dicitur Antiph. *Haec dies.* Rub. *loc. prop.* Vid. *ibid.*, quomodo dicendae sint Horae.

Ad Primam non dicitur Symbolum S. Athanasii, quia in statu Beatorum non est fides, qui status repraesentatur in Christi resurrectione. Gav. *n. 6.*

Ad Completorium dicuntur quatuor *Alleluja* post psalmos consuetos; sed dicto *Alleluja* post *Deus in adjutorium,* non additur aliud *Alleluja* pro Antiphona ante Psalmos, uti deinde fit tempore paschali, quia infra octavam Paschatis horae dicuntur sine Antiphona.

2. II. *De Tempore Paschali.* Tempus Paschale incipit a I Vesp. Dominicae *in Albis* et currit usque ad I Vesperas SS. Trinitatis exclusive.

Sabbatum et Dominica post Pascha nuncupantur *in Albis;* et praeterea haec Dominica dicitur *in Octava Paschae.* „Sabbatum vocatur *in Albis,* quia eo Neophyti vestes albas, quas ex Ordine Romano gestare omnino debebant post acceptum Baptismum septem seu octo dierum spatio, deponebant. Sequenti pariter dominicae Officio idem titulus praefixus est, vel quia in hac dominica Confirmati Sacramento Chrismatis, depositis vestibus albis in Baptismate susceptis, alias vestes albas recipiebant in Confirmatione, quae in hac dominica Neophytis ab Episcopo conferebatur; vel quia in ea simpliciter fiebat festiva commemoratio vestium albarum in Baptismo susceptarum ad recolendam ejusdem Baptismi memoriam; vel quia denique juxta morem aliquarum Ecclesiarum recens Baptizati Sabbato Sancto adhuc retinere consueverant vestes albas in

hac etiam dominica et sequentibus hujus hebdomadae diebus.“ Fornici, *op. cit. Part. 2, c. 40.*

Quaeri potest cur Dominica habeat etiam titulum *in Octava Paschae*, cum haec in Sabbato praecedenti fuerit absoluta. Huic quaestioni respondet Cavalerius, Missam Resurrectionis [1], quae nunc celebratur in Sabbato Sancto mane, antiquitus celebratam fuisse post mediam noctem pertinentem ad Dominicam Paschae. Fornici *ibid.*

3. Tempore Paschali saepius repetitur canticum *Alleluja*, propter laetitiam de Dominica resurrectione et de Evangelii dilatatione. De dicto cantico juvat hic sequentia adnotare cum Cavalieri, *tom. 2, dec. 300, n. 2.* „*Alleluja* vox hebraea itidem est composita ex dictione *Hallelu*, quod idem est, ac *laudate Dominum„ vocem extollite cum laetitia*, et ex dictione *Jad*, quod est unum ex nominibus Dei. Caeterum *Alleluja* apud Hebraeos majorem longe vim habet, quam Latine voces *Laudate Deum*, quae hortantur tantum ad laudandum Deum, ubi *Alleluja* interjectio magis est; vivos sensus exprimens cordis, ita ut laetitiam, quam quis sentit, comprimere non valens, foras erumpit, atque in laudis, et gaudii voces effunditur, et furore quodam veluti percitus, ad Deum laudandum invitat. Tradit S. Gregorius, *lib. 7, ep. 64.* Damasum Papam, auctore Hieronymo, ad imitationem Ecclesiae Hierosolymitanae in officium invexisse *Alleluja*, sed intellige de diebus post paschale tempus, et per anni curriculum, nam praedictae vocis usus paschali tempore antiquior est in Ecclesia Romana, ut monet Bona *de div. psal. cap. 16, § 7.*“ Cf. Mer. *sect. V, cap. 4, n. 4.*

4. De modo recitandi Officium tempore paschali, haec notanda sunt.

1) »Ab illa Missa Octavam Paschae ducebant Antiqui, quam propterea terminabant ad consimilem Missam, quam faciebant adventante Dominica in Albis; quae propterea dicebatur vacari, cum de tempore reliquum suppleretur officium. Cum vero postmodum gravibus de causis praedicta Sabbati Sancti Missa tracta fuit ad Nonam, ad Nonam similiter subsequentis Sabbati anticipatus fuit terminus Octavae, et in integrum etiam ad Vesperas successit Officium de Tempore ex decreto Gregorii VII de consecr. dist. 5, cap. 15. Quibus tamen minime obstantibus, eidem Dominicae reliqua remanserunt, tum ejusdem inscriptio dominica in Octava Paschae, tum ritus Duplex et reliqua ejusdem Octavae.« Caval. *tom. 5, cap. 14, n. 33.*

1° Officium de Tempore, et de Festis Ascensionis et Pentecostes habetur propriis locis; item in Festis Apostolorum et Evangelistarum, atque Martyrum, Invitatorium caeteraeque Officii partes dicuntur ut in propriis locis et in eorumdem communi tempore Paschali.

2° In Festis vero B. M. V. confessorum pontificum et non pontificum, virginum et non virginum, dedicationis et aliorum non habentium officium particulare tempore paschali, officium et Missa dicuntur ut aliis temporibus, si sequentia excipias: „In fine ad Invitatorium, Antiphonas, Versiculos et Resp. tam brevia quam alia, additur *Alleluja;* et tres Psalmi dicuntur in quolibet Nocturno sub prima Antiphona illius Nocturni.“ *Rub. Brev. post Commune Mart. tempore Paschali.* Cf. Rub. gen. *Tit. XXI, 6.*

Dicitur: *a) in fine ad Invitatorium,* ita scilicet ut nulla fiat mutatio quoad Asteriscum et partem resumendam. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 300, n. 5.*

b) Ad *Versiculos,* exceptis autem Versibus precum [1], nec in *pretiosa* ad Primam, neque in Verss. Responsoriorum Matutini. Tit. XXIV, 4.

c) Ad Responsoria post LL. additur non in medio, sed in fine, ante Versum Tit. XXVII, 8. Non raro quidem secus fit locis prop. et in Communi tempore Paschali; sed hoc evenit ex peculiari causa v. g. propter gaudium quod verba exprimunt, juxta dicta, *pag. 351.*

d) Additur Alleluja, sed quando jam non habetur. Tit. XXI, 6.

Ad Responsoria br. duo adduntur *Alleluja.* Tit. XXVIII, 5.

3° *Te Deum* dicitur omnibus Feriis, excepta II Rogationum. Tit. XXXI, 1.

In fine Hymnorum dicitur: *Deo Patri sit gloria,* etc.; et ad Primam, Resp. br.: *qui surrexisti a mortuis,* juxta Tit. XX, 6, et Tit. XXVIII, 3.

4° Omittuntur consueta suffragia, quorum loco fit commemoratio specialis de Cruce, quae ponitur in Laudibus Fer. II post Dominicam in Albis. Tit. XXXV, 2. Cujus ratio habetur *pag. 344, 2.*

5° In Completorio, ad *Deus in adjutorium,* post consuetum *Alleluja,* alterum dicitur pro Antiphona ante Psalmos.

5. Pro Festis translatis a tempore non paschali ad

1) Quia, inquit Cav. *l. c. n. 3,* preces necessitatem et gemitum significant, quod gaudio non convenit.

paschale, et vice versa, regula est, ut, retentis propriis, Officium recitetur juxta ritum paschalem vel non, pro qualitate temporis. Hinc si Festum v. g. Martyris transferatur ad tempus paschale et proprium habeat Evangelium, hoc, et non illud quod habetur in Communi Tempore paschali, dicendum erit. Dec. 29 Nov. 1738, n. 3931, 2. In exemplum sit Evangelium assignatum Festo S. Hermenegildi, 14 Aprilis. Si vero Festum S. Martyris, tempore paschali occurrens, ultra istud transferatur, „Officium sumatur de Communi Martyrum extra tempus Paschale, retentis Lectionibus, Oratione, et si quid aliud habet in proprio.“ S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 4784, 6. An de 1° aut 2° loco, dictum est *pag. 324, 3.*

6. III. *De Litaniis seu Rogationibus.* Infra tempus Paschale occurrunt *Litaniae* majores et minores: majores, Festo S. Marci, et minores, triduo ante Ascensionem Domini. Unde quaedam veniunt hic adnotanda de earumdem notione, die et officio.

1° *Notio.* „Quamvis, inquit Merati, *tom. 1, part. 4, tit. 10, n. 8,* Graeca vox *Litania* significet omnem seriam, et ardentem precationem, ut notat Cardin. Bona, *cap. 18. Divinae Psalmodiae § 4,* nihilominus usu receptum est, ut Litaniae nomen usurpetur pro certa quadam Ecclesiasticae supplicationis specie, qua Dei misericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus, quorum usum etiam primis Ecclesiae Saeculis in Libello primo de Litaniis eruditissime comprobat Nicolaus Serrarius... Ista etiam interdum pro solo *Kyrie eleison* usurpatur, ut constat ex Jacobi, Basilii, et Chrysostomi Liturgiis.“

„Quoniam vero multoties solent Litaniae hujusmodi, vel aliae preces processionaliter decantari, ipsa multitudo cantantium et procedentium, Litania appellatur ab Ordine Romano, et ab aliis; sic Abbas Joannes in Prato Spirituali, *cap. 210,* narrans cujusdam Episcopi humilitatem; pertranseunte, inquit, Litania, idest Processione, etc... En igitur nomen Litaniae hic significare Processionem et concursum Populi procedentis ad aliquam Ecclesiam.“

Cum vero dictae Processiones sint supplicationes seu Orationes, ideo nuncupantur etiam Rogationes. Fiunt autem hujusmodi Preces seu Rogationes, ut propitietur Deus peccatis populi sui et ab eo flagella irae suae avertere dignetur; pacem et aeris salubritatem concedat; fructus terrae

dare et conservare dignetur, omnibusque necessitatibus suorum fidelium benigne prospiciat. Quarti apud Deherdt *h. l.* Cs. Gav. *n.* 12.

7. Hac occasione notandum est Litaniis ab Ecclesia approbatis, quales sunt solae [1] Litaniae Sanctorum et Lauretanae, nihil omnino addi aut detrahi posse, auctoritate privata: sunt enim preces publicae circa quas Ecclesia nihil juris tribuit privatis, aut locorum Ordinariis. Unde S. R. C. consulta de additione nominum Sanctorum vel quorum reliquiae in Ecclesia asservantur, vel qui sunt Ordinis, Loci aut Ecclesiae Patroni, declaravit hujusmodi additionem non posse fieri. Cf. dec. gen. 3 Apr. 1821, n. 4423, 8 [2].

Quod, uti patet, intelligendum est, secluso privilegio. Cf. dec. 16 Jun. 1674, 2550; et (de Litaniis Lauretanis) dec. 24 Jun. 1683, n. 2876, 3, et 13 Jul. 1675, n. 2589. Hinc multis in locis indultum est addere ad Lauretanas Versum *Regina sine labe concepta.*

In Litaniis autem quae fiunt tempore mortalitatis et pestis, juxta Rituale Rom. dicendum est bis: *A peste et fame, libera nos, Domine,* et suo loco: *ut a pestilentiae flagello nos liberare digneris,* etc. Pariter tempore terraemotus et belli addendi sunt Versus pro arcendo istiusmodi flagello, juxta dec. S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 4950, 1 [3].

8. Litania quae fit die festo S. Marci, *Major* dicta jam ante S. Gregorium Magnum, est aliis antiquior, fuitque propagata ab hoc S. Pontifice, qui ideo a quibusdam fuit habitus tanquam ejus institutor. Cf. Bened. XIV, *Inst. 3,* et Merati *l. c.* Aliae vero, *Minores* dictae, agnoscunt S. Mamertum, Viennae Episcopum, institutorem. Mer. et alii.

1) Cf. dec. 16 Aug. 1642, n. 1363, etc. — Item de Litaniis *SS. Nominis Jesu*, dec. 14 Apr. 1646, n. 1405, et 7 Sept. 1850, ad 8. In priori decreto S. R. C. censet has *Litanias esse approbandas, si SS. placuerit;* et in posteriori, respondet *eas non esse approbatas.* Priori enim decreto non accessit placitum SSmi.

2) In casu particulari ita responsum est *a)* de Litaniis Sanctorum, die 8 Mart. 1631, n. 759; 20 Jun. 1654, n. 1561. — *b)* De Lauretanis, die 2 Aug. 1631, n. 785, et 24 Jun. 1683, 3 cit.

3) In Litaniis, pro orat. XL hor., quae referuntur in Manuali Ecclesiasticorum (Romae edito ann. 1845), *cap. XI, § 7,* post Versum *Ab ira tua,* leguntur duo sequentes: *A flagello terraemotus — A peste, fame et bello, Libera,* etc.

Hic enim S. Pontifex, medio saec. V vel paulo post, ad hujusmodi supplicationes confugit, ut, ait Bened. XIV, *n. 6*, crudelissimas feras quae hominum cervicibus ac fortunis imminebant, longe propulsaret; et Deus, populi luctu et precibus commotus, Viennae Urbem, universamque Dioecesim a vastitate, ac ruina eripuit. Cf. Gav. *n. 11*, cum Merati, et Romsee, *tom. 3*.

Quare illa *Major*, hae autem *Minores* dicantur, non ab omnibus eodem modo explicatur. Alii, quod minus probabile videtur, putant *Minores* ita vocari quia institutae fuerunt a minori Episcopo, et in minori loco, respectu S. Gregorii et Urbis Romae. Cf. Gav. *n. 11*, et Bened. XIV *l. c. n. 1*. Secus autem Merati *l. c. n. 8 et 11:* docet patere Litaniam majorem ita vocari, non quia a D. Gregorio Magno fuerit instituta, cum ex ipsomet S. Pontifice habeatur, quod jam antea ab omnibus Litania major appellaretur, sed ... vel quia ex toto Clero tam Saeculari, quam Regulari, et ex magno populi concursu componebatur, vel potius ob longitudinem itineris.

Nomen vero *minorum* ita explicat *n. 11 cit.* „Ex quo autem ab Ecclesia Romana multo tempore post Litanias die 25 Aprilis celebrari solitas, istae Rogationes receptae fuere, hinc factum est, quod cum illae jam Litaniae majores appellarentur, etiam Aevo Gregoriano, istae Mamertinae in comparatione illarum, minores statim appellatae fuerint, et adhuc hoc nomine in Missali Romano vocentur. Caeterum etiam istae suo tempore, et in Gallia, ut adnotavimus supra, agentes de praedicta Litania pro die 25 Aprilis instituta, majores utique dicebantur, nimirum relate ad alias Litanias, seu Processiones, quae minus solemniter in Ecclesiis Gallicanis probabiliter aliis Anni diebus celebrantur."

2° *Dies earum celebrationis.* Docet Merati *l. c.* Litaniam majorem fuisse diei 25 Aprilis affixam multo tempore antequam in eo celebraretur Festum S. Marci.

9. Quemadmodum ab origine, ita hodie nulla habetur connexio inter Festum et Litaniam, nisi quod eadem die 25 Aprilis occurrunt. Unde in casu impedimenti, fit translatio Festi absque respectu ad Litaniam et vicissim. Festum transfertur juxta Rubricas de translatione Festorum. „Processio tamen non transfertur, nisi quando praedictum Festum occurrit in die Paschatis; tum enim in Feriam III

sequentem transferatur.“ Rub. Miss. et Brev. ad 25 Apr. Excipe, ut per se intelligitur, si peculiare habeatur privilegium, v. g. si aliter statuatur in decreto Concilii provincialis a S. Sede approbato.

10. 3° *De Officio.* Feriae Rogationum, excepta 2a Rogationum minorum, sunt minores, ac nullo proinde gaudent privilegio, sive quoad Officium, sive quoad Commemorationem. Dicta autem Fer. II est major ac proinde praefertur simplici et habet commemorationem, occurrente Officio 9 Lectionum.

Diebus Rogationum, qui non intersunt Processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Laudes cum suis Precibus et Orationibus sine Psalmis Poenitentialibus. Rub. Brev. *ad 25 Aprilis* et *Fer. II Rogationum.* Hoc loco dicitur, *post Laudes;* et altero *post Matutinum:* sed idem alia voce exprimitur, juxta dicta *pag. 284, verb. Itaque.*

Ex ipsis citatae Rubricae verbis, *Hodie, Hoc triduo,* erui potest Litanias non esse affixas officio, sed ipsi diei. Unde S. R. C. declaravit, die 28 Mart. 1775, n. 4229, 16, Litanias non posse pridie recitari cum Matutino et Laudibus, ab illis qui Processioni non intersunt. — Si cum Laudibus conjungantur, recitentur juxta Tit. XXX, 3: *post Benedicamus Domino*, omissis Versu *Fidelium animae*, et Antiph. finali B. M. V. Tit. XXXVI, 3. Si autem a Laudibus separentur, hae concluduntur more solito. In recitatione privata convenienter dicuntur, flexis genibus. Cf. Gav. *h. l. n. 3.*

11. IV. *De Ascensione Domini.* In Festo et Octava Ascensionis Domini dicuntur Antiphonae ad unumquemque Psalmum more solito, licet adhuc currat tempus Paschale. Quod fit, juxta Gav. et Mer., ad fervorem charitatis excitandum, quae in Antiphonis significatur. In Festis vero quae infra Octavam celebrantur, Nocturni dicuntur, sub una Antiphona, ut alias infra id tempus. — Conclusio propria Hymnorum dicitur usque ad Pentecosten, juxta Tit. XX, 7; item Respons. br., juxta Tit. XXVIII, 3.

„Duobus sequentibus diebus officium fit sicut infra octavam Ascensionis, exceptis LL. quae habentur propriae, et Responsorio VIII, Capitulis, Antiphonis ad *Benedictus* et *Magnificat*, Oratione, quae dicuntur de Dominica infra Octavam Ascensionis. Et non dicuntur Preces ad Primam, et Completorium.

„Si vero Feria VI occurrat festum 9 Lectionum, fit de Festo cum commemoratione Officii ejusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus, ut dicitur in Rubrica de commemorationibus.“ *Rub. pecul.*

Feria VI fit de Festo 9 LL. non solum occurrenti sed etiam translato. Dec. 11 Aug. 1691, n. 3095, 10. De officio autem hujus Feriae fit commemoratio in duplicibus, ad instar diei infra Octavam, juxta Tit. IX, 1. — De simplici fit commemoratio cum 9 LL. — De die infra Octavam, puta Patroni, fit tantum commemoratio, ut docet Deherdt cum Guyeto et Merato.

„A Sabbato in vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive, si occurrat Festum 9 LL., transfertur post praedictum Festum SS. Trinitatis.“ *Rub. pecul.* et *Tit. X, 1.* — Officium autem fit ut supra. Cf. Tit. VI, 5.

12. V. *De Pentecoste.* Festum Pentecostes sine ulla dubitatione ab Apostolis est profectum (Bened. XIV, *de Festis, n. 508*), estque in Ecclesia celeberrimum, eumdem habens ritum ac Pascha. Octava pariter terminatur ad Nonam Sabbati sequentis. Cf. dicta ad I.

Analogia non obscura existit inter nostram et Judaeorum Pentecosten. „Postquam enim Judaei, sacrificato agno, celebraverant Pascha, quinquaginta diebus post jam elapsis, vetus lex digito Dei scripta Moysi est tradita: in nova autem lege, quinquaginta itidem diebus post Pascha, celebratum in mortuis Jesu Christi memoriam, qui tamquam immaculatus Agnus ad sacrificium ductus est, celebratur adventus Spiritus Sancti, qui Dei digitus appellari solet.“ Ben. XIV *l. c. n. 488.* Cf. Romsee.

13. Matutinum sicuti in Paschate, unicum habet Nocturnum. — Ad Verba, *Veni Creator,* etc., genuflectitur, uti dicitur *pag. 360.* „Ad horam Tertiam dicitur Hymnus *Veni Creator,* quia hora Tertia super Apostolos Paraclitus descendit. Et licet quotidie ad eamdem horam invocemus eumdem Spiritum: Nunc Sancte nobis Spiritus; tamen convenit hac die, ut Hymno longiori, et proprio Festi eum invocemus et ad nos invitemus.“ Gav. *n. 3.* Juxta plures AA. congruit ut dictus Hymnus cantetur cum majori pompa. — Veresimile est ab hac Rubrica petendam esse originem nostrae consuetudinis cantandi hunc Hymnum, diebus Dominicis ante Missam solemnem.

Tempus Paschale terminatur Sabbato post *Nonam.*

ARTICULUS VI.

DE FESTO SS. TRINITATIS, ETC., USQUE AD ADVENTUM.

1. I. *Festum SS. Trinitatis.* Dominica 1 post Pentecosten celebratur Festum SS. Trinitatis, sub ritu dup. II Cl. Haec autem Dominica considerata in se et qua Dominica post Pentecosten, nihil differt ab aliis sequentibus. Unde si concurrat in II Vesperis cum Festo I aut II Cl., nulla de ea fit commemoratio. Dec. 24 Mart. 1824, n. 4454, 1. Quatenus autem adnexum habet Festum SS. Trinitatis, est I Cl., id est, ad instar Dominicarum I Cl., excludit quodcumque Festum, praeterquam illud SS. Trinitatis, in ea occurrens. Unde in Tabella Dominicarum I Cl. non enunciatur Dominica 1 post Pentecosten, sed *Dominica Trinitatis.* Quidquid, inter Auctores, disputatum sit de nomine, hic enunciata sunt certa. Cf. praedicta Tabella et Gardellini, *ad decret. cit. n. 4454.*

2. De institutione hujus Festi sequentia scribit Romsee, *tom. 3, art. 19, n. 3.* „Ante institutionem hujus Solemnitatis, equidem Ecclesia singulis diebus laudes dabat Sanctissimae Trinitati per doxologiam, *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, quae post Psalmos dicitur, et in Responsoriis, necnon, in conclusione hymnorum mutatis tantum verbis; ast nullus dies per anni cursum huic colendo Mysterio, praecipuo fidei nostrae objecto, erat consecratus; hujus defectum sentiens *Stephanus* Episcopus Leodiensis sub initio saeculi X instituit Officium proprium Sanctissimae Trinitatis, quod in praecepto posuit *Richarius* ejus successor. E finibus Ecclesiae Leodiensis mox transiit in Dioeceses vicinas, perrexitque in Gallias, et tandem sub *Joanne XXII* Pontifice locum accepit in Liturgia Romana, fuitque ab eo fixum Dominica post Pentecosten [1].“ Cf.

1) „Ratio, inquit Cavalieri, *tom. 2, cap. 17, n. 6,* ob quam huic magis Dominicae, quam alteri diei praedicta festivitas consignata fuerit, excogitatur varia. Durandus, *lib. 6, cap. 114, n. 1,* hanc congruentem dat causam, quia Natalis Domini fuit festum Patris, cui natus est Filius, Pascha fuit Festum Filii, Pentecostes Spiritus Sancti, unde statim celebrandum erat trium simul Personarum festum SS. Trinitatis. Rupertus Abbas, *lib. 11, cap. 1,* eo quod post adventum Spiritus Sancti coepit statim praedicari, et credi mysterium SS. Trinitatis, in cujus nomine dabatur Baptismus. Thomassinus *loc. cit.,* ut omnes pernoscant, Trinitatem

Ben. XIV *l. c. n. 520 sqq.* Hic *n. 126 sq.*, docet doxologiam, *Gloria Patri*, etc., antiquiorem esse concilio Nicaeno et, ut verius habet, eam inde ab Apostolis fuisse in usu apud Fideles.

II. *Festum SS. corporis Christi.* Feria V post Festum SS. Trinitatis celebratur Festivitas corporis Christi sub ritu dup. I Cl. cum Octava privilegiata. Tit. VII, 3.

3. Hujus Festi origo sic refertur a Bened. XIV, *de Festis, n. 531 sqq.* „Ab Apostolicis, ait, usque temporibus, Feria Quinta *in Coena Domini* Sanctissimae Eucharistiae institutionem veneratur Ecclesia. Sed cum eo die in Passione et morte Christi Domini recolendis sancta versetur Ecclesia, et in plurimis caeremoniis occupata sit, optimum factu et Deo gratum fore visum est, si peculiaris quaedam institueretur Festivitas, laetitiae et gaudii declarationibus celebranda, cui Feria Quinta post primam Dominicam Pentecostes destinaretur. Haec Festivitas primum celebrata fuit Leodii ann. 1246, promovente Beata Juliana, de hoc a Deo in visione monita [1]. Deinde enixe rogatus fuit Urbanus Papa IV, ut hoc Festum ad Universalem Ecclesiam extenderet.

finem, et complementum esse celebritatum omnium, ac mysteriorum...“ Alias rationes allegat Grancolas, quas refert Romsee. Advertere autem est unam rationem non excludere alias.

Juxta eumdem Cavalieri *l. c. n. 7*, illa quotidiana SS. Trinitatis glorificatio in causa fuit quare serius instituta fuerit peculiaris Festivitas in illius honorem et quare haec Festivitas colatur dumtaxat sub ritu dup. II Cl. sine Octava, licet alia mysteria quae sunt in Ecclesia minus solemnia, altiori ritu celebrentur.

1) Magna, ait Bened. XIV *l. c.*, erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devotione fuit Beata Juliana e Monte Cornelione ad Leodii Portas, Hospitaliaria. Quadam coelesti visione admonita fuit ut peculiari Festivitate SS. Eucharistia coleretur. „Frequenter, ait Romsee *h. l.*, videbat Lunam radiantem, sed in medio diametraliter secatam linea obscura et nigra. Ad detegendum hujus apparitionis arcanum, solito ferventiores ad Deum preces fundebat. Tandem exaudita a Deo intellexit lunam figurare Ecclesiam militantem: lineam vero defectum Solemnitatis, sub qua recoleretur institutio SS. Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi. Ast obstupuit Virgo humilis, dum simul audivit se electam ad illud opus perficiendum; docilis tamen voci divinae, manum operi admovit, et consultis hac super re viris pietate et doctrina conspicuis, ac votis eorum freta secretum coeleste aperuit...“ Cf. Acta B. Julianae *ap. Bolland.* 5 Apr., et Cav. *tom. 2, cap. 16.*

Qui, miraculo Volsiniensi [1] „commotus, ea etiam revolvens animo, quae Leodii multo antea acceperat, et accurato examine perpenderat [2]; reputans praeterea, quantopere necessarium esset, ut gliscens Berengarii haeresis, qui realem Corporis Christi sub speciebus panis et vini praesentiam impugnabat, auctoritate publica frangeretur, Constitutionem edidit, quae in Bullario primum inter Urbani IV Bullas obtinet locum, qua ad haereticos comprimendos, et exaltandam Catholicam Fidem, singulis annis eodem quo nunc die Festivitatem Corporis Christi in universali Ecclesia celebrari jussit. In eam Constitutionem Revelationes etiam quas antequam ad Apostolatum esset evectus, cognitas habebat, inseruit. Nulla in hac Constitutione reperitur dies, qua eam Urbanus ediderit... In Regestis Vaticanis, quae in Bullario deest dies, Bullae adscribenda, reperitur fuisse undecima Augusti anno 1624.“ Bened. XIV *l. c. n. 537.*

4. De controversia an D. Thomas Aquinas composuerit Officium hujus Festivitatis, ita scribit idem Pontifex, *n. 540.* „Quae tamen, ait, numquam orta esset controversia, si Constitutio iis disceptatoribus innotuisset edita a Xysto IV quam reperias in tom. 3 novissimi Bullarii Fratrum Praedicatorum pag. 555. In ea declarat Pontifex, eam solemnitatem ab Urbano IV esse institutam; deinde subjicit:

1) „Castrum est, inquit Bened. XIV, *n. 536,* ad Volsiniensem lacum sub radices collis in via, quae Romam per Hetruriam ducit, ab Urbe veteri haud longe distans, in qua tum Civitate Urbanus IV, cum Romana Curia morabatur. Eo in Castro contigit, ut Sacerdos quidam post consecrationem panis et vini, cum de transubstantiatione in Corpus et Sanguinem Jesu Christi coepisset dubitare, ex improviso Sanguis ex Hostia eruperit, qui linteum, seu Corporale commaculavit. Sunt qui narrant, sanguinis guttam Sacerdotis imprudentia in linteum effusam; illud autem, quo suam tegeret negligentiam, multiplici plexu eam lintei partem, quo Sanguinis gutta deciderat, complicasse; maculam deinde Sanguinis in formam Hostiae in singulis lintei plexibus esse repertam. Cujus miraculi fama commotus Pontifex, ipse linteum inspicere voluit....“ Hujus miraculi veritatem in specie probat eruditus Pontifex, *l. c. n. 528,* ex testimoniis multorum Pontificum et ex ipso Corporali quod in Cathedrali Urbis veteris asservatur.

2) Ex Theologis, quos consuluit B. Juliana, fuit Jacobus Pantaleo Trecassensis Archidiaconus Leodiensis, Episcopus deinde Verdunensis, Summus denique Pontifex Urbanus Quartus appellatus, ut refert Bened. *l. c.*

propriumque ejusdem Solemnitatis Officium per B. Thomam de Aquino, tunc in ipsa Curia existentem, compositum edidit; quod, a nobis antea notatum quinto Edicto nostro tom. 1, observavit etiam Meratus, pag. 2, tom. 1, ad Gavantum, pag. 1225 et sq...“

Rubricae de Conclusione Hymnorum, *Jesu tibi,* etc., de Versu *qui natus es,* in Resp. br., de omittenda 9 Lectione Simplicis, satis expositae sunt respectivis titulis.

Quaeritur quare, in hoc Festo, *Alleluja* additur Responsoriis br. Tertiae, Sextae et Nonae, non vero Primae et Completorii?

R. Id fit quia, extra tempus Paschale, *Alleluja* non additur promiscue, sed Versibus dumtaxat et Responsoriis quae laetitiam exprimunt; qualia hic sunt Versus et Resp. br. quae dicuntur ad Tertiam, Sextam et Nonam, non autem alia. Cf. dicta *pag. 351.*

Si Nativitas S. Joannis occurrat die Corporis Christi, servetur Tit. X, 1. — De translatione solemnitatis et Processionis agitur *tom.* 2. Nihil enim commune habet cum Officio.

5. III. *Festum SS. Cordis Jesu.* Feria VI post Octavam Corporis Christi celebratur Festum SS. Cordis Jesu, sub ritu dup. maj. Hoc Festum nonnullis Ecclesiis olim indultum, nunc in universa Ecclesia est de praecepto celebrandum, vi sequentis Decreti, a SS. DD. Pio Papa IX, feliciter regnante, dati die 25 Aug. 1856. „Ex quo Clemens Papa XIII Festum in honorem Sanctissimi Cordis Jesu cum Officio et Missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam divini hujus Cordis Charitatem recolendam tanto ubivis ardore fideles populi se excitatos senserunt, ut nulla jam pene exstet dioecesis quae privilegium ejusdem festi peragendi ab Apostolica Sede se non impetravisse laetetur.

„Id reverendissimi Galliarum Episcopi attendentes, ut festum fidelium animis adeo jucundum et in omni fere Catholico Orbe tam concordi pietate frequentatum ab universa prorsus Ecclesia amodo celebretur, humillima ea de re vota sua Sanctissimo Domino nostro Pio PP. IX per subscriptum Cardinalem, cum nuper in Galliis a Latere munere fungeretur, subjici curarunt. Occasionem namque sibi datam lubenti animo arripientes publicum ac solemne in persona Cardinalis-Legati testimonium exhibendi suae erga Sedem Apostolicam venerationis, ipsum Parisiis com-

morantem ingenti numero convenerunt, intimamque ac plenissimam adhaesionem suam Romano Pontifici veluti Catholicae unitatis centro in Jesu Christi in terris Vicario professi, ut festum Sanctissimi Cordis Jesu ad universam extendere dignaretur Ecclesiam enixis precibus postulare.

„Has autem preces florentissimi et Sedi Apostolicae obsequentissimi Galliarum Episcopatus cum in Urbem regressus SS^mo^ Domino Nostro subscriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus retulisset, placuit Sanctitati Suae illas clementer excipere, novaque cupiens praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor Ejus qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo, Officium Sanctissimi Cordis Jesu, pro Regno Poloniae et Clero Urbis a S. R. C. probatum die 11 Mai. anni 1765 cum respondente Missa *Miserebitur*, in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici majori, feria VI post Octavam SS^mi^ Corporis Christi, servatis tamen Rubricis, et firmis remanentibus, quoad Ecclesias privilegium habentes vel ampliore ritu, vel alia die, vel diverso Officio festum istud celebrandi, singularibus Indultis ab Apostolica Sede hucusque concessis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 23 Aug. 1856. — L. † S. — C. Ep. Albanen, Card. Patrizi, S. R. C. Praefectus. — H. Capalti *S. R. C. Secretarius.*"

Ex dictis, *pag. 214 sq.*, nulla hujus Festi commemoratio fit in II Vesperis Octavae Corporis Christi, quia ex una parte utrumque Officium est de eodem, et altera ex parte praefata dies Octava, concurrens cum duplice majore, integras habet Vesperas (Tit. XI, 7): unde in casu praeferenda est. Propter eamdem rationem, si in die Octava Corporis Christi occurrat Festum dup. I Cl., in Vesperis fit tantum commemoratio Octavae, et non SS. Cordis, ut declaratum est, 27 Mart. 1824, n. 4454, 2.

Quoad conclusionem Hymnorum variandam necne, consulenda est peculiaris officii Rubrica. Datur enim Officium in quo mutantur conclusiones, v. g. officium cujus Missa est *Egredimini* cum Praefatione de Nativitate, juxta dec. 1 Sept. 1838, n. 4696, 8; et datur etiam Officium in quo conclusiones non mutantur: Cf. dec. in Mechlin. 7 Sept. 1850, 3, ubi, ut refert Deherdt, *part. 5, n. 27,* rescripsit S. R. C. „conclusiones Hymnorum in casu non esse variandas."

In concurrentia (*pag.* 270, *q.* 2), sed non in occurrentia (*pag.* 250), praefertur Festo S. Barnabae.

Quaeritur an transferendum sit Festum SS. Cordis, quando impeditur hac Feria VI?

R. Videtur negandum cum Deherdt, ex regula generali (*pag.* 224), juxta quam, secluso peculiari privilegio, non transferuntur Officia certis Dominicis aut Feriis affixa. Peculiare autem privilegium nullatenus exprimitur in praefato decreto: secus fieri solet quando S. Sedes intendit concedere facultatem transferendi, ut videre est, v. g. in Indultis Officiorum Passionis (*supra pag.* 224 *cit.*), et pretiosissimi Sanguinis, (1ª Dominica Julii).

Illud tamen aliquatenus militare potest pro translatione, quod praedicta Feria VI non videatur ita propria Festo SS. Cordis, ut incongruum sit illud celebrare alia die. Quod confirmatur ex Indultis particularibus, quae permittunt illud alia die celebrari, et quibus non derogatur per praesens decretum.

Rubricae peculiares de Scriptura occurrente pro casu, quo menses Aug., Sept. et Novemb. habeant dumtaxat quatuor hebdomadas, expositae fuerunt, *pag.* 322 *sq.*

SECTIO V.

PROPRIUM SANCTORUM.

In hac Sectione agitur praesertim de proprio Sanctorum Breviarii Romani. Neque omnia adnotantur quae de hoc Proprio utiliter cognoscuntur, sed praecipua tantum, et quae satis non fuerunt explicata ad Rubricas generales.

Non tamen exclusive tractatur de Festis Sanctorum Breviarii Romani. Aliquando enim nonnulla adnotantur ad Festa seu Officia alicubi indulta de aliquo Mysterio aut Sancto. — Ordini Breviarii inhaerendo, incipimus a festis seu Officiis quae occurrunt initio anni Ecclesiastici. — Cum regulariter in Proprio Sanctorum pauca occurrant dicenda de Missa, ideo opportunum existimatur hic etiam regulariter tradere notatu digna quae ad Missam pertinent. Secus tamen fit et ad Missale remittitur, quando plura occurrunt notanda quae ad Missam pertinent, v. g. de Benedictione Candelarum die 2ª Februarii etc.

De mense Novembre, sufficit hic animadvertere, in Tit. VI, 2, haberi quid sit agendum quando Vigilia S. An-

dreae occurrit in Dominica aut Feria Adventus. Quoad Missam, vide Rub. Miss. *Tit. III.*

DE FESTIS MENSE DECEMBRI.

8 Decemb. Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. dup. II Cl. SS^mus^ D. N. Pius IX, litteris, 2 Feb. 1849 datis, concessit Episcopis facultatem permittendi suo clero ut recitaret peculiare Officium de B. V. Conceptione. Cf. Deherdt *h. l.* Praedictum Officium de Immaculata Conceptione indultum jam fuerat Dioecesi Tornacensi anno 1848, supra *pag. 193.* — Secluso peculiari Indulto, quale habet Dioecesis Tornacensis, in praefatione addi nequit, *et Te in Immaculata Conceptione.*

De *dogmatica definitione* Immaculatae Conceptionis *virginis Deiparae,* cf. Litterae Apost. datae Romae die 8ª Dec. 1854. Hujus Festi translatio non est privilegiata. Cf. pt. dec. 22 Mai. 1841, n. 4774, 4.

11 Decemb. S. Damasi Papae. Hic Pontifex dicitur, in L. 6ª, habuisse *Ordinationes quinque mense Decembri.* De hujusmodi dictione vide *adnotata ad Dom. IV Adv. pag. 379*

18 Decemb. Festum Exspectationis Partus B. M. V. aliquibus locis indultum. Octava benedictio dicitur juxta solitum: *Cujus Festum,* etc. Cf. pt. *pag. 314* et dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 8. Ex eodem dec. ad 9, in Praefatione dicitur: *et te in Exspectatione B. M. V.,* omisso verbo *Partus.* — Conclusio Hymnorum et Resp. br. ad Primam dicuntur ut in Adventu, *pag. 302.* — „Si hoc Festum, ait Rubrica pecul., venerit in Feria IV Quatuor Temporum Adventus, loco Homiliae assignatae, leguntur tres Lectiones Homiliae ejusdem Feriae quartae cum Responsoriis quae hic assignantur." Idem scilicet est Evangelium in Officio Festi et Feriae.

20 Decemb. Vigilia S. Thomae, de qua nihil in Officio. Tit. VI, 2.

26 Decemb. Festum S. Stephani Protomartyris. Quibusdam in locis fit commemoratio omnium sanctorum Martyrum. Dum S. Sedes feriationem plurium Festorum Apostolorum et Martyrum suppressit, providit ut non solum Clerici, sed etiam Christi fideles servarent et colerent memoriam eorumdem SS. Apostolorum et Martyrum. Unde Clemens XIV, in suo Brevi *22 Junii ad Archiep. Mechlinien.* (Synodicon Belgicum, *tom. 2, pag. 508*), praecipit „ut die 29 Junii

ultra praecipuam Sanctorum Petri et Pauli solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum; et die 26 Decembris ultra praecipuum Sancti Stephani Festum, etiam aliorum Sanctorum Martyrum memoria celebretur. Quare die 29 Junii in Calendariis ecclesiasticis ita Festum inscribendum erit: *Sanctorum Petri et Pauli, et Commemoratio omnium Apostolorum,* — ac tam in Officio, quam in Missa addetur *Commemoratio de Communi Apostolorum:* die vero 26 Decembris ita notetur Festum. — *Sancti Stephani Protomartyris, et Commemoratio omnium Sanctorum Martyrum,* — ac tam in Officio quam in Missa addenda erit *Commemoratio de Communi plurimorum Martyrum.*" Pariter agenda est, iisdem diebus, commemoratio SS. Apostolorum et Martyrum in toto territorio Reipublicae Galliarum, uti praecipit Indultum reductionis Festorum *ann. 1802, verb. Ad honorem* [1].

1) Ex litteris Apostolicis, *super observantia et reductione Festorum*, datis 11 Apr. 1818, n. 4401, *pro utriusque Siciliae Regno,* ita ordinatur: »Die 29 Junii in Calendariis Ecclesiasticis ita Festum inscribendum erit, *Sanctorum Petri et Pauli, et Commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum, ac Sanctorum Martyrum*, ac tam in Officio quam in Missa addentur commemorationes de communi Apostolorum et de communi plurimorum Martyrum.« Notandum est commemorationem praescribi *simul* de SS. Apostolis et Martyribus, et *pro sola die 29 Junii.* De hujusmodi Commemorationibus quaesitum est a S. R. C. dub. 11. »An sint illae, quae olim praescriptae fuerunt pro statu Romano, occasione reductionis Festorum, cum in communibus Apostolorum, et Martyrum?« S. R. C. Respondit: Affirmative. Die 18 Oct. 1818, n. 4403, 11, in *Neapolitana.*

Quaeritur quaenam olim fuerint praescriptae pro statu Romano?

R. Juxta Manuale Ecclesiasticorum seu Collect. Decretorum, *edit. Romae 1845, n. 111 et 408*, videntur esse sequentes, quae decreto Pii VI praescriptae sunt die 18 Mai. 1798 pro aliquibus locis.

I. *Pro Commemoratione omnium Apostolorum.*

In I Vesp. Ant. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Laudes. Ant. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israël.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

In II Vesp. Ant. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.

Sed in hoc Indulto non dicitur per quas Antiphonas, Versus et Orationes agenda sit illa Commemoratio. Juxta

℣. Gloriosus in sanctis suis, faciens mirabilia.
℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oratio in utrisque Vesp. et Laud. Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Qui vivis et regnas.

In Missa: Secreta. Gloriam, Domine, Sanctorum tuorum perpetuam celebrantes, quaesumus ut eamdem, sacris mysteriis expiati, dignius celebremus. Per Dominum. Cf. Secreta SS. Apost. Simonis et Judae.

Postcommunio. Quaesumus, omnipotens, Deus, ut fideles tui venerandas assidue celebrantes Sanctorum Apostolorum tuorum passiones, et copiam inveniant perpetuae devotionis, et salutis aeternae suffragia majora conquirant. Per Dominum.

II. *Pro commemoratione omnium SS. Martyrum.*

In I Vesp. Ant. Isti sunt quos elegit Dominus in charitate non ficta: dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in laetitia.

Oratio. Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae, ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum.

Ad Laudes. Ant. Sancti tui, Domine, semper benedicant te et gloriam regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in sanctis suis.
℟. In sanctis ejus laudate Deum.

Oratio. Deus, qui, ut ad I Vesp.

In Missa: Secreta. Adesto, Domine supplicationibus nostris, quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui nostrae justitiae fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur. Per Dominum.

Postcommunio. Quaesumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis: ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum.

Utraque Secreta et Postcommunio, eadem est ac de Communi plurimorum Mart. 1° *loco.* In collectione autem Decretorum, quae inscribitur: *S. R. C. Decreta authentica* (altera edit.), loco Secretae, *Adesto,* et Postcomm., *Praesta,* ponuntur sequentes:

Secreta. Suscipe, quaesumus, Domine, et sanctifica hoc sacrificium populi tui, ut quod in honore beatorum Martyrum tuorum offertur ad gloriam, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

Postcommunio. Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut non desinant Sancti tui pro nostris tibi supplicare peccatis, a quibus voluisti pro peccatoribus exorari. Per Dominum.

Deherdt, cui assentit D. Hazé, in nova editione Romsee, fieri debet, de SS. Martyribus „per antiphonam et Versum de communi Martyrum, et orationem *Deus qui nos annua,* etc., mutando *solemnitate* in *commemoratione*, uti praescribitur in breviario Rom. in proprio pro Clero Romano, et in Brevi Clementis XIV.“ Commemoratio SS. Apostolorum indicatur ad 29 Junii.

Non obstantibus quae dicuntur hic in nota, videtur adhaerendum esse sententiae D. Deherdt; et proinde antiphonae atque orationes hic in nota relatae habendae sunt tanquam propriae, nec usurpandae absque peculiari indulto. Caeterum quisque sequatur suum Calendarium Ecclesiasticum *(pag. 69)*.

Addi poterit in Martyrologio, post annuntiatum Festum S. Stephani: *item commemoratio omnium SS. Martyrum* — et post annuntiatum Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli: *Item commemoratio omnium SS. Martyrum.* Cf. dec. cit. 18 Oct. 1818, n. 4403, 10.

Praefata autem commemoratio fit sub distincta conclusione, juxta solitum. Cf. dec. 23 Mai. 1846, n. 4903, 1; et *pag. 217 sq.* Fit tantum in die Festo, et non in Dominica ad quam transfertur Solemnitas S. Stephani, qua Patroni loci, aut SS. Apost. Petri et Pauli, ut ex Indulto patet et declaratum est a S. R. C. 23 Mai. 1835, n. 4597, 14, q. 2 sq.

De Sancto Sylvestro, qua Patrono, scilicet an habeat Octavam et quomodo ordinandum sit ejus Officium, vide dicta *Tit. VII, 1,* et *sect. IV, art. 2, n. 4.*

DE FESTIS MENSE JANUARIO.

Dominica II post Epiphaniam ab omnibus hodie celebrandum est Festum SS. Nominis Jesu, sub ritu dup. II Cl., ex dec. 29 Nov. 1721. Quod servandum etiam est ab iis qui antea idem Festum celebrabant alia die, v. g. 14 Jan. Dec. 28 Nov. 1722, n. 3803.

Hoc Festum, si transferendum sit propter Dominicam Septuagesimae, reponendum est ad 28 Jan., tanquam ad diem accidentaliter assignatam *(pag. 236 et 239 sq.)*. Non enim congruit ut hujusmodi solemne Festum celebretur

Notandum est non has proprias commemorationes, sed commemorationes, de communi sumptas, haberi in proprio pro clero Romano, teste Deherdt cit.

in Quadragesima. Ideo, si die 28 Jan. celebretur Festum natalitium ejusdem ritus cum octava, juxta dec. 11 Sept. 1790, 1, „officium SS. Nominis reponendum est ab Episcopo in aliam diem infra eamdem Octavam, translato, quocumque alio Festo, nisi sit altioris ritus.“ Quamvis enim hoc rescriptum emanaverit in causa particulari, nihilominus habendum videtur tanquam mera declaratio. Cf. dicta *pag. 26 et 242.*

Advertendum est diem 28 Jan. esse assignatam, qua primam liberam post Dominicam Septuagesimae. Unde si Festum SS. Nominis impediatur Festo duplici v. g. Patroni, reponendum est, juxta Rubricas, ad primam diem non impeditam. Cs. dec. 23 Mai. 1841, n. 4774, 3.

4 Jan. S. Titi, sub ritu dup. min. ex dec. 18 Mai. 1854. Sed propter Octavam SS. Innocentium transferendum est ad primam diem non impeditam. Cf. *pag. 383.*

14 Jan. S. Hilarii. Ex dec. S. R. C. 29 Mart. 1851, a SS^mo^ D. N. Pio IX confirmato 4 Apr. ejusdem anni, hic Sanctus colendus est in universali Ecclesia, sub titulo Doctoris ritu dup. Ant. *O Doctor;* LL. tamen de Scriptura occurrente.

20 Jan. SS. Fabiani et Sebastiani. Si alteruter sit Patronus, ordinetur Officium ut supra *pag. 261 sqq.;* et notandum orationem pro S. Sebastiano, separato a Socio, sumendam esse de Communi unius Martyris non Pontificis. Cf. Cav. *tom. 1, dec. 63, n. 5 sq.*

23 Jan. Aliquibus in locis, Desponsatio B. M. V. Commemoratio S. Josephi, ejusdem Sponsi, fit tantum ubi indulta est. Cf. pt. dec. *apud Deherdt citata.*

24 Jan. S. Timothei, olim semid., sed dup. ex dec. 18 Mai. 1854, relato in Calendario Eccl. Tornacen. 1855.

26 Jan. S. Polycarpi, olim semid. sed dup. ex cit. dec. 18 Mai. 1854.

28 Jan. S. Agnetis 2°, simp. *Quibusdam in locis, S. Juliani* semid. *ad libitum.* — *Eodem die* multis in locis celebratur *Festum S. Caroli Magni,* qui a Paschali Antipapa canonizatus est. „Post cujus solemnem canonizationem, inquit Cav. *tom. 1, dec. 30, n. 20,* nedum in Ecclesia Aquisgrani, sed etiam in plerisque aliis Galliae, Belgii atque Germaniae, sanctitatis titulo coli coepit, in hujusque honorem Templa, et altaria dicata fuisse dicuntur, inter quae Bollandiani, *tom. 2 Februarii* ex Athenaeo Osnabru-

gensi, *Schemate 9*, referunt quintum Altare Ecclesiae Patrum Societatis Jesu. Etsi enim cultus hic suam originem habuerit a Pseudopontifice, quia tamen tot subsequentes Pontifices legitimi id sciverunt, nec improbarunt, sed per tolerantiam admiserunt, et intercessit longissima temporis observantia, nihil deesse videtur ex requisitis, quae necessaria sunt pro validitate dicti cultus.“ Cf. *pag.* 88.

DE FESTIS MENSE FEBRUARIO.

1 Feb. S. Ignatii Ep. et Mart., olim semid., nunc vero dup. ex cit. dec. 18 Mai. 1854.

2 Feb. Purificationis B. M. V. Si in Dominica II Cl. occurrat, neque sit Titulus Ecclesiae, reponitur ad diem 3 quae non sit impedita Festo altioris ritus. *Tit. X, 1.* „Si, inquit Deherdt, *h. l.*, dies Tertia Februarii sit impedita occurrente festo I Cl., officium Purificationis transferendum est in diem quartam Februarii, tanquam in sedem propriam, ne continuatio Mysterii Dominicae Incarnationis diu protrahatur, *juxta dec. S. R. C.* 7 Sept. 1850 *in Mechlinien. ad 1.* Quamvis autem transferatur officium Purificationis, non tamen transfertur feriatio, sed haec manet annexa diei secundae Februarii ...“ nisi, ut patet, habeatur peculiare Indultum. Quamvis autem transferatur officium Purificationis, Ant. *Ave Regina,* dicitur ipsa 2ª die *pag. 351.*

Cavalieri, *tom. 1, dec. 95, n. 8 sqq.* putat Festum SS. Nominis, si nondum fuerit recitatum, praeferendum esse in hac 3ª die Officio Purificationis. Vid. dicenda *ad 25 Mart.*

23 Feb. Vigilia S. Matthiae. Si occurrat Feria III ante Cineres, procedendum est juxta Tit. XIV et XX, 5.

Eadem die, Festum S. Petri Damiani. Tempore Quadragesimae LL. assignantur *Fidelis sermo.*

25 Feb. Quid agendum sit in anno bissextili, quoad Festum particulare, hac die occurrens, habetur in dec. 7 Sept. 1680, n. 2779, 9, et 1 Mart. 1681, n. 2794, 6.

DE FESTIS MENSE MARTIO.

10 Mart. Festum 40 Martyrum. Si hoc festum venerit feria quinta post cineres, tunc in Missa pro secreta feriae legitur secreta feriae sextae sequentis, ne eadem bis dicatur: et si venerit feria tertia post Dominicam primam Quadragesimae, tunc pro postcommunione feriae legitur post-

communio feriae quartae sequentis. *Miss. Rom. edit. Rom. 1845.* Deherdt.

19 Mart. S. Josephi, Sponsi B. M. V. dup. II Cl. Colitur sub ritu dup. I Cl., qua Patronus Belgii, ex electione Caroli II, Hispaniarum Regis, et confirmatione Innocentii XI, 19 Apr. 1679. „Exorta, ait Bened. XIV, *de Beatif. lib. 4, p. 2, c. 14, n. 11*, subinde controversia super dicto brevi (Innocentii XI), ipsaque delata ad S. R. C., responsum prodiit, quo dictum est, Breve idem non suffragari, attenta inobservantia Decretorum...... Si (autem) controversiae non fuissent excitatae, quemadmodum, instantibus Regibus, facta est derogatio Decreti de non eligendis, nisi Sanctis in Patronos, ita facta fuisset ejusdem Decreti derogatio super defectu consensus Cleri et Populi. Cf. dicta *pag. 147 sq.* Janssens, *P. I, Append. ad Tit. XI,* refert praefata verba Bened. XIV cum ipsa S. R. C. decreto. Quibus tamen non obstantibus, propugnat S. Patriarcham rite coli, qua Patronum Belgii sub ritu dup. I Cl. Cs. Deherdt et Hazé, *h. l.* Contrarium tenet Cav. *tom. 1, dec. 30, n. 4,* tum quia electio invalida fuit, neque sanata, tum quia nulla qualiscumque, licet praescripta ac centenaria, consuetudo celebrandi Festum Patroni defectuose electi suffragari valet ad illud continuandum. Cf. dicta de hujusmodi consuetudine *pag. 148, n. 25.* Quomodo autem procedendum sit in praxi, colligendum est ex dictis *pag. 69, n. 8,* et *pag. 148, n. 26.*

25 Mart. Annuntiatio B. M. V. Si impediatur, transfertur, juxta Tit. X, 1, et quidem sine feriatione, nisi occurrat Feria VI in Parasceve aut Sabbato Sancto. Regula enim est ut feriatio non transferatur cum Officio, sed in ipso die festo servetur, juxta dec. 13 Sept. 1692, n. 3140, 20 Mart. 1706, n. 3590. Exceptio tamen fit quando Annuntiatio occurrit Fer. VI in Parasceve aut Sabbato Sancto. Nam ex dec. 12 Feb. 1690, n. 3053, praedictum Festum in casu, transfertur ad Feriam II post Dominicam *in Albis,* cum praecepto audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus; et quidem, ex dec. 11 Mart. *ejusdem anni* n. 3055, quocumque alio festo impedita sit haec Feria. Confirmatur decreto 2 Sept. 1741, n. 3970, 1°, ubi additur haec limitatio: „Si vero transfertur absque praecepto audiendi Sacrum, praefertur cuicumque Festo translato licet primae

Classis, non autem festis eodem die occurrentibus," quae sint tamen altioris ritus, *pag.* 242.

In Archidioecesi Mechlin. habetur peculiaris dispositio, de qua vid. Deherdt, *h. l.* — Item aliquid peculiare ordinatur in antiquo Rituali Cameracensi, ad Titulum: *Minora Festa, in quibus auditio Missae est sub praecepto*, etc.

An in Ecclesiis B. M. V. dicatis sub titulo Annuntiationis, agenda sit Octava necne, quando transfertur Festum, collige ex dictis *pag.* 243 *sq.* — De Festo VII Dolorum dictum est Feria VI post Dominicam Passionis.

DE FESTIS MENSE APRILIS.

Nota. Cum contingat Festa, praesertim hujus et sequentis mensis, celebrari, nunc tempore Paschali, nunc extra illud, hic monere juvat in tali casu servandam esse regulam generalem, traditam *sect. praec. art. V, n. 5*, et peculiares Rubricas, si quae sint in Breviario aut Missali.

De Festo VII Dolorum B. M. V. dictum est Feria VI, Hebd. Passionis.

11 Apr. S. Leonis. Missa *In medio,* ut decrevit Bened. XIV, 15 Oct. 1754.

13 Apr. S. Hermenegildi Mart. Tempore Paschali dicitur Missa *protexisti*, et extra tempus Paschale *In Virtute;* sed cum orationibus propriis, et semper cum Evangelio, *Si quis ad me* ex Missa *Statuit. Rub. pecul.* et *Dec. gen.* 17 Jun. 1673, n. 2493. Ratio est quia dictum Evangelium apprime congruit S. Hermenegildo qui, propter constantiam in fide, morte plexus est jussu Patris haeretici. — Si Hymnus proprius I Vesp. non potuit recitari, tunc legitur ad Matutinum, ut dictum est *pag.* 302 *sq.*

22—26 Apr. De Festis SS. Soteris et Caji (22), Georgii (23), Fidelis a Sigmaringa (24), Cleti et Marcellini (26), advertendum est lectiones horum Festorum, si extra tempus Paschale transferantur, sumendas esse ex 1° loco, juxta dicta *pag.* 324.

25 Apr. S. Marci. De Litaniis majoribus seu Rogationibus, huic diei adnexis, dictum est *sect. praec. art. 5, III.* Missa, extra tempus Paschale, erit ut in Festo S. Lucae, 18 Oct.

29 Apr. S. Petri Mart. LL. de 2° loco.

DE FESTIS MENSE MAIO.

Dominica III post Pascha, Patrocinium S. Josephi, Sponsi B. M. V. dup. II Cl. Hoc officium, jam pluribus Dioecesibus (inter quas Tornacensis, ex Indulto 20 Nov. 1846) concessum, a SS. D. N. Pio Papa IX jussum est recitari ab omnibus, dicto ritu et die. *Qua impedita ab alio officio potioris ritus, vel majoris dignitatis, prima insequenti die libera* celebratur.

Ex dictis *pag. 230 sq.* Patrocinium cedit Festo S. Marci dup. II Cl. Unde verba hic relata, *ab alio officio potioris ritus vel majoris dignitatis,* intelligenda sunt, caeteris paribus: de officiis aeque secundariis.

1 Mai. SS. Apostolorum Philippi et Jacobi. Hic Jacobus est minor, cujus nomen habetur 2° loco in canone Missae. Si Festum sit transferendum post tempus Paschale, tunc ex dec. 5 Mai. 1736, n. 3894 *ad tit. 21, dub. 6*, omittuntur omnia *Alleluja*, servatis Asteriscis. Cf. Mer. *tom. 2, ad 2 Mai.* „Dum tamen, ait Cav. *tom. 2, dec. 300, n. 3,* audis *omnia Alleluja* esse omittenda, id universim ne intelligas, sed tantum de his omnibus, quae competunt ratione paschalis temporis; quare in initio horarum, uti et in Antiphonis, quae non sunt propriae (et in casu desumendae sunt ex communi Apostolorum extra tempus Paschale), ubi habetur, dicenda et retinenda erit vox *Alleluja.*“ Cf. dec. statim citandum et dicta *pag. 351.* — Missa autem „celebranda est prout jacet in Missali, demptis tamen, in omnibus partibus ejusdem Missae, *Alleluja,* ratione temporis Paschalis in eadem appositis.“ Dec. 23 Jun. 1703, n. 3508. Si tamen novum imprimatur Missale, pro graduali extra tempus Paschale, apponatur *Constitues eos principes*, etc., ut infra Octavam Apostolorum Petri et Pauli, sed cum ultimo Versiculo *Tanto tempore vobiscum sum,* etc., demptis *Alleluja*, juxta dec. 25 Sept. 1706, n. 3605, 4.

Si alteruter sit Patronus, ordinetur Officium juxta dicta *pag. 264 sq.*

2 Mai. S. Athanasii. Si hoc Festum celebretur post tempus Paschale, graduale dicitur *Ecce Sacerdos*, cum Resp. *Non est inventus* ex Missa *statuit* de communi conf. Pont., sed cum ultimo Versu *Beatus vir qui suffert*, ex Missa propria. Missale edit. Romae 1845, apud Deherdt.

3 Mai. Festum inventionis S. Crucis. De inventione S. Crucis

et institutione praesentis festivitatis agit Benedictus XIV, *n. 542 sqq. de Festis.*

Si hoc Festum concurrat cum Ascensione, vide *pag. 215.* — Si transferatur extra tempus Paschale, „in Officio omittitur *Alleluja,* nisi ubi reperitur in Festo Exaltationis. In Hymno *Vexilla* dicitur *in hac triumphi gloria.* In Matutino, Antiphonae ut in Festo Exaltationis, exceptis prima primi et prima pariter secundi Nocturni quae dicuntur ut in Festo Inventionis. In II Vesp. Ant. ad Magnificat *Crucem sanctam,* etc. In Missa Introitus, et Communio sine *Alleluja,* et Graduale, ut in Missa Exaltationis." Dec. 16 Feb. 1754, n. 4902. Idem vero erit, si sumatur Missa ut in Festo exaltationis, exceptis Evangelio et Offertorio, quae sunt propria.

6 Mai. S. Joannis ante portam latinam. Si hoc festum transferatur post tempus paschale, officium fit de communi Apostolorum extra tempus paschale, retentis iis, quae sunt propria, et omisso *Alleluja* ad Antiphonam ante *Magnificat;* et Missa dicitur ut in festo S. Joannis 27 Dec. praeter orationes et Evangelium, quae dicuntur ex Missa hujus festi. Missale edit. Rom. 1845.

7 Mai. S. Stanislai, olim semid., sed a Clem. XII, ann. 1736 dup. Si celebretur extra tempus Paschale, dicitur Evangelium *Si quis venit e 1° loco,* cum Missa *Sacerdotes Dei* de Communi unius Mart. Pont. 2° loco. *Missale cit.*

8 Mai. Apparitio S. Michaëlis Archangeli. Si celebretur extra tempus Paschale, Officium et Missa dicuntur ut in ejusdem Festo Dedicationis 29 Sept., exceptis LL. 2 et 3 Nocturni, quae dicuntur ut in hoc Festo Apparitionis. *Rub. pecul.*

12 Mai. SS. Nerei, Achillei, etc. Si transferatur post tempus Paschale, Missa in qua dicuntur eaedem orationes, idemque Evangelium, erit, juxta Missale, editum ann. 1845, *Sapientiam.* Cf. pt. dec. 25 Sept. 1706, n. 3605, 7.

16 Mai. S. Joannis Nepomuceni, pro aliquibus locis. Evangelium est semper: *Nihil opertum.* Dec. 5 Mai. 1736, n. 3894, *de Lectionibus 3i Noct. dub. 1.* Tempore Paschali dicitur Missa *Protexisti,* cum Evangelio cit.; alio autem tempore, Missa erit *Laetabitur,* nisi propria sit indulta.

18 Mai. S. Venantii. Extra tempus Paschale, Missa *In virtute* cum orationibus et Evangelio assignatis. De Hymnis jungendis vid. dec. cit. *pag. 302.*

24 Mai. S. Mariae, Titulo: Auxilium Christianorum. Hoc Festum celebratur tantum in aliquibus locis, uti Romae, et ex Decreto Pii VII, ann. 1816, in Dioec. Tornacen. Cf. Ordo divini Officii hujus Dioecesis ann. 1817, *pag. 75 sq.*, et Lectio 6ª hujus Officii.

25 Mai. S. Gregorii VII. Secluso speciali Indulto „Missa *Statuit*, cum Evangelio *Vigilate*, uti impressa est in Missali Romano." S. R. C. 22 Mai. 1811, n. 4775, 5.

30 Mai. S. Ferdinandi, pro omnibus statibus quondam Regi Hispaniarum subjectis.

DE FESTIS MENSE JUNIO.

Feria VI post Octavam Corporis Christi, celebratur ritu dup. maj. Festum SS. Cordis Jesu, de quo agitur ad praedictam Feriam VI, *sect. praeced.*

4 Jun. S. Francisci Caracciolo, dup. ex dec. Pii VII 25 Nov. 1807, cum Or., LL. 2 Noct. propriis, et Missa *Factum est cor meum.* Cf. pt. S. R. C. 3 Aug. 1839, n. 4713, 5.

11 Jun. S. Barnabae, Apostoli, dup. maj.[1] Officium et Missa dicuntur juxta peculiares Rubricas, pro vario tempore. Si cum SS. Corde concurrat aut occurrat, fiat ut dictum est supra *pag. 414.*

19 Jun. S. Julianae de Falconeriis. Si habeat II Vesperas, in his dicendus est Hymnus proprius, *pag. 302.*

21 Jun. S. Aloysii Gonzagae, de praecepto pro universali Ecclesia, ab anno 1842.

23 et 28 Jun. De Vigiliis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli vid. Rub. Brev. *Tit. VI, 2;* et Miss. *Tit. III.*

24 Jun. Nativitas S. Joann. Bapt. Si occurrat in Festo Corporis Christi, transfertur, juxta Tit. X, 1. In die Octava LL. 3ⁱ Noct. dicuntur, quae ponebantur 2ª die infra Octavam, antequam hac die ageretur Festum S. Gulielmi. Cf. *pag. 317.* — „Antiphona ad *Benedictus* non

1) S. Barnabas, quamvis non sit de S. Collegio 12 Apostolorum, donatur tamen titulo Apostoli, quia, monente Spiritu S. *Act. XIII, 2,* missus est ab Apostolis ad praedicandum Evangelium cum Paulo, hocque munere Apostolico fungens, martyrio coronatus est. Sed cum non sit de S. Collegio, ideo nec habet rit. dup. II Cl. quo alii Apostoli decorantur in die suo natali *(pag. 130 et 207)*, neque in Canone Missae, nominatur cum aliis Apostolis, qui, excepto Paulo, Coenae adfuerunt.

impedit, ait Gavantus, quin inchoetur Canticum *Benedictus*, a capite de more: quia Rubrica generalis loquitur de Antiphona quae est eadem cum Cantico." Observandum tamen est Rubricam Tit. XXI, 7, loqui de casu quo verba Antiphonae, quae proferuntur, eadem sunt cum initio Psalmi vel Cantici nec discontinuatur per *Alleluja*. Par autem videtur ratio sive initio, sive in fine Antiphonae reperiantur verba quae eadem sunt cum initio Cantici, modo, ut in casu, non habeatur separatio per *Alleluja*, aut aliud verbum.

29 Jun. SS. Apostolorum Petri et Pauli, sub ritu dup. I Cl. [1] Hac die Ecclesia conjunctim recolit Martyrium seu Natalitium *(pag. 156)* SS. Apostolorum Petri et Pauli, qui, sicut in morte non fuerunt separati, ita nec in Officio sejunguntur *(pag. 217)*. Hinc quamvis alteruter sit Patronus, non fit tamen separatio quae locum habet pro aliis Sanctis qui eadem die descripti sunt in Calendario *(pag. 261)*. Caeterum patet hunc casum non comprehendi in Rubrica de Sancto a Sociis separando: haec enim Rubrica agit de Sancto qui non per se, sed tantum qua Patronus, habet ritum dup. I Cl. Aliunde Rubrica specialis ordinat quid agendum sit in Ecclesiis ubi S. Paulus est Patronus, quin verbum dicat de separatione.

De commemoratione omnium Apostolorum, hac die agenda in territorio Reipublicae Gallicanae, etc., jam dictum est ad 26 Decemb., ubi de commemoratione omnium Martyrum, eadem de causa inducta. Cf. quae ibi satis fuse exponuntur. Superest tradere, cum Deherdt, qua ratione, secluso particulari Indulto, agenda videatur praefata Commemoratio. „Haec commemoratio, inquit, fieri debet per antiphonas et versus de communi Apostolorum, sed mutatis versibus, ne bis dicantur, et per orationes ut in festo SS. Simonis et Judae 28 Oct., omissis nominibus propriis, *uti praescribitur in brevi Clementis XIV, et in proprio*

1) Natalitium aliorum SS. Apostolorum, qui sunt ex Collegio duodecim, celebratur sub ritu dup. II Cl. *(pag. 130 et Tit. IX, 6)*. Sub hoc ritu celebratur 30 Nov. Festum S. Andreae; 21 Decemb. S. Thomae; 27 ejusdem S. Joannis; 24 Feb. S. Matthiae; 1 Mai. SS. Jacobi et Philippi; 25 Jul. S. Jacobi; 24 Aug. S. Bartholomaei; 21 Sept. S. Matthaei, et 28 Octob. SS. Simonis et Judae. — Sub eodem ritu celebratur 25 Apr. Festum S. Marci Ev., et 18 Octob. S. Lucae etiam Ev. De S. Barnaba fit 11 Jun., sub ritu dumtaxat maj. ut ibi dictum est.

pro clero Rom. edit. Brev. 1843, in utrisque vesperis, laudibus, et omnibus Missis solemnibus et privatis.“ Quae commemoratio, uti dictum est ad 29 Decemb., fit sola die Festi et sub distincta conclusione.

In Ecclesiis ubi S. Petrus est Patronus, nihil prorsus est immutandum.

In iis autem quae dicatae sunt in honorem S. Pauli, absque speciali titulo, Festum Patronale solemniter celebratur 30 Jun. sub ritu dup. I Cl., ac proinde (Tit. XI, 2) habet I et II Vesperas integras, uti tradit Rubrica pecularis. Cum tamen hac tantum die indicatur mutatio facienda in praefatis Ecclesiis, ideo nihil mutandum est per Octavam, et officium peragendum est, ut alibi.

Si vero Ecclesia in honorem S. Pauli dedicata sit sub speciali titulo, puta Conversionis, tunc die 30 Jun. nulla fit mutatio, ratione Titularis. Dec. 22 Mai. 1841, n. 4773, 1.

Infra Octavam SS. Petri et Pauli, Antiph. ad *Magnificat* et ad *Benedictus;* item Versus ad Vesp. et ad Laudes, non dicuntur, juxta solitum, ut in Festo, sed ut habentur inter Suffragia Sanctorum; Oratio tamen sumitur e Festo.

30 Jun. Commemoratio S. Pauli. Est tantum dup. min.; nam in Calendario dicitur simpliciter duplex *(pag. 129)*, et non reperitur in Indice dup. maj. *(pag. 130.)* Cf. pt. Gav. et dec. 11 Sept. 1847, n. 4953, 7.

„Si Commemoratio S. Pauli, inquit Rubrica pecul., venerit in die Octava Corporis Christi, extra propriam Ecclesiam transfertur in primam diem infra Octavam, Dominica vel Festo non impeditam: et totum Officium fit ut in propria Ecclesia.“ Cf. pt. Tit. X, 1, et dec. cit. 11 Sept. 1847, n. 4953, 7 et 8. Attamen translata Commemoratione S. Pauli, commemoratio SS. Petri et Pauli fit diebus 30 Jun. et sequentibus juxta solitum. Sed in propria Ecclesia celebratur commemoratio S. Pauli, cum commemoratione Octavae Corporis Christi. *Tit. X, 1.*

DE FESTIS MENSE JULIO.

Dominica prima Julii (juxta computum civile *pag. 169*), *Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.*, dup. II Cl., concessum a SS. D. N. Pio IX, per sequens Decretum. „Redempti sumus in Domini Nostri Jesu Christi Sanguine, qui emundat nos ob omni iniquitate, et ideo beati, qui in hoc lavant stolas suas. Quod si Egypti domus agni

sanguine conspersae ab ira Dei fuerunt salvae, multo magis hanc iram effugient, imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione, et obsequio Servatoris nostri Sanguinem venerantur, et colunt."

„Haec aliaque hujusmodi animo reputans Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut fidelium corda, hisce praesertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in Dominico agro superseminare zizaniam, et multos insidiis, fraudibus, erroribus, decipere, atque irretire conatur, amore erga hoc redemptionis nostrae pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe, sed et in Orbe universo omnes de Clero tum saeculari, tum regulari, qui horas canonicas recitare tenentur, Missam et Officium de pretiosissimo Sanguine Domini Nostri Jesu Christi, jam a Sacrorum Rituum Congregatione approbatum, et pluribus Dioecesibus concessum, Dominica prima Julii singulis annis in posterum sub ritu duplicis secundae Classis peragere valeant.

„Quod si in aliqua Dioecesi, vel Ordine regulari, vel Ecclesia quacumque officium aequalis vel altioris ritus praedicta Dominica occurrat, statuit ut Officium et Missa de pretiosissimo Sanguine fiat tanquam in sede propria in proxima die a festo primae vel secundae Classis non impedita, transferendo juxta Rubricas officium, quod nequit recitari in propria die.

„Declaravit insuper, ut officium recitandum prima Dominica Julii numquam omittatur, itemque ut firma et in suo robore permaneant peculiaria indulta, et privilegia jam concessa recitandi nempe Officium hoc vel in Quadragesima, vel alio anni tempore.

„Sanctitas Sua ea profecto spe nititur, ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati, et charitate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et praemia assequantur aeterna. Datum Cajetae hac die 10 Augusti 1849."

Hoc Festum est secundarium (vid. Tit. X, § 1, n. 13 sq.), ideo dicitur impediri, si ea *Dominica occurrat Officium aequalis ritus.* Haec autem Decreti verba, *si occurrat,* etc., intelligenda sunt de quacumque occurrentia, tum accidentali, tum perpetua: Distinguendum enim non est ubi neque lex distinguit, neque ad hoc aliquid cogat.

In casu impedimenti, dies proxime sequens assignatur:

haec autem assignatio habenda est ut accidentaria, aut perpetua, pro qualitate impedimenti, juxta dicta *Tit. X, § 1, n. 17, 21 et 22.* — Quando transfertur, pro 9ª L., fiat ut dictum est *pag. 317.* — In concurrentia non attenditur qualitas festi secundarii, *pag. 270.* Unde concurrens cum Festo Visitationis, huic praefertur, utpote dignius.

2 Jul. Visitatio B. M. V. rit. dup. II Cl. Hoc Festum, antea dup. maj., ad dup. II Cl. elevatum a SS. D. N. Pio Papa IX, per subsequens Decretum ann. 1850. „Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum Beatae Mariae Virginis Patrocinium fuerit expertus, dum aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactaretur, et Ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante, et insanientium hominum congerie in Ecclesiastici Status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent; ac animo reputans sexto Nonas Julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Festum Visitationis ejusdem Deiparae, fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe, et aliquod post dies civilem Apostolicae Sedis Principatum fuisse restitutum opibus, consilio, et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo. Cardinali Aloysio Lambruschini, Episcopo Portuensi, Sanctae Rufinae, et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, Decessores suos S. Pium V et sa. me. Pium VII aemulatus, Mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato Sibi et fideli populo Christiano in adjutorium venit, hoc ipsum Visitationis festum ducatur in posterum per universum Orbem ritu duplici secundae Classis. Atque hoc Decretum in Acta Sacrorum rituum Congregationis reponi, ac publici juris fieri mandavit, pridie Calendas Junii anno 1850."

Hoc Festum habendum est tanquam primarium, utpote de peculiari Mysterio. *Tit. X, § 1, n. 13.*

25 Jul. S. Jacobi, Apost., qui dicitur major et reperitur 1° loco in canone Missae.

DE FESTIS MENSE AUGUSTO.

1 Aug. S. Petri ad vincula. Si sit Titularis, infra totam Octavam agenda est commemoratio S. Pauli, *pag. 217.*

2 Aug. S. Alphonsi de Ligorio, ex decreto fel. record. Gregorii XVI ann. 1839. Quae dies habetur tanquam natalitia, *pag. 253.*

Hac die, in Ecclesiis quae reperiuntur dedicatae in honorem S. Mariae Angelorum, faciendum est Officium cum Missa, „prout in Festo S. Mariae ad Nives, praeter LL. II Noct., quae sumendae sunt ex II Noct. Nativitatis ejusdem B. M., mutato verbo Natali in verbo Festivitate." S. R. C. 10 Jun. 1690, n. 3072, 1.

Dominica infra Octavam Assumptionis. S. Joachim. Si hoc Festum impediatur, transferendum est in perpetuum aut accidentaliter, juxta communes regulas, prout impedimentum est perpetuum aut accidentale. Cf. pt. dec. 22 Apr. 1741, n. 3961, 3, et 4 Sept. 1745, n. 4026, 5.

16 Aug. S. Hyacinthi, conf. — *Eadem die*, in locis, ubi adsunt Ecclesiae in Honorem S. Rochi aedificatae, permittitur *(in iis Ecclesiis)*, per dec. gen. 4 Jul. 1629, n. 678, Missa cum Officio de communi Conf. non Pont., servatis Rubricis Breviarii. Cf. pt. dec. 20 Jun. 1629, n. 675, et 2 Jul. 1639, n. 1020, 23 Mart. 1771, n. 4206, 8. In hoc ultimo, expresse resolvitur Officium, in casu, esse dicendum sub rit. dup. I Cl. Quod jam in primo reperitur implicite definitum, hisce verbis: *Servatis Rubricis Breviarii.*

Aliis vero in locis, Officium S. Rochi recitari nequit, nisi ex peculiari Indulto *(pag. 96 sq., n. 4)*, quale pluribus locis jam est concessum, ut v. g. Dioecesi Tornacensi, die 19 Sept. 1851.

24 aut 25 Aug. Juxta consuetudinem, quae ex dec. 12 Sept. 1671, n. 2412 servanda est, Festum S. Bartholomaei Apost. Quare autem non eadem die ubique celebretur, non eadem ratione ab omnibus explicatur. „Sunt, inquit Cav. *tom. 2, dec. 161, n. 1*, qui sentiunt, S. Bartholomaeum die 24 Augusti fuisse excoriatum, et die 25 obiisse, hinc alicubi coli diem martyrii, alibi diem mortis; et sane excoriatio adeo truculentus cruciatus est, ut secum trahere jure queat praecipuam Sancti festi festivitatem, etsi ad sequentem diem mors dilata fuerit. Consignant tamen alii mortem ejusdem S. Bartholomaei diei 24, et die 25 recoli

volunt translationem Corporis ejusdem ab Othone II, factam anno 983, in Romanam Insulam Licaoniam, in tumbam porphireticam. Qua de re videri possunt Baronius *in notis martyr. ad diem 25 Aug.*, Gavantus, *sect. 7, cap. 10, num. 25,* Fagnanus, *in 2 part. Decretal. cap. Consilium, num. 28,* et Beletus, *div. off. c. 11.*"

25 Aug., vel 1ª libera. S. Ludovici Regis, semid. Sed in Galliis dup. min. ex Decretis 15 Mart. 1608, et 28 Nov. 1609, ut annunciat dec. 10 Jan. 1692, n. 3152, 10. — Conclusio Orationis non est *per eumdem,* sed, ut nunc habetur in Breviariis, *qui tecum vivit.* S. R. C. 16 Sept. 1673, n. 2504, 5.

31 Aug. S. Raymundi Nonnati cognomento „quia, inquit Lectio IV, praeter communem naturae legem e mortuae matris dissecto latere, in lucem eductus fuit." In quibusdam Breviariis assignantur LL. I Noct. de Communi. Sed in editione Hanicquiana, quae declaratur conformis Romanae, indicantur de Scriptura occurrente. Cf. Tit. XXVI, 2 et 9.

DE FESTIS MENSE SEPTEMBRI.

Dominica 1ª Septembris celebratur, in Belgio *(pag. 170),* aliisque in locis, Festum Angelorum custodum, de quo vide adnotata ad 2 Oct.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. Festum *SS. Nominis* ejusdem, dup. maj. Non fit commemoratio octavae Nativitatis, *pag. 215 sq.* Octava autem die occurrente in Dominica, faciendum est Officium de SS. Nomine, absque commemoratione octavae, ex dec. 24 Sept. 1685, n. 3250. Si vero aliter impediatur, v. g. Festo Exaltationis S. Crucis, ex dec. 20 Jul. 1686, n. 2966, vel octava SS. Angelorum custodum, ex dec. 19 Jun. 1700, n. 3416, 3, tunc transferendum est juxta communes regulas translationis ad primam diem non impeditam.

Dominica 3ª Septembris (juxta computum civile *pag. 169*). Festum VII Dolorum B. M. V., sub ritu dup. maj. Quod primum Ordini Servorum B. M. V., et deinde plurimis Provinciis ac Dioecesibus concessum, postremum a Pio VII extensum est ad universam Ecclesiam. Praefatus enim Pontifex, die 18 Sept. 1814, „praecepit ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis, recurrente Dominica III Septembris, celebretur festum Dolorum B. M. V., extendendo ad omnes Regulares, qui ad horas Canonicas

tenentur, Officium et Missam jam concessa Ordini Servorum ejusdem B. M. V., sub ritu dup. maj. Sed quoniam in Dominica III Septembris aliquando occurrit Octava Nativitatis B. M. V. aut festum S. Matthaei Apostoli; alterutro adveniente casu, mandavit, ut festum Dolorum transferatur in primam ex sequentibus Dominicis, quae non sit impedita Officio ritus dup. I vel II Cl., firma nihilominus remanente ejusdem festi commemoratione, quae fit in Feria VI post Dominicam Passionis." *Apud Gardellini, n. 4363*, Ex dec. gen. 19 Aug. 1817, d. 4391, 2 et 3, hoc Festum non potest transferri ad Dominicam in qua occurrit aliud Festum B. M. V., v. g. de Mercede, ejusdem ritus dup. maj. (quod de se patet, *pag. 215*). — Et si nulla reperiatur Dominica libera ante Adventum, transferendum est juxta Rubricas ad primam diem non impeditam post Dom. III Septembris. Deinde „moderando Decretum 18 Sept. 1814, declaratum fuit per modum regulae generalis, quod impedita Dominica 3ª Septembris ob occursum Festi dup. I vel II Cl., vel diei octavae Patroni, Titularis, Dedicationis, etc., praefatum Festum Dolorum transferri debeat in proximiorem Dominicam, etiam si incidat cum Festo dup. min., dummodo non sit dies octava Patroni, Titularis, Dedicationis, etc., quae licet gaudeat ritu dup. min., nihilominus cum transferri nequeat, ab hac regula excipitur, ut provisum est supra ad primum."

Verba, *etiam si incidat cum Festo dup. min.*, non ita limitive sunt accipienda quasi Festum Dolorum cederet Festo *dup. maj.* Quoad hoc enim non fuit moderatum decretum concessionis 18 Sept. 1814.

DE FESTIS MENSE OCTOBRI.

Dominica 1ª Octobris. Festum SS. Rosarii dup. maj., ex dec. Clem. XI, 3 Oct. 1716. Si impediatur „transferendum est ad 1ᵃᵐ diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani." S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 4151, 1.

1 Oct. S. Remigii, simp. de praecepto, et semidup. *ad libitum*, pag. 226, 2°.

2 Oct. [1] *SS. Angelorum Custodum*, dup. min. (*pag. 129*),

1) „Ii dies, ait Cav. *tom. 2, dec. 240, n. 1,* Angelorum venerationi solent decerni, qui aliqua ipsorum apparitione, aut Basilicae sub eorum nomine dedicatione, vel auxilii hominibus praestiti, aut ministerii alicujus functione prae aliis insignes existunt,

in universa Ecclesia, et dup. Cl. II in quibusdam locis. Clemens IX indulsit ut in Provinciis et Ditionibus, Domui Austriacae tunc subjectis, Officium Angeli Custodis [1] a Paulo V concessum pro Styria tantum, recitari posset sub ritu dup. II Cl. cum Octava ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, prima Dominica Sept. cujuslibet anni. Cf. Cav. *tom. 2, dec. 240 sq.*, Breviar. *ad calcem*, et dicta *pag. 170.*

10 Oct. S. Francisci Borgiae, semid. Sed dup. II Cl. in locis olim Regi Hispaniarum subjectis.

Eadem die, iisdem in locis, *S. Ludovici Bertrandi* dup. Sed hoc est transferendum.

15 Oct. S. Theresiae. LL. 1 Noct. de Scriptura occurrente. Dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 12. Cf. *Tit. XXVI, 2 et 9.* Si Hymnus I Vesperarum non potuit in his dici, ponitur ad Matutinum, et Hym. Matutini ad Laudes *(pag. 302)*.

20 Oct. S. Joannis Cantii. De Hymnis, idem venit observandum quam ad Festum S. Theresiae.

aut aliunde desumpta occasione aliqua, vel opportunitate. Sic ob mysterium Incarnationis, cujus Gabriel nuntius fuit, dies 18 Martii, vel propinqua alia diei 25, eidem Archangelo; dies 7 Maii Michaëli ob ejusdem apparitionem in Monte Gargano, et dies 29 Septembris eidem Michaëli ob dedicationem Ecclesiae in hujus honorem erectae in eodem Gargano Monte, dedicatae venere. Praedictum vero Angelorum Custodum festum Clemens X, die 13 Sept. 1670, in praecepto posuit, et ne perpetuo vagum foret diei 2 Octobris addixit, duobus praecedentibus per officia SS. Hieronymi, et Remigii impeditis.«

1) »Paulina constitutio, ait Cavalieri, *ibidem n. 2,* in singulari numero notat *Festum S. Angeli custodis,* et consimilis adnotatio in Breviario perstitit usque ad reformationem Breviarii anno 1631 sub Urbano VIII habitam, post quam haec alia in plurali numero subrogata fuit, *in Festo SS. Angelorum custodum.*« Attamen indubium habet, quod solemnitas *Angeli tutelaris,* instituta a Paulo V haud potest intelligi de uno dumtaxat Angelo cuilibet ex hominibus ad custodiam deputato *(n. 5).* Sed dictio, *Angeli Custodis,* idem omnino sonat ac altera, *Angelorum Custodum.* Etenim utraque designat omnes ex Angelis qui ad nostram custodiam deputantur. Cf. Cav. *l. c. n. 5 sq.* et *Or. hujus Officii.* »Quod si, ait Cav. *l. c. n. 6,* quaeras cur in reformatione festum Angelorum custodum notatum fuerit? Facilis est responsio, hoc quippe factum fuit ad tollendum minus peritorum dubia, qui ex numero singulari illud in honorem unius dumtaxat Angeli, qui scilicet cuilibet respective recitanti assignatus est, institutum esse perperam arbitrabantur.«

21 Oct. S. Hilarionis. Pro casu quo habeatur reliquia insignis S. Ursulae, vid. dicta *pag. 262.*

DE FESTIS MENSE NOVEMBRI.

1 Nov. Festum omnium Sanctorum, dup. I Cl. cum octava. „Quia, inquit Gavantus, *h. l. n. 2*, omnium Martyrum et aliorum non possunt singula natalitia celebrari (teste Eusebio, citato a Beleth. c. 154, existimante quodie excedere numerum quinque millium), ideo Bonifacius IV instituit Romae Festum omnium Sanctorum hac die: quod deinde aliis Orbis Ecclesiis edixit Gregorius IV.“

2 Nov. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum rit. dup., et *Officium 2ae diei infra Octavam Omnium SS.* Hac die duo indicuntur Officia in Calendario Rom., videlicet: Officium Defunctorum (id est I Vesp., Matutinum et Laudes) superadditur Officio diei currentis. Cum autem Officium defunctorum plenum sit moeroris et luctus, ideo prohibetur celebrari diebus aut festis quae cum laetitia aut solemnitate celebrantur. Unde de Officio hujus Commemorationis Defunctorum duo sunt exponenda: I. a quibus diebus aut festis repellatur, et quodnam ex duobus officiis, in casu, sit praeferendum; — II. cum quibus officiis aut festis fieri possit.

I. 1° Fieri nequit die Dominica. „Si, inquit Rubrica pecul., prima die post festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, fit Officium de ea, ut in Rubricis generalibus, et Officium Defunctorum transfertur in sequentem Feriam II, ita ut post Vesperas Dominicae, dicantur Vesperae Defunctorum: Matutinum vero, post Laudes Feriae II, quae erit III dies infra Octavam.“ Et ratio est quia, inquit Cav. *tom. III, dec. 1, n. 1*, praefatae Commemorationis celebratio pugnat admodum cum celebritate, laetitia ac mysteriis per diem Dominicam repraesentatis. Et aliunde nulla urget ratio commemorationem celebrandi die 2a; sed absque incommodo transferri potest ad Feriam II. Haec autem, in casu translationis, ita est huic Commemorationi assignata, ut hac Feria II praeferatur duplicibus translatis, etiam I Cl., juxta dec. 27 Mart. 1779, n. 4244, 7.

2° Cum eadem ferme militent, dum hac die occurrit festum de praecepto quoad forum, etsi tantum dup. min., ideo Rubricistae communiter docent idem esse resolvendum

in hoc casu, quam in praecedenti. Cs. Gav. Gardellini, *ad n. 4386, 10.* Deherdt, etc.

3° Dubitatur vero an idem dicendum sit de Festo Titularis Ecclesiae. Et inde dubium oritur quia hoc Festum non est de praecepto in populo, et tamen celebratur cum solemnitate. Unum videtur certum: alterutrum nempe esse necessario transferendum; sed dubium est quodnam alteri sit praeferendum. Guyetus, *lib. IV, cap. 8, q. 5,* existimat commemorationem Defunctorum esse transferendam, quando occurrit cum quocumque dup. I Cl.

4° Juxta Cav. *tom. 3, dec. 43, n. 4,* dicta Commemoratio, non secus ac Anniversarium generale Confratrum defunctorum *(n. 6 fin.)*, cedit festo altioris ritus, id est dup. I et II Cl., vel maj. Attamen si hujusmodi festum non habeat concursum populi, nec pompam externam hoc videtur transferendum potius quam Commemoratio; tum quia haec nullibi dicitur excludi tali festo, tum quia et ipsa communiter habet magnum populi concursum, juxta statim dicenda. Attendatur, in casu, consuetudo loci. Cf. Guyet. *l. c.*

II. Quod vero duplex minus attinet. „Regula generalis est, ait Gardellini, *ad n. 4386, 10*, quod in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum fieri possit Officium de Festo rit. dup. min. vel occurrente, vel etiam translato, cum omnibus tamen Missis privatis de Requiem. Ita respondit S. R. C. in una *Urbis*, *in Curien.*, et *in Ensidlen.* (vid. n. 2978, 3416, 5, et 3894, *alia dubia, ad 11*).“ Et rationem dat, quia „Commemoratio omnium Fidelium defunctorum proprie non est Officium diei, sed potius quid superadditum Officio diei: quamobrem si aliud non occurrat Festum rit. dup., ea die fit de Octava Sanctorum.“

Limitatur vero Regula 1° si Festum, etsi dup. min. magnam habeat solemnitatem, v. g. si adsit copiosus populi concursus, Ecclesiaeque ornatus. Pompa enim, ut dictum est, non quadrat cum luctu. Regula enim, ait Gardellini, coarctatur ad *Festa* dumtaxat *rit. dup. min.* quae fiunt sine extrinseca solemnitate. Hinc S. R. C. „translationem Festi dup. min. occurrentis fieri debere respondit tam in Viterbien. 5 Oct. 1706 (vid. n. 3668), quam in *Brixinen.* 11 Jul. 1716 (vid. 3737).“ *Ibidem.* — De Missa quae in casu permittitur ratione concursus, vid. dicenda *tom.* 2 et dec. 7 Sept. 1850, 2.

2° Ubi vero de translatis agitur, etiam limitatur regula

ad casum quo ante finem anni non supersit dies libera pro duplici minori reponendo. Nam S. R. C. declaravit, die 31 Mai. 1817, n. 4386, 10, Decreta 5 Oct. 1686 *in Curien.*, 19 Jul. 1700, ad 5, et 5 Mai. 1736, *num. 11, ad alia dubia*, „locum dumtaxat obtinere, si pro repositione festi translati nullus supersit dies usque ad anni finem."

3° Limitatur ad Festa accidentaliter translata. Ex dec. 24 Sept. 1842, 4801, 1.

Quaeritur an in praedicta Commemoratione fieri possit de duplici minori translatio, cui alia non superest dies libera ante finem anni, si cum hoc duplici minori adsint alia translata ritus superioris, scilicet: I aut II Cl. vel maj.?

R. Ex interpretatione S. R. C. decreti 27 Mart. 1779, n. 4244, 7, data a Gardellini ad n. 4386, 10 *cit.*, cui subscribit Deherdt, *h. l.* 3°, negandum esset, quia cum duplex maj. I aut II Cl. translatum hac die fieri nequeat, neque dup. min. ante festa majoris ritus reponi possit, sequitur nullum ex translatis in casu admitti posse. At forte posset dici tale decretum fuisse datum, non praecise quia aderant festa alia translata ritus superioris, sed quia aderant dies liberae ante finem anni pro reponendis dictis dup. Itaque res aliquatenus dubia videtur. Cf. Cav. *tom. 3, dec. 43 cit., n. 6 fin.*

Quando et quomodo dicendae sint Vesperae, Matutina et Laudes Defunctorum, habetur notatum in Breviario. Attamen, pro commoditate populi, aliter fieri solet in multis Ecclesiis, uti tradit Caerem. Ep. *lib. 2, cap. 10, n. 1*, scilicet: „statim post Vesperas omnium Sanctorum recitari solent Vesperae et Matutinae Defunctorum, ad hoc ut populi commodius et frequentius illis interesse possint." Per Matutina, hic intelliguntur Nocturni et Laudes, uti patet ex n. 6 sequenti. Cs. S. R. C. Responso 4 Sept. 1745, n. 4028, ubi ita rescribendum censuit: „Privata Officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest, post Vespertinas horas Festi omnium SSrum. In Choro autem, juxta Rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris, nisi, ut populi commodius, et frequentius illi interesse possint, contraria jam faceret consuetudo." Quando Vesperae aut Laudes defunctorum dicuntur statim post Vesperas aut Laudes diei, omittitur Versus *Fidelium animae. Tit. XXX, n. 3.*

Pro Missa hujus commemorationis, sumitur quae est

prima inter Missas Defunctorum, unicam habens Orationem *Fidelium*. Liberum tamen est Celebranti dictam Missam applicare omnibus Fidelibus defunctis, vel aliquibus tantum defunctis. Dec. 4 Aug. 1663, n. 2094, 9. An hoc sit etiam liberum Capellano, qui onus habet Missae quotidianae, examinat Bened. XIV *de Sacrif. Missae, sect.* 2, *n.* 68. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, duae celebrantur Missae, prout ordinat Rubrica Missalis, una de Officio diei et altera pro defunctis. Cf. pt. dec. 27 Mart. 1698, n. 3347. — Si autem celebretur pro defuncto, praesente cadavere, ultra Missam de commemoratione defunctorum, ubi haec obligat, cantanda est una Missa, ut in die obitus; sed aliae dicendae sunt de Commemoratione defunctorum, juxta dec. 20 Sept. 1687, n. 3000. Pro locis, in quibus 2 Nov. insituitur Oratio 40 horarum, vid. dec. 16 Sept. 1801, n. 4328.

Notare juvat decreta 13 Aug. 1667, n. 2270, *Romana*, et 8 Oct. 1695, n. 3223, *Urbis*, non vetare quascumque Octavas, seu preces per 8 dies continuatas, pro defunctis, sed eas de quibus ibi agitur. Unde nedum reprobantur, valde commendabiles sunt octavae pro defunctis, si fiant juxta Rubricas. Cf. Cav. *tom.* 3, *dec.* 87.

3 Nov. S. Huberti in aliquibus locis. De Missa quae propter concursum permittitur celebrari hac die, quando transfertur Commemoratio defunctorum, vid. dec. 7 Sept. 1850 et dicenda de Missis votivis, quae possunt celebrari ratione concursus populi. Pro benedictione panis, quae his in locis fieri solet, adhiberi nequit formula quae non fuerit legitime approbata.

Aliqua Dominica Novembris quibusdam in locis celebratur Patrocinium B. M. V. In concessione quondam facta locis, Regi Hispaniarum subjectis, non praefinitur qualis ex Dominicis Novembris sit assignanda, sed hoc committitur arbitrio Ordinarii loci. In Antiph. ad *Magnificat* et in Resp. 7°, legendum est: *Tuum Sanctum Patrocinium*, Dec. 22 Aug. 1818, n. 4399, 6. Si in Dominica assignata impediatur, non potest transferri absque Indulto: ex dictis supra *pag. 224;* ex dec. 13 Sept. 1592 *de hoc Festo Patrocinii* et ex Gardellini, *ad n. 4199*. Peculiare autem Indultum existit pro praefatis locis Ditionis Hispaniarum, ita ut si Officium Patrocinii impediatur, transferendum sit, ex dec. 11 Sept. 1790, n. 4293, 5, in primam diem non

impeditam, juxta Rubricas. Si transferatur ad Adventum, nihil in Missa et Officio immutandum est praeter nonam Antiphonam, cui subrogatur *Angelus Domini*, et, loco Versus Gradualis *Post partum*, sumitur Versus ex Missa votiva B. M. V. tempore Adventus, ex cit. dec. 22 Aug. 1818.

Dominica post Octavam omnium Sanctorum. In toto territorio Reipublicae Gallicanae ex Indulto pro reductione Festorum 9 Apr. 1802, et declaratione Em^mi Card. Caprara Legati 21 Jun. 1804, celebratur in praefata Dominica *Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum.* Haec declarationis verba videntur indicare, per Indultum cit. 1802, non fuisse institutum novum Festum Anniversariae Dedicationis Ecclesiarum, sed praeexistens, quod diversis diebus celebrabatur, affixum fuisse uni eidemque diei pro omnibus Ecclesiis consecratis [1]. Unde, seclusa peculiari derogatione, Anniversarium cujusque Ecclesiae consecratae adhuc agendum esset ab iisdem ac ante reductionem, id est, ab iis qui sunt Ecclesiae adscripti *(pag. 117 sq.)*, dum quaestio est de Ecclesia non Cathedrali; Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, non solum ab adscriptis sed ab omnibus Dioecesis Sacerdotibus cum vel sine Octava prout intra vel extra Civitatem degunt [2]. Hoc tamen limitandum est ad Sacerdotes, qui non sunt adscripti Ecclesiae consecratae: hi enim ex Resp. S. R. C. 12 Aug. 1854, ad 32, *in Lucionen.* non faciunt commemorationem Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

Dictum est: *seclusa peculiari derogatione.* Quia si praefata interpretatio Indulti vera sit, decreta S. R. C. 1 Sept.

1) Cf. Resp. 23 Sept. 1837, ubi remittitur ad Namurcen. 23 Mai. 1835, n. 4597 (vid. Direct. Offic. div. Eccl. Torn. 1839), 1 Sept. 1838 *in Mechlinien.*, n. 4693, dec. 12 Sept. 1840, n. 4750, 4. Cf. pt. dec. 12 Apr. 1842, n. 4795, 3 et 4.

2) „Unde, ait Romsee, *tom. 5, n. 683 fin.*, Dominica praedicta in Ecclesiis non consecratis celebranda foret solum Dedicatio Ecclesiae Cathedralis in civitate cum octava, extra civitatem sine octava prout in decretis 2 Mai. 1619, 10 Jan. 1693, num. 227 praescribitur, et ubique fieri solebat ante reductionem. Sed plerique censent quod unanimiter omnes Ecclesiastici, etiam qui nulli ecclesiae sunt addicti, vel casu non habent ecclesiam consecratam, in cumulo, et per unum idemque officium, uno eodemque die honorificare debeant anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum; et hinc per indultum suppressa volunt omnia decreta huic dispositioni contraria.“

1838 *in Mechlinien.* et 12 Sept. 1842 *in Brugen.* habenda sunt tanquam indulta, data intuitu consuetudinis vigentis, et uniformitatis, in Dioecesi obtinendae.

Altera vero datur Decreti 1802 interpretatio, quae fundamento non destituitur. Juxta hanc interpretationem, per Indultum 1802, institutum fuisset aliquod generale Anniversarium Ecclesiarum consecratarum, ab omnibus videlicet celebrandum eadem die, sub eodem ritu dup. I Cl. cum Octava, nullo habito respectu, an qui recitat Officium, sit necne alicui Ecclesiae consecratae addictus, an moretur intra vel extra Civitatem; et praeter hoc Anniversarium, aliud non est agendum sive Ecclesiae particularis sive Cathedralis, ita ut qui alicui Ecclesiae est addictus non debeat addere commemorationem Cathedralis: quia Anniversarium, utpote omnium Ecclesiarum consecratarum, comprehendit tum propriam, tum cathedralem. Haec interpretatio firmum habere videtur fundamentum in Rescripto *cit.* 12 Aug. 1854.

De Officio Dedicationis Ecclesiae agitur hic *sect. VI;* et de ipsa consecratione Ecclesiae, *tom.* 2.

SECTIO VI.

COMMUNE SANCTORUM, DEDICATIONIS ECCLESIAE, B. M. V. ET DEFUNCTORUM.

In praesenti Sectione non tractatur de Communi Temporis, v. g. de iis quae in Psalterio ponuntur dicenda *per annum.* Haec enim, quantum opus sit, exposita sunt in aliis sectionibus, et ad commune Sanctorum.

§ I. DE COMMUNI SANCTORUM.

Ea, quae ponuntur in Communi Sanctorum, non possunt ad arbitrium recitari. Unicuique enim Officium est recitandum prout ordinatur in Breviario Romano, aut in Proprio Ecclesiae, *pag. 115.* Propter eamdem rationem non est liberum recitare de 1° aut de 2° loco: sed in hoc etiam servandae sunt Rubricae. — Quare quaedam semper dici possint in plurali aut in singulari sive de uno, sive de pluribus fiat officium, dicitur infra I. 1°, et III. 2°.

I. *Commune Apostolorum et Evangelistarum.* 1° Quando recitatur Officium de Communi Apostolorum in Festo unius Apostoli, non sunt mutanda quae in numero plurali dicuntur.

Haec autem in casu verificantur, quatenus Chorus Apostorum ita unus est, ut qui unius celebrat Festum, non excludat alios [1]. Cf. dicenda de *Communi Confessorum*, III. 2°.

2° „In tertio Noct. frequenter auditur Alleluja, et rationem affert Amalarius, *de ord. Antiph. cap. 59*, quia exstiterunt primi, qui viso Domino resuscitato, gavisi sunt, nempe in tertio statu naturae humanae, post legem, tempore uberioris gratiae." Gav. *n. 4*.

Pro tempore Paschali habetur peculiare Commune.

II. *Commune Martyrum*. 1° De Martyribus triplex habetur commune, nimirum *Commune unius Martyris, Commune Martyrum tempore Paschali*, et *Commune plurimorum Martyrum extra tempus Paschale*.

2° Variae ponuntur Orationes, 1° et 2° loco. — LL. I Noct., *A Mileto* (positae in Communi unius Martyris), utpote magis congruae Martyri Pontifici, non leguntur pro Martyre non Pontifice; sed earum loco sumuntur aliae de communi plurimorum Martyrum, *Fratres debitores*. — Resp. VIII aliquando variatur. Regulariter dicitur: *Hic est vere Martyr*. Sed in festis quinque SS. Martyrum Pontificum Marcelli, Joannis, Silverii, Martini et Pontiani, dicitur Resp. *Domine praevenisti*, etc. *(Rub. pecul.)* et, ex dec. 10 Jan. 1693, n. 3152, 5, „dicendum est in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt, non effuso sanguine." Cf. pt. Cav. *tom. 2, ad dec. cit. Ordin. 320, n. 2*. — Post Vesperas reperiuntur aliae LL., id est, 2° loco, pro 2° et 3° Noct.

3° *Commune tempore Paschali*. „Inter utrumque Commune unius, et plurium Martyrum, recte collocatum est aliud Commune Martyrum tempore Paschali, ut esset Commune utrisque. Ratio vero, cur Martyribus Officium Paschale tribuatur, a S. Ambrosio affertur, in Sermone, qui in eodem Officio legitur: *Dignum est, et congruum*, etc." Gav. *n. 10*.

4° Assignantur „LL. I Noct. de Scriptura, quae occurrit

1) »Optime notat Guyetus, *lib. 3, cap. 9, q. 1*, praeter undecim, ac Paulum a Christo Domino vocatos, Judaeque locum subrogatum Matthiam, et adjunctos ipsis, Barnabam, Lucam et Marcum, nullis Sanctis aliis tribui debere Apostolorum Officium, quamvis appellatione Apostoli, sive in Panegyricis, sive etiam in Martyrologio, Tabulisque Ecclesiasticis decorentur.« Mer. *n. 1*. Cf. adnotata *ad 29 Jun. supra*.

tempore Paschali in Officio de Tempore; vel, quando non adsunt, de communi unius vel plurimorum Martyrum extra tempus Paschale." *Rub. pecul.* Animadvertit Gavantus, *n. 14,* hanc Rubricam non esse extendendam ad LL. 2[i] Noct. „Nam in secundo Nocturno, ait, non bene conveniunt aliae, quae leguntur extra tempus Paschale, nisi infra Octavam ad varietatem, ut dicitur in Octavario Romano, *infra Octavam Martyrum temporis Paschalis post quartam diem.*"

5° In Communi plurimorum Martyrum extra tempus Paschale, ponitur peculiare Resp. VIII, *Haec est vera fraternitas*, dicendum in Festo plurimorum Martyrum Fratrum.

Q. An illud Responsorium erit etiam dicendum, quoties fratribus alii adjiciuntur non fratres?

Resp. Cum Cav. *tom. 2, dec. 320, n. 5.* „Negat Gavantus, *sect. 8, cap. 2, n. 9,* utiturque exemplo SS. Placidi, et Sociorum in quorum officio non dicitur, licet inter eos duo Fratres, et soror simul obierint. Guyetus, *lib. 3, cap. 11, q. 3,* rite distinguit, et a potiori parte determinandum esse asserit, ita ut si fratres sint plures, quam non fratres, sit dicendum, ut patet exemplo SS. Symphorosae matris, et filiorum ejus, et SS. Septem fratrum, et SS. Rufinae, et Secundae Sororum, quae non sunt sorores fratrum illorum; si vero non fratres erunt numero plures, non erit dicendum, ut constat exemplo SS. Placidi, et Sociorum." *Ibidem* Cavalieri resolvit dictum Responsorium non esse usurpandum, si non fratres fuerint numero pares.

III. *Commune Confessorum.* 1° De Confessoribus duplex est Commune, unum pro Pontificibus, alterum pro non Pontificibus. Quando aliquis Sanctus dicitur Confessor absque hac additione, *Pontifex*, intelligitur de Confessore non Pontifice.

2° „Si occurrat celebrari Festum plurium Confessorum non Pontificum, Officium fit ut in Communi, sed in Oratione et Sermone, quae habentur in singulari, dicantur in plurali." *Rub. pecul., post II Vesp.* Si tamen variatio in sermone non quadret aut difficultatem reddat, consultum est eam omittere, juxta Cav. *tom. 2, dec. 320, n. 9.* Quod dicitur de Confessoribus, applicandum est etiam Virginibus et aliis. Extra dictos casus, nulla permittitur mutatio. Caeterum „in plurali numero, ait Cav. *l. c.*, etiam singularis continetur, et quae in singulari numero dicuntur, satis

pluribus conveniunt, si de unoquoque seorsim enunciata intelligantur."

De Versu *Hac die laetus*, etc., satis dictum est *pag. 304.*

3° Pro quibusdam antiquis Breviariis duo veniunt notanda. 1. In Communi Conf. non Pont. legendum est in Capitulo, *nec speravit in pecunia et thesauris*, non autem, *in pecuniae thesauris*. 2. In Communi Virginum, in Antiph. 3a 3i Noct. legendum est, *Revertere Sunamitis*, et non: *Sulamitis*, ex dec. 11 Sept. 1841, n. 4784, IX et X.

4° De Confessoribus, de Virginibus et non Virginibus, et Dedicatione Ecclesiae, non habetur peculiare Commune tempore Paschali; sed tantum adnotatur Rubrica de addendo *Alleluja*, uti expositum est *pag. 404.*

De Communi Virginum et non Virginum sufficiunt adnotata ad Commune Confessorum.

§ II. COMMUNE DEDICATIONIS ECCLESIAE, B. MARIAE, ET DEFUNCTORUM.

I. *Commune Dedicationis Ecclesiae.* De Officio Dedicationis Ecclesiae fere satis dictum est *pag. 117 et 439.* Nam ibi declaratum est qui generatim, et speciatim in territorio Reipublicae Gallicanae, teneantur recitare hujusmodi Officium in die aut in Anniversario Dedicationis. De Officio recitando pridie consecrationis dicitur *tom. 2,* ubi de consecratione Ecclesiae et Altaris. Pauca igitur hic sunt adnotanda.

1° Festum Dedicationis propriae Ecclesiae, quae est consecrata, habet ritum dup. I Cl. *(pag. 130)*, cum Octava (Tit. VII, 1). Si autem consecrata non sit, officium de ea fieri nequit. Dec. 21 Mart. 1795, n. 4314, 1. Anniversarium, seclusa legitima mutatione, celebrandum est die ipsa Consecrationis aut alia jure assignata. In actu autem consecrationis, Episcopus Consecrator potest, rationabili de causa (Cav. *tom. 1, dec. 1, n. 18*), assignare diem a die consecrationis diversam. Quo casu idem fieri possit extra actum Consecrationis, vid. Cav. *l. c. dec. 5.* Si Anniversarium in propria sede impediatur, transferendum est juxta Rubricas *de translatione Festorum.* Late de hac materia agit Cav. *tom. 1, cap. 1.* Cf. Deherdt, *part. V, n. 33.*

2° Die Octava assignantur LL. 1 et 3 Noct. ut in die Festo. Hoc autem, pro 3 Noct., limitandum est ad casum;

quo omnes LL. de Homilia lectae fuerint infra Octavam *(pag. 317)*.

3° De Dedicatione duplex habetur Oratio. Prima, *Deus qui invisibiliter*, dicitur in ipso die Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio, ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae, Altera, *Deus qui nobis*, in Anniversario Dedicationis et per Octavam. Si hae duae orationes non sufficiant ad varietatem, vid. Cav. *tom. 1, dec. 19, n. 8 sqq.*

II. *Officium B. M. V. in Sabbato et Officium ejusdem parvum.* De his Officiis B. M. V. dictum est Tit. VIII et ult. Superest adnotare Rubricam quae legitur initio Officii parvi, ante Psalmos Matutini, quae sic sonat: „Quando fit Officium novem Lectionum sanctae Mariae, dicuntur tres sequentes Nocturni cum suis Psalmis et Antiphonis, nisi aliae Antiphonae assignentur; Absolutiones vero et Benedictiones, ut in principio Breviarii ante Psalterium." Praedicti Psalmi distribuuntur in Ferias et Nocturnos, prout dicendi sunt in Officio trium aut novem Lectionum. — Quando agitur Festum aut Officium votivum Conceptionis, dicitur Antiph. *Angelus*, nisi propria habeatur v. g. in Officio proprio Immaculatae Conceptionis. — Versus et Resp. variantur, prout Officium est 3 aut 9 LL.

III. *Officium Defunctorum.* De obligatione hujus Officii in choro, dictum est Tit. XXXVII, 1; de recitatione ejusdem in choro pro generali suffragio Defunctorum, diebus per Rubricas assignatis, vid. Rub. pecul. Breviarii. Hic quaedam solummodo adnotantur de illo Defunctorum Officio quod infra annum recitatur non ex generali praecepto Rubricarum, sed ex devotione aut ex obligatione peculiari, orta v. g. ex stipendio. De hujusmodi Officio duo hic adnotantur: 1 quibus diebus permittatur, et 2 quomodo sit recitandum.

1. Circa primum distinguendum est inter recitationem aut decantationem, quae fit publice et solemniter in corpore Officii diei, et recitationem aut decantationem quae fit vel privatim, vel publice quidem, sed extra Officium sub Vesperam, absolutis Horis canonicis. *In primo casu, a)* juxta Gavantum, *sect. IX, c. 2, n. 19*, Merat. *ibidem*, Cav. *tom. 3, dec. 13 et 127, n. 6 etc.*, Officium defunctorum toties permittitur publice et in cantu recitari, quoties licita est Missa solemnis *da Requiem*, cujus occasione recitatur

praedictum Officium. Sic v. g. Officium exequiale permittitur iisdem diebus, quibus licet cantare Missam solemnem exequiarum. *b)* Si vero Officium absque Missa defunctorum recitetur (quae separatio aliquando fieri potest), tunc, etiam extra obitum, Officium permittitur pluribus in diebus quam Missa privata defunctorum, juxta AA. cit. Et hujus discriminis ratio est disparitas quae existit inter Officium et Missam. Nempe illud superadditur Officio diei cui nullum affert praejudicium; haec vero subrogatur Missae diei, quae extra dies permissos conformis esse debet Officio; et praeterea Missa defunctorum suppleri potest per Missam de die, non vero Officium defunctorum per Officium diei. Confirmatur ex S. R. C. resolutione 23 Mai. 1846, n. 4904, 15. Ibi declaratur tolerari posse ut in duplicibus, vel majoribus, cantetur „Vigilia defunctorum ac etiam totum officium non quidem ex fundatione, sed ex sola piaque petentium voluntate.“ Cs. dec. 22 Aug. 1682, n. 2846, 2. Cf. dec. 16 Dec. 1828, n. 4496, 7.

Attamen, etsi Officium permittitur pluribus diebus quam Missa, sunt tamen dies in quibus prohibetur publica recitatio dicti Officii in corpore officii diei. Juxta AA. cit. prohibetur in duplicibus I et II Cl. necnon diebus festivis solemnibus. Quibus a Caval. *dec. 13, cit. n. 8 sq.,* adduntur dies quicumque Dominici et festivi, Octavae privilegiatae et omnes dies Hebdomadae sanctae. Pariter recitandum non est tempore quo SS. Sacramentum publice exponitur, „ne, ait Cav. *tom. 3, dec. 127, cit. n. 8,* perturbetur populus Christum adorans, et ad aliena avertatur.“ Cf. pt. S. R. C. dec. 27 Mart. 1779, n. 4243.

In secundo autem *casu* aliter resolvendum est. Nam non solum privata et submissa recitatio (quae tamen etiam consultius peragitur absolutis Horis canonicis, Cav. *dec. 13, n. 12*), sed etiam publica, quae fit extra Officium sub Vesperam, nulla die prohibetur. Attamen convenienter omittitur in nonnullis diebus solemnioribus, v. g. in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Festo Corporis Christi, in Ascensione Domini, Assumptione Deiparae, Triduo sacro et Festo Titularis aut alterius s. quod solemniter celebratur: non enim decet horum dierum solemnitatem minui aut perturbari per Officium defunctorum. Cf. Cav. *l. c. dec. 22, n. 5.*

2. Circa Rubricas servandas in recitatione hujusmodi

Officii etiam distinguendum videtur. 1° Si agatur de Officio defunctorum recitando ex voluntate postulantium aut testatorum pro exequiis, aut in die 3°, 7°, 30° vel anniversario, tunc servandae sunt Rubricae Ritualis et Breviarii, juxta dec. 9 Jul. 1678, n. 2715, 5. Cs. dec. 11 Nov. 1641, n. 1204. — 2° Si autem quaestio sit non de Officio defunctorum proprie dicto, sed de quibusdam precibus, in eorum suffragium fusis, tunc idem resolvendum est ac supra *pag. 366 sq.*, de Laudibus vespertinis.

In Breviario, post Officium defunctorum, apponuntur, cum propriis Rubricis, Psalmi Graduales, Poenitentiales, Litaniae Sanctorum cum precibus subsequentibus, Ordo Commendationis animae, Benedictio mensis et Itinerarium Clericorum. De his vide proprias Rubricas et dicta *pag. 353*, de obligatione horum Psalmorum; item dicta de Litaniis majoribus.

APPENDIX AD TIT. I.

I. De Patrono vel Titulo Ecclesiae, in se spectato.

Quaeritur an ipse Deus, SS. Trinitas, Persona aut aliqua res divina possint esse et dici Ecclesiarum Patroni?

R. Negant Merati et Guyetus. Hos impugnat Cavalieri sententiamque affirmativam, adhibita tamen distinctione, tuetur. *Tom. I, cap. 2, a. n. 7 ad 22.* Nonnulla hujus verba huc afferuntur, in gratiam eorum qui hac de re exoptant pleniorem notitiam. Cf. dicta *pag. 136 sqq.*

N. 7. *Proponitur difficultas de Deo in Patronum eligendo.* „Quoniam vero, inquit, Patroni, et Advocati nomen pro eodem communiter accipitur, et Patronus non dicitur, nisi cum relatione ad judicem, aut quemvis alium Majorem, apud quem alterius causam suscipit defendendam, aut a quo gratiam aliquam pro suo Cliente se impetraturum spondet, tamquam certum supponunt Guyetus, *lib. 1, cap. 5, quaest. 2,* necnon Meratus, *sect. 8, cap. 5, num. 3*, SS. Trinitatem, aut Deum, vel Personam aliquam, vel rem divinam Ecclesiarum Patronam dici haudquaquam posse, quia Deus summus Judex est, nullumque Majorem agnoscit, apud quem nostras causas possit ipse patrocinari, suisque intercessionibus nobis gratiam aliquam impetrare."

Propositae difficultati respondet, n. 8, *duplicem distinguendo Patroni acceptionem.* „Verum haec licet ita sint juxta mox adductam Patroni acceptionem, attamen nos nequaquam

videmus cur SS. Trinitas, Deus, aut Persona, vel res aliqua divina Ecclesiarum, quae ipsis dicatae reperiuntur, Patrona dici non valeat secundum alteram, ac item veram, Patroni acceptionem juxta quam *Patroni* nomen usurpari intenditur, dum Ecclesiae in honorem Dei, vel Sanctorum construuntur. Et quidem in primis Guyetus ipse, *loc. cit. quaest. 1,* manifeste contendit, Sanctum quemlibet, cui dedicatur Ecclesia, illius vere dici Patronum juxta aliam Patroni acceptionem, eo quod locum illum de profano sacrum suo nomine reddit, facitque omnium, quae Ecclesiis jure Canonico, et Civili tributae sunt, immunitatum participem, illique specialiter assistit, tutaturque, ac in illius profanatores severe animadvertit; quidni igitur juxta hanc Patroni acceptionem, et Deus ipse, ac quodlibet divinum, Ecclesiarum sibi dedicatarum Patronus dici poterit, cum praefata omnia in Ecclesiis Dei nomini dicatis abunde, et cumulatius non minus eveniant?"

Asserit, n. 9, *a Deo efficacius quam a Sanctis obtineri effectum Patronatus.* „Ut Tutorem, defensorem, ac in opportunitatibus adjutorem itidem habeant, qui Ecclesias construunt, Caelitibus consecrant; ast quinam quaeso potentior tutor, defensor, aut adjutor, quam Deus ipse, qui ut hujusmodi praestet, nemine indiget, nec apud alium, uti Sancti, habet supplicare? Praestantius igitur procul dubio cum Dedicationis Ecclesiarum Caelitibus factae finis obtineatur in Deo, ac Patronatus effectus, denegandum non est, Deum Ecclesiarum sibi specialiter dedicatarum Patronum esse, quantumvis Patroni nomen, prout ad Majorem aliquem relationem habet, aut Judicem supponit, eidem profecto competere non valeat."

N. 10. *Movet difficultatem, ejusque solutionem proponit.* „Nec dicas, Deum aptum haud esse, ut in Patronum particularem, ac specialem eligatur, cum ipse generalis, et communis sit omnium provisor, *qui Solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos.* Matth. V, 45, ita ut non *sit qui se abscondat, a calore ejus,* quemadmodum nos edocet Regius Vates, *Psalm. 18, 7;* sed ipse *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Jo. II, 9. Quoniam etsi Deus generalis provisor sit, et generalia gratiae suae dona cunctis dispenset, per hoc minime fit, quod specialiter alicui patrocinari non possit, specialia gratiae suae dona, quae nulli debita sunt, illi

distribuendo, hinc D. Prosper, *lib. 2 de Vocat. Gent. cap. 31,* docet *Gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari, et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura.*"

N. 11. *Ex dictis deducit, contra Guyetum, Christum Dominum dici posse Patronum Ecclesiarum quae, ipsi vel sub aliquo titulo ad ipsum attinente, sunt dedicatae.* „Ex his soluta remanet gravis alia quaestio, quam egregie discutit more suo Guyetus, *lib. 9, cap. 5, qu. 3,* num scilicet Christus Dominus dici possit Patronus earum Ecclesiarum, quae vel ipsimet ut Salvatori nominatim, vel sub titulo Sanctae Crucis, aliove ad ipsum pertinente dedicantur; quamque resolvit negative..."

N. 15 *et sqq.,* proponit responsum momentis rationis a Guyeto allegatis. Et *n. 16 et sqq.* objicit S. R. C. Decretum 20 Sept. 1681, n. 2815, et respondet illud non obstare.

N. 20. *Enumerat Mysteria et res sacras sub quibus Ecclesiae dedicatae inveniuntur aut dedicari possunt.* „Sunt igitur quam plurimae Ecclesiae, quae sub mysterio aliquo, seu re sacra dicatae inveniuntur, puta Nativitate Christi, Transfiguratione, Resurrectione, Ascensione, vel sancta Cruce, sacro Sanguine, Corona Spinea, Lancea, Clavi, Sepulcro, Sudario, aliisque Dominicae Passionis Instrumentis, vel pretiosissimis sacratissimae Jesu Infantiae pignoribus, sive aliis Christi Domini Reliquiis, ut Praesepio, Fasciis, etc., de quibus sermo redibit in Decreto VI, hujus Capitis. Quod si forsitan aliquo horum Titulorum, vel alio simili ad Christum attinente speciatim inscripta nulla reperiatur Ecclesia, minime dubium est, quod, fieri id si contingat, perinde legitimum est, ac sunt Tituli Crucis, ac Christi Mysteriorum, vel Salvatoris, Redemptoris, etc., sub quibus passim dedicatae inveniuntur Ecclesiae..."

„Quod autem dictum est de Christo, proportione servata dicendum venit de B. Maria, et Sanctis Angelis, et Hominibus; quapropter sub titulo Nativitatis, Conceptionis, Praesentationis, Assumptionis, necnon Rerum, et reliquiarum ad Deiparam attinentium per Orbem passim reperiri erectas Ecclesias patebit in memorato Decreto VI, ubi et Ecclesias sub titulo Conversionis Sancti Pauli, Vinculorum Sancti Petri, ejusque Cathedrae, alioque simili relate ad Sanctos Angelos, ac Homines patens fiet minime deesse, vel saltem nihil obstare, quod erigantur. Quantum igitur

ad ejusmodi, aliosque similes Titulos attinet, fas est, recolat Lector, quae in praefati Decreti explanatione late dicuntur."

Numeris sqq. magis praefinit et limitat quo sensu intelligenda sint quae *numeris superioribus* asseruit. Scilicet *(n. 21)*, hujusmodi Mysteria aut res sacrae non sunt *in se* Patroni, seu in sensu stricto et proprio; sed *(n. 22)* tantummodo quatenus referuntur ad aliquam Personam cui congruit ratio patronatus, quaeque est et dicitur Patrona Ecclesiae illi rei dedicatae. Exinde concludit Cavalerius, *n. 23*, in quo conveniant et discrepent Patronus et Titulus Ecclesiae. Tandem, *n. 24*, merito assimilat Patronum Ecclesiae dedicatae, Patrono hominis baptizati. Sequuntur ejus verba.

„21. Quia tamen hujusmodi Tituli, etsi Ecclesias inscribant intitulent, ac denominent, Personam aliquam non dicunt, non possunt praefata Mysteria, vel res, sive actiones sacrae denominatarum Ecclesiarum Patroni esse, ac nuncupari, sed ad summum Tituli, quatenus videlicet suo nomine Ecclesias intitulant, vel denominant; hinc communiter distinguitur Patronus a Titulo in eo, quod Patronus est semper persona aliqua, quae advocationem gerit, et suo insuper nomine Ecclesiam intitulat, quapropter a Sancto Petro dicitur Ecclesia Sancti Petri, a Sancto Michaële Ecclesia Sancti Michaëlis, etc. Titulus vero Personam proprie non dicit, sed potius Mysterium, vel rem aliquam ad personam pertinentem, ut Annunciatio B. Mariae, Crux, Sudarium, etc.; hinc licet Titulus vere sit, quia a seipso Ecclesiam denominat, prout tamen in seipso sistit praecise, Patronus proprie non est, cum non dicat Personam, quae solummodo intercedere valet, et Patrocinari."

„22. Verum quoniam Mysteria, vel res quaecumque sacrae, nonnisi quatenus referuntur ad Personam aliquam, ad quam spectant, reapse Ecclesiarum Tituli sunt, idcirco secundum hanc considerationem inspecta, seu quatenus Personam involvunt, etiam Ecclesiarum Patroni esse queunt, et dici, dummodo tamen Patronatus ratio Personae, ad quam referuntur, congruere possit: hinc in hoc sensu B. Maria dici valet Patrona Ecclesiarum, quae ab aliquo ejusdem Mysterio specialiter denominantur, quemadmodum et Christus illarum Ecclesiarum, quae sub Salvatoris, S. Crucis, Coronae Spineae, vel alio simili Titulo dicatae

inveniuntur, uti superius dicebamus, ubi id extendimus ad Ecclesias Deo ipsi consecratas, licet id communius denegetur, et in rigorosa *Patroni* acceptione haud veritatem habere nos ipsi ultro fassi fuimus."

„23. Patronus itaque cum Titulo confunditur, non tamen Titulus cum Patrono, quia omnis Patronus est etiam Titulus Ecclesiae, quatenus eam intitulat, denominat, non tamen omnis Titulus est item Patronus, quia Mysteria, vel res sacrae, quae Ecclesiam denominant, ex seipsis Patroni esse non possunt, et nec quatenus Personam dicunt, ad quam referuntur, si haec Patronatus rationem effugiat, quemadmodum evenit in Ecclesiis Deo immediate, vel alicui ejusdem Attributo, et adhuc Christo Domino, vel alicui rei ad ipsum spectanti dicatis, uti superius vidimus a pluribus Auctoribus existimari, qui perbelle ponderant, a Rubricis, quotiescumque Titularis Ecclesiae nominatur, semper cum disjunctione poni, *Patronus, vel Titulus Ecclesiae*, quia datur Titularis Ecclesiae, qui ejusdem Patronus non est." De hujusmodi disjunctiva locutione agit Cavalieri, *ibidem cap. 3, dec. 14, ord. 43.*

„24. Quod igitur est homini baptizato nomen impositum, hoc idem est Ecclesiae Dedicatae Patronus, seu Titulus, quo videlicet ipsa nuncupatur, et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur." Adde: et a quo peculiari cura et ratione custoditur et protegitur, juxta *n. 9 et 21.*

II. De Ecclesiae Titulo, quatenus de ipsa Ecclesia dicitur.

„Quoad rem, inquit Cavalieri, *l. c. n. 26*, quam significat, et pro qua usurpatur verbum, *Titulus*, conveniunt inter se Auctores, at ejusdem Etymologiam varie demonstrant..." Etymologia, silentio praetermissa, de variis acceptionibus hujus vocis, quatenus de Ecclesiis dicitur, hic ea exscribere juvat ex Cavalieri, *l. c.*, quae plus minusve necessaria aut utilia videntur ad melius intelligenda quae in libris liturgicis dicuntur de Titulis Ecclesiarum. Cf. *pag. 133 sqq.* Itaque primo indicantur praecipuae significationes vocis, *Titulus*, unde facilius intelligatur quo sensu accipiatur de Ecclesiis, prout secundo exponitur.

1° „27. In primis autem, ait, Titulus in S. Scriptura signum perpetuae memoriae significat: unde *II Reg. XVIII, 18* Absalom erexit sibi *Titulum in monumentum nominis sui...*"

„28. Secundo Titulus accipitur in jure pro causa, qua

quis sibi vindicat rem aliquam, seque in ejus justa possessione contra impugnantem tuetur, puta quod emerit, vel dono aut haereditate acceperit..."

„29. Tertio Titulus usurpatur pro Tabulis quibusdam, quas olim descripto palam in eis suo nomine, Potentiores praediis suis affigebant, ut sic ab aliena invasione aut direptione tutarentur..." Addit *n. 31:* „... Praedictum confiscationis modum aliqualiter Christiani imitati sunt, dum Crucis signum sive Titulum ponebant, ut significarent locum aliquem ad divinum cultum applicandum; caeremoniam erectionis Crucis in loco aedificando in Ecclesiam vel Oratorium, etiamnum Episcopi observant ex mandato Caeremonialis Episcoporum, et *Staurapegium* dicitur."

„32. Quarto dicitur Titulus in Jure Canonico Beneficium Ecclesiae, sub qua quis ordinatur, aut ubi tenetur servire..."

„33. Quinto Ecclesiae olim Tituli nomine appellari solitae fuerunt, adeo ut Titulus, et Ecclesia pro eodem sumerentur; hinc in Libro de Romanis Pontificibus de Evaristo legitur, *Hic Titulos in Urbe divisit Presbyteris*, et de Marcello quod *Viginti quinque Titulos in Urbe constituit.* Ecclesiae autem dictae fuerunt *Tituli*, primo quia in loco Ecclesiae construendae in primis figebatur Vexillum Crucis in signum, ac instar Tituli: unde Theodosius Imperator praecipiens, ut Delubra Gentilium Christianae Religionis cultui manciparentur, ait, *Collocato in eis venerandae Christianae Religionis Signo.* Ita *lege ult. de Paganis cap. Theodosius, et lege Decernimus, cap. de Episcopis, et Clericis.* Hinc etiam in Pontificali Romano, ubi de Benedictione, et Impositione primarii lapidis pro aedificanda Ecclesia agitur, haec verba habentur: *Pridie lignea Crux in loco, ubi debet esse Altare, figatur et lapis primarius imponatur.* A Titulo ergo Crucis juxta tertiam vocis hujus acceptionem dictae sunt Ecclesiae Tituli. Ita quoque dictae fuerunt a Titulo, idest nomine illius Sancti, in cujus honorem eriguntur, tamquam sanctitatis illius monumenta, juxta primam dictae vocis acceptionem; et sic Titulus S. Petri dicitur Ecclesia S. Petri, etc. Tertio demum Ecclesiae dictae sunt Tituli, quod qui Ecclesiam curat aedificari, prius Titulum, seu Fundum aliquem conferre debeat, ex cujus annuo redditu, quid ad Luminaria, quid ad Rectoris, Ministrorumque stipendia sufficiat, commode suppeditetur,

quemadmodum praecipit Pontificale Romanum, ubi de Benedictione, et Impositione primarii lapidis, et habetur *cap. Nemo Ecclesiam, de consecrat. dist. 1.*"

„34. Ex hujusmodi fundi assignatione, vel ex Ecclesiae constructione factum est, ut veteres Christiani domus suas in Ecclesias consecrantes, eas postmodum Titulo sui nominis aliquando appellarent. Hinc in Urbe orti sunt Tituli *Pudentis*, *Equitii*, *Fasciolae*, *Pamachii*, *Basilicae Constantinianae*, *Basilicae Hellenianae*, *Titulus Vestinae*, quia nempe Vestina illustris femina referente Baronio *in Notis Martyrologii ad 19 Junii*, Basilicam exstruxit in honorem SS. Gervasii, et Protasii, quae et Vestinae Titulus, et eorumdem quoque Martyrum dictus reperitur. Ad rem apprime facit id quod habetur in Breviario Romano die 1 Augusti lect. 5. *Tantus honor sacris illis vinculis haberi coepit, ut propterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Ecclesia Titulo Eudoxiae dedicata sit in Exquiliis.*

„35. Superest autem hic adnotare, quemadmodum observat Baronius *in Notis ad 26 Julii*, Romae videlicet veterem loquendi usum obtinuisse, ut non omnis Ecclesia, Martyrumve memoria *Titulus* diceretur, sed tantum insigniores Ecclesiae quibus praeficerentur Presbyteri Cardinales. . ." Hodie etiam vocantur *Tituli* Ecclesiae quae habent jurisdictionem Episcopalem aut quasi Episcopalem. *Ibid.*

SERIES CHRONOLOGICA DECRETORUM.

Praenotanda. 1. In hac collectione non omnia referuntur S. R. C. Decreta, quae circa materiam hujus tomi edita sunt; imo neque omnia quae fuerunt in decursu dicti tomi citata. Sed ea solummodo seliguntur quae, suis locis, non fuerunt exscripta, et tamen necessaria aut utilia videntur ad explicanda, complenda aut comprobanda quae dicta sunt in Commentario.

2. Fere omnia hujus indicis decreta exscribuntur ex collectione authentica Aloysii Gardellini *(2 edit.)*, uti dictum est *pag.* 25, *not.* 2. Post *annum et diem* reperiuntur *numerus collectionis et inscriptio decreti.* Quando, brevitatis causa, quaedam omittuntur verba, quia quoad scopum nullius sunt utilitatis, vel, explicationis gratia, quaedam adduntur, hoc facile videbit lector. In fine decreti interdum citatur tomi pagina ad quam pertinet. Quaedam decreta, hic relata, non reperiuntur in collectione Gardelliniana. Sed desumpta sunt ex fontibus probatis; vel de quorum valore poterit judicare Lector. — Quando scribitur, *S. C. Resp.*, vel simpliciter, *Resp. R.*, hoc intelligendum est de S. R. C.

1629, 4 Jul., n. 678, S. Rochi.

„Cum actum fuisset pluries in S. R. C. de concedenda Missa, et Officio in festo S. Rochi, qui penes omnes Christi fideles in maxima veneratione semper est habitus: tandem sub die 20 Junii 1629 eadem S. C. negotio mature discusso, censuit *esse concedendam Missam, et Officium in die festo S. Rochi de Communi Confessor. non Pont., in iis tamen locis, ubi adsunt Ecclesiae in ejus honorem aedificatae, et servatis Rubricis Breviarii.* Et haec resolutio fuit facta consentientibus omnibus Ill^{mis} Patribus, et instante praesertim D. Didaco Lopez de Zunica, qui hoc enixe petiit nomine Villae, seu Oppidi Matriti; quam resolutionem *SS. D. N.* approbavit, et laudavit.“

1631, 8 Mart., n. 759, Regien.

„Capitulum, et Canonici Cathedralis Regien. nomine etiam totius Civitatis, supplicarunt pro licentia apponendi in Litaniis occasione Processionum tam publicarum, quam

privatarum, et praecipue his temporibus calamitatis, Sanctos Titulares, et Patronos Civitatis. Et S. C. respondit: *In Litaniis non posse apponi alios Sanctos, praeter descriptos in ipsis Litaniis.*" Pag. 406.

1631, 2 Aug., n. 785, Syracusana.

„Presbyteri, et Clerici Parochialis Ecclesiae S. Joannis Baptistae Civitatis Ragusiae Syracusanae Dioecesis supplicarunt pro licentia addendi in Litaniis B. M. V., quae recitantur quolibet Sabbato in dicta Parochiali, prout cantantur in Domo Lauretana, S. Joannem Baptistam. Et S. C. respondit: *nihil addendum in Litaniis B. M. V., sed omnino recitari debere, prout jacent impressae pro Domo Lauretana.*"

1641, 11 Nov., n. 1204, Thelesina.

„Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Martini supplicarunt responderi, an eis liceat tam in Anniversariis, quam etiam in funeralibus recitare ad libitum primum, aut secundum nocturnum defunctorum quacumque die hebdomadae? Et S. C. respondit: *servandas esse Rubricas.*"

1642, 16 Aug., n. 1263, Parisien.

„Cum ex antiqua consuetudine in Ecclesia Parisiensi passim recitentur, et impressae post Breviaria publice venales habeantur Litaniae Nominis Jesu, supplicarunt Sacerdotes Missionarii pro illarum approbatione. Et S. C. antiquis Decretis inhaerendo, et praesertim *Decreto S. M. Clementis VIII abnuit, cum Ecclesia non consueverit approbare alias Litanias, quam communes Sanctorum, et S. Mariae Lauretanae.*" Cf. pt. dec. 15 Mart. 1608, n. 227, 16, et 31 Mart. 1640, n. 1065.

1654, 20 Jun., n. 1561, Cusentina.

„1. An in Litaniis, quae dicuntur in Ecclesiis Capuccinorum, ut asseritur ex forma constitutionis post matutinum, et post nonam, liceat addere nomina Sanctorum, ultra expressa in Litaniis, quae habentur in Breviario Romano, ex eo, quod sint Sancti ejusdem Ordinis, vel Patroni Provinciarum, vel etiam ex devotione?"

„2. An in Versiculo consueto de B. V. *Benedicta tu in mulieribus* cum Responsorio, *et Benedictus Fructus Ventris tui;* liceat addere *Jesus*, et dicere *benedictus fructus ventris tui Jesu?*"

„S. R. C., *in utroque casu non licere quidquam addere,* censuit."

1657, 24 Mart., n. 1672, Ternana.

„Episcopus Ternanus S. R. C. supplicavit, dignaretur declarare, num tollerabilis videretur abusus canendi carmina vel alia quaecumque verba italo idiomate in Ecclesiis, in quibus reperiatur expositum SS^{mum} Sacramentum?"

R.: „*Minime tolerandum abusum hujusmodi, sed, vel adsit expositum SS^{mum} Sacramentum, vel non, omnino Episcopus idem prohibeat in Ecclesiis cantiones, vel quorumvis verborum cantum materno idiomate.*"

1658, 6 Apr., n. 1736, Narnien.

„Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Narnien. petentibus facultatem continuandi recitationem Officiorum de Dedicatione eorum Ecclesiae cum octava in tota Civitate, de Patrono vel principali Civitatis cum octava in Civitate, et Dioecesi."

„S. C. respondit: *Licere Officia recitare de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis cum Octava in propria tantum Ecclesia: in Civitate vero, et Dioecesi sub dup. maj. sine Octava.*"

„*De Patrono principali Civitatis in Civitate tantum cum Octava, in Dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus similiter cum Octava; et ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenta consuetudine sine Octava sub dup. maj. tantum.*" Pag. 152.

1563, 4 Aug., n. 2094, 2, 9, Dalmatiarum.

„2. An Cruces et Imagines Sanctorum, quae in iconibus Altarium reperiuntur debeant in primis Vesperis Dominicae Passionis tegi, an vero Cruces et Imagines Salvatoris tantum?"

„9. Utrum in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum omnes Sacerdotes in Missis da requiem debeant Sacrificium applicare pro omnibus Fidelibus defunctis: an vero possint ad libitum eorum pro aliquibus tantum applicare?"

S. C. resp.: „Ad 2. *Debent tegi omnes Imagines in primis Vesperis.*"

„Ad 9. *Ad libitum.*"

1665, 31 Jul., n. 2198, 1, 2, 14, Nullius, etc.

S. R. C. declaravit: „1. *Ad Missam thurificari tantum debet Altare, in quo cantatur Missa. Ad Vesperas vero, Altare ubi asservatur SS^{mum} Sacramentum, et Altare Chorale, coram quo decantantur Vesperae, nisi esset idem, in quo*

SS. Sacramentum asservatur, quia in hoc casu unum hoc Altare tantum thurificari debet; in utroque tamen Altari debent esse luminaria, et Crux."

„2. *Reliquiae non expositae neque a Diacono in Missa, neque a Celebrante in Vesperis thurificandae sunt; Expositae vero non a Diacono in Missa, sed a solo Celebrante, dummodo sint expositae in Altari, ubi Missa cantatur: in Vesperis vero, dummodo sint expositae in Altari Chorali, vel in Altari Sancto, cujus sunt Reliquiae, dicato, dummodo tamen sint luminibus expositae.*"

„14. *Debent omnes genuflectere in recitando Officio in Choro in verbis:* Venite adoremus, et procidamus ante Deum. Te ergo quaesumus tuis famulis subveni. Ave Maris stella. Veni Creator Spiritus. Tantum ergo Sacramentum. O Crux ave, *et aliis similibus.*"

1667, 2 Apr., n. 2259, 2, Neritonen.

S. R. C. ad preces Archipresbyteri Cathedralis Neritonen. declaravit:

„2. *Quod, stante titulo Ecclesiae B. M. V. Assumptae sufficit Antiphona,* Sancta Maria succurre miseris, *cum commemoratione ibi posita.*"

1674, 16 Jun., n. 2550, Ulysbonen.

„Patres Congregationis Oratorii Assumptae sub Instituto S. Philippi Nerii Ulysbonen. Dioecesis supplicarunt apud S. R. C., quatenus eisdem concedere dignaretur, ut possent continuare, et dicere, addendo *in Confiteor, et Litaniis Sanctorum, nomen S. Philippi* eorum Patriarchae, sicut hactenus consueverunt, ut moris est apud omnes Religiosos in Regno Portugalliae addendi *in Confiteor, et Litaniis nomen Sancti sui Patriarchae.*"

„Et eadem S. C. respondit: *Posse tolerari.*"

1675, 13 Jul., n. 2589, Forosempronien.

„S. R. C. censuit: *esse tolerandum usum recitandi SS. Rosarium cum Litaniis B. M. V. nempe si in dicendo Ave Maria, per modum continuationis replicetur Jesus Sancta Maria. Et si in fine litaniarum dicatur Regina Sacratissimi Rosarii, ideoque non posse prohiberi,* declaravit."

1677, 16 Jan., n. 2660, 2, Hispalen.

„2. Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis Reliquia Sancti alicujus, qui cum socio est in corpore Breviarii, et uterque habet festi simplicis ritum, veluti contingit in

festo SS. Gervasii, et Protasii, quorum duo lectiones vitam, amborumque mortem enarrant. Dubitatur: an praed. duae lectiones legendae sint in Officio duplici illius, cujus Reliquia habetur, vel sumendae sint de communi illius martyris, et de socio facienda tantum sit commemoratio absque nona lectione, eo quod primae Classis non sit praecipuum Officium, de quo loquitur Regula Tabulae suprad.: Si occurrat eodem die."

„S. C. respondit: *Si in hoc casu lectiones disjungi commode possunt, legenda est illa de Sancto, cujus fit Officium duplex propter Reliquiam insignem in 2 Nocturno, et erit 4 lectio, quinta et sexta sumendae sunt de communi; altera vero lectio poni poterit pro nona lect. in 3 Noct. tamquam de Sancto simplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes; si vero non possunt commode disjungi, utraque ponenda est in 2 Noct. pro 4 et 5 lect.: et 6 legenda est de communi, et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est; fieri tamen debet de eo commemoratio.*"

1677, 20 Nov., n. 2692, 2, 3 et 4, Mexicana.

„2. An Clerici, qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt tali Ecclesiae Cathedrali, possint celebrare, et recitare de tali Reliquia?" Agitur de insigni reliquia quae in Cathedrali matrice asservatur.

„3. An consuetudo in his huic Decreto (13 Jan. 1631, *supra pag. 96, 2*) contraria possit abrogare Decretum?"

„4. An privilegium Ecclesiae Cathedrali concessum recitandi Officium de SS^mo^ Sacramento feria V non impedita cujuscumque hebdomadae, comprehendat solos Clericos choro addictos, et Ecclesiae ipsius ministros, vel extendi possit ad alios Clericos in Civitate degentes, et etiam Dioecesis?"

Et S. R. C. respondit: „Ad 2. *Affirmative.* — Ad 3. *Negative.* — Ad 4. *Solos Clericos choro addictos, et ministros illius Ecclesiae.*"

1678, 7 Jul., n. 2715, 5, Taggen.

„5. An in Anniversario ordinato a Testatore, stante consuetudine, possit recitari Officium defunctorum cum Invitatorio, et uno tantum Nocturno, repetitis Antiphonis ad Nocturnum, et Laudes; an vero recitandi sint omnes tres Nocturni juxta Rubricam dicti officii?"

S. R. C. resp. „Ad 5. *Servandas Rubricas Ritualis et Breviarii.*"

1680, 31 Aug., n. 2778, dec. gen.

S. R. C. iterum jubet „*ut servetur imposterum praedictum Decretum* (id est 30 Jul. 1616) *de non apponendis in Martyrologio Romano, nisi Sanctis Canonizatis.*“

1680, 7 Sept., n. 2779, 7, Ord. Can. reg. later.

„Ad 9. *In anno Bisextili Officium particulare assignatum pro die 25 Feb. nisi esset Tituli vel Patroni Ecclesiae, transferendum est ad primam diem officio 9 LL. non impeditam; Officia S. Bartholomaei Apost. et S. Ludovici Regis sunt assignata Romae diebus 25 et 26 Aug.*“

1683, 20 Mart., n. 2870, 7, Ord. min. de observ.

„7. Cum ex declaratione hujus Sac. Congregationis Regulares teneantur recitare de Patrono Principali loci; an sub vi loci comprehendatur etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciae, de quo concessum est ab Apostolica Sede, ut a Clero tam Saeculari, quam Regulari in dictis locis recitetur?“

Resp. ad 7. „*Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione Apostolica.*“

1683, 24 Jun., n. 2876, 3, Albinganen.

S. R. C. resp. Ad 3. „*In Litaniis nihil addendum, nisi doceatur de Privilegio, seu licentia S. R. C.*“

1683, 24 Jul., n. 2880, 1, Ruremunden.

„1. An Invitatorium: *Hodie si vocem Domini audieritis nolite obdurare corda vestra:* tempore Passionis in Quadragesima debeat cantari sicuti alia Invitatoria extra tempus Passionis, scilicet sexies integre, et ter imperfecte hoc modo post versum: *Quadraginta annis proximus fui, etc. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, et omisso *Gloria Patri, nolite obdurare corda vestra,* et iterum repetatur integre: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Vide Gavantum Comment. in Rubricas Breviarii sect. 5, cap. 5?“

S. R. C. resp. Ad 1. „*Omissis* Gloria Patri, *etc., et* nolite obdurare corda vestra, *repeti debere integre Invitatorium, etc.* Hodie.“

1689, 20 Jul., n. 2973, 2, Tridentina.

„2. Quomodo regulari debeant Vesperae, si concurrant duo Pontifices Martyres, vel Pontifex Martyr cum Mart. non Pontifice, vel Martyr cum Confessore ...?“

Resp. „Ad 2. *Dignitas Personarum attendenda est in solis eorum Festis quae expressa sunt in eadem Rubrica dict. n. 2, verb. Inter Festa.*“

1687, 20 Sept., n. 3000, Tridentina.

„An ipsa die commemorationis omnium Fidelium defunctorum praesente cadavere, debeant cantari, et celebrari Missae omnium defunctorum de eodem die vel ut in die obitus?“

„Et S. C. juxta alias resoluta in Ulysbonen. 14 Apr, 1646 (1406) respondit: *Ultra Missam de communi defunctorum, cantandam esse Missam, ut in die obitus praesente cadavere defuncti; Missas autem privatas dicendas esse de communi.*“

1692, 13 Sept., n. 3140, dec. gen.

„Cum anno proxime venturo occurrat Festum S. Josephi in feria V majoris Hebdomadae, exortum fuit dubium, attenta universali consuetudine Ecclesiae celebrandi eo die unam tantum Missam, an una cum Officio ipsius S. Josephi transferri debeat anno praedicto, etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus? S. R. C. censuit: *Officium transferendum esse ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani, et Decreta ipsius Congregationis; caeterum praeceptum audiendi Missam, et vacandi ab operibus praedictis non esse transferendum, sed servandum esse (in) praedicta Feria V Majoris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae conventualis, celebrandae pro praecepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SS^{mi} Eucharistiae Sacramenti institutionem, et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur.* Et ita declaravit, *ac Decretum hujusmodi publicari, et imprimi* mandavit.“

1698, 22 Nov., n. 3350, Cremen.

„Die 20 Jan. Festi Sanctorum Fabiani et Sebastiani, de quibus in hac Ecclesia fiunt duo separata officia: Alterum hodie de S. Sebastiano Patrono minore sub ritu dup. maj., alterum de S. Fabiano sub ritu semidup. transfertur.“

Resp. *Festum S. Fabiani non esse transferendum, sed celebrandum una cum S. Sebastiano, et in reliquis servandas esse Rubricas.*“ Dicitur, *in reliquis:* quo Responso plures dimittuntur quaestiones propositae.

1706, 17 Jul., n. 3599, Urbis et Orbis.

„Occurrentibus Festis S. Marci fer. 2 post Pascha, et SS. Apost. Philippi et Jacobi Dominica in Albis, quaesitum fuit a S. R. C.: „Quodnam eorum debeat in translatione praeferri, et prius reponi?“

„S. C. censuit: *Praeferendum esse Officium S. Marci.*“

1706, 25 Sept., n. 3605, 4, Urbis et Orbis Novum Missale.

„4. An, quando occurrit translatio Sanctorum Philippi, et Jacobi post tempus Paschale, dicenda sit Missa cum Graduali, quod dicitur infra octavam Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: *Constitues eos Principes, etc.*, et Vers.: *Pro Patribus tuis, etc.*, et, an possit suppleri alio Graduali *Sanctorum Simonis, et Judae?*“

„Resp. *Affirmative quoad Graduale*, Constitues, *cum ultimo Versiculo*, Tanto tempore vobiscum sum, etc., *demptis* Alleluja, *et apponatur in Missali suo loco exemplo S. Hermenegildi.*“

1709, 8 Jun., n. 3660, 2, Bracharen.

„2. An diebus infra oct. SS. Trinitatis, ubi est Titulus Ecclesiae, et in Festis infra dictam octavam occurrentibus, debeat ad Primam dici Symbolum S. Athanasii?“

Resp. „Ad 2. *Negative.*“

1736, 23 Jul., n. 3895, 21, Einsidlen.

„21. Quae lectiones 1 Noct. sint legendae in Festo S. Alexii?“

Resp. „*Omnino de communi, et quae positae sunt primo loco, nisi aliae sint in eodem communi, quae magis sint accommodatae virtutibus, et rebus gestis Sanctorum, de quibus ea die fit Officium.*“

1738, 29 Nov., n. 3931, 2, Carthaginen.

„2. An, si Festum alicujus S. Martyris, habens in Missa proprium Evangelium, transferatur ad tempus Paschale, dici debeat idem proprium Evangelium, vel potius unum ex assignatis pro tempore Paschali?“

Resp. „Ad 2. *Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.*“

1741, 2 Sept., n. 3970, 8, 12, Aquen.

„8... Si Festum Stygmatum S. Francisci transferatur, fitne in Hymno aliqua mutatio? In festo S. Joachim nunc nonne dicendum est: *meruit supremos, etc.?*“

„12. In festo S. Theresiae, et in die Octava Dedicationis Ecclesiae Lectiones primi Nocturni suntne propriae, seu de communi, an de scriptura occurrente?"

„Ad 8... *In festo translato Stygmatum S. Francisci nulla est facienda mutatio in Hymno, quae quidem mutatio servanda modo est in Festo S. Joachim, Dominica infra Octavam Assumptionis celebrando.*"

„Ad 12. *In Festo S. Theresiae Lectiones primi Nocturni sunt de Scriptura occurrente, et in Octava Dedicationis sunt de communi.*"

1741, 16 Sept., n. 3973, 1, Panormitana.

„1. Festa Sanctorum Francisci Solani, Didaci Confessoris, ac Rosae Viterbiensis, quibus concessa est Octava, sunt in Panormitana Dioecesi perpetuo translata: An celebranda sint perpetuo sine Octava, si de ea nihil remanet; an cum residuo Octavae, si quid de ea remanet? vel an cum integra Octava attenta eorum perpetua translatione?"

R. „Ad 1. *Festa SS*rum *Francisci Solani, Didaci Conf. ac Rosae Viterbiensis ab assignato cuilibet eorum die perpetuo amota in Panormitana Dioecesi esse celebranda sine Octava, si de ea nihil remaneat, vel cum residuo illius, si de ipsa tantummodo dies supererunt.*"

1743, 19 Jan., n. 3987, 2, Ordinis eremit. Camald. montis Coronae.

„Cum apud nostros Camaldulenses tantum, celebretur die 16 Novembris Officium SSrum Martyrum Joannis et Benedicti, Eremitarum dictae Congregationis, jam a S. Sede specialiter eis indultum sub ritu duplici secundae Classis. Et cum die sequenti habeatur Officium S. Gertrudis V. jam concessum post annos pariter sub ritu dup. II Classis pro omnibus sub regula S. Patris Benedicti militantibus, dubitatur: utrum, stante Rubrica Tit. XI, num. 2 in fine de concurrentia, sit praeponendum, cum secundis Vesperis integris, Officium dictorum SSrum Martyrum, utpote celebrandum tantum in dicta Congregatione Camaldulensium, Officio dictae S. Gertrudis Virginis, quod celebratur generaliter in tota Religione Benedictina?"

R. Ad 2. *Esse praeponendum cum secundis Vesperis integris Officium SS. Martyrum Officio S. Gertrudis.*"

1743, 16 Octob., n. 4000, Urbis ...

„Benedictus PP. XIV ... inhaerens Decretis alias editis a S. R. C., et a Praedecessoribus suis Romanis Pontificibus

approbatis, declarat, *Quod commemorationi, quae in unaquaque Civitate, et Dioecesi ex laudabili consuetudine Rubricarum dispositione fit Sanctorum suorum Patronorum Principalium inter Suffragia Sanctorum post Laudes, et Vesperas in Divinis Officiis, quando commemorationes, sive Suffragia SS*rum *recitantur, tum Romae tum alibi, ubicumque SS. Apostoli Petrus, et Paulus, uti Patroni Principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam, seu communem, quae fit eorumdem in universa Ecclesia post commemorationem B*mae *Virginis Mariae.* Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit, et declarat."

1744, 22 Aug., n. 4011, 2, 3, 4 et 5, Cracovien.

Dubia 2, 3 et 4 satis exprimuntur in responsis. En dub. 5. „Utrum Ecclesia particularis, quae non potest facere de Festo die assignata tamquam propria pro tota Dioecesi, possit, ac debeat huic Festo aliam diem eligere tamquam propriam?"

Resp. „Ad 2. *Festa per annum duplicia, quae solemniter celebrantur a Choro, et in Populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum, et dignitatem, possunt habere integras Vesperas ad sensum Rubricae XI Breviarii Romani num. 2.*"

„Ad 3. *Non dedecet assignari Festis etiam semiduplicibus, a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis, dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrente Festo non impeditos, qui dies habeantur, et sint in posterum sedes fixa talium translatorum.*"

„Ad 4. *Cum aliquod Festum jam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut caetera alia Festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur; ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur.*"

„Ad 5. *Affirmative, cum approbatione tamen R*mi *Episcopi loci Ordinarii circa electionem diei.*"

1745, 4 Sept., n. 4026, 5, Aquen.

„5. In Ecclesiis, in quibus Patronus, aut Titularis in Calendario Romano invenitur descriptus cum aliis Sanctis, et quidem conjunctione non arbitraria, sed necessaria, quia socii fuerunt et laborum, et Martyrii ipsius; Officium est ne recitandum de pluribus Martyribus, an de uno Martyre, reliquis ad aliam diem translatis? Ver. g. ubi

S. Dionysius est Patronus (multae sunt in hac Dioecesi tales Ecclesiae) habenturque Reliquiae illius tantum, die 9 Octobris Officium estne recitandum de eo solo? Hoc supposito, estne omittenda haec phrasis in Collecta: *Quique illi ad praedicandum gentibus gloriam tuam, Rusticum, et Eleutherium sociare dignatus es?* Eo in casu Officium SS^rum^ Rustici, et Eleutherii, quod erit tantummodo semiduplex, eritne transferendum post Octavam S. Dionysii (cum dies 10 Octobris sit impedita Festo novem Lectionum) an poterit figi ad diem 11? ..."

R. „Ad 5. *Posse recitari de uno Sancto, scilicet de S. Dionysio, ut in Calendario Basilicae Patriarchalis S. Joannis in Laterano Urbis pro ipsomet S. Dionysio, in qua Basilica servatur humerus praefati S. Dionysii, fit Officium S. Dionysii tantum et dicitur sequens Oratio:* Oremus. Deus, qui hodierna die B. Dionysium Martyrem tuum, atque Pontificem virtute constantiae in Passione roborasti, tribue nobis, quaesumus, ejusdem imitatione pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Deum, etc. *Et in eo casu transfertur Officium SS^rum^ Rustici, et Eleutherii in diem 10 Octobris ad normam praefatae Basilicae cum Oratione de communi:* Deus, qui nos concedis, etc., *tamquam propriam diem in perpetuo assignatam, neque vero transferri debet extra Octavam. Et Officium S. Francisci Borgiae, quod cadit die 10 Octobris, tamquam recentius concessum, transferatur in primam diem etiam infra Octavam non impeditam..*"

Eodem anno et die, n. 4027, 1, Pernambucen.

„1. An universa Dioecesis teneatur ad celebrandum sub ritu primae Classis cum octava de Festo Transfigurationis Domini, quia est Ecclesiae Cathedralis, et Civitatis Titularis?"

S. R. C. resp.: *Affirmative.*

1746, 7 Mai., n. 4032, 11, Varsavien.

„11. Exposito SS^mo^ Sacramento in Altari majori dum sub *Magnificat* in Vesperis idem Altare majus incensatur, an debeant etiam incensari alia Altaria ex eo, quod incongruum esse videtur relinquere in Altari expositum SS^mum^, et utrum thurificato Altari majore, ubi est SS^mum^, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris in quo est reconditum SS^mum^ in ciborio?"

R. „Ad 11. *Non esse thure adolenda alia Altaria, licet alibi SS. Sacramentum asservetur.*“

1749, 11 Jan., n. 4049, 5, Ord. excalc. S. Aug.

„5. Ubi habentur insignes Reliquiae SS[rum] Virginum et Martyrum a Societate S. Ursulae, *Fieri debet Officium duplex de SS. Ursula et Sociis cum sola commemoratione S. Hilarionis, sicuti fit Romae in Patriarchali Ecclesia S. Mariae Majoris, ubi asservatur caput unius ex Sociis S. Ursulae. Et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis Ecclesiis, in quibus Festum SS[rum] Ursulae, et Sociarum aliunde esset duplex, vel semiduplex.*“

1761, 3 Mart., n. 4150, 8 et 9, Aquen.

„8. In Officio translationis Almae Domus Lauretanae, et Exspectationis Partus, Octava benedictio debetne dici: *Cujus festum colimus, ipsa Virgo Virginum, etc.,* an *Divinum auxilium, etc.?*“

„9. Item in Praefatione Missae exspectationis, dicendum est: *Et te in exspectatione Partus B. M. V. collaudare, etc.* Pariterque in Missa Rosarii dicendumne: *Et te in Solemnitate Rosarii, etc.,* vel suntne omittenda haec duo verba?“

R. „Ad 8. *In Officiis translationis almae Domus Lauretanae et Exspectationis Partus, Octava benedictio debet esse:* Cujus Festum colimus, ipsa virgo Virginum. *Vere enim sunt festa B. M. V.*“

„Ad 9. *In praefatione Missae Exspectationis partus, dicendum est:* Et te in exspectatione Beatae Mariae semper Virginis; *Et in Festo Rosarii dicendum est.* Et te in solemnitate Beatae Mariae semper Virginis, *omissis verbis* Partus, *et* Rosarii.“

1771, 17 Aug., n. 4208, 3, Ord. erem. excalc. S. Aug., etc.

In dubio 3, tribus expositis opinionibus de modo ordinandi Officium in II Vesp. diei Octavae Corporis Christi concurrentibus cum primis Vesp. Festi SS. Cordis dup. maj., quaeritur „quid agendum in dictarum Vesperarum concurrentia, et quinam color sit adhibendus in Missa Cordis Jesu, albusne vel rubeus?“

R. „Ad 3. *Integras Vesperas recitandas esse diei Octavae Corporis Christi absque commemoratione Cordis Jesu, et utendum colore albo.*“

Cum alterutrum Officium, utpote de eodem objecto *(pag. 334 etc.)*, sit prorsus omittendum, praefertur illud

quod in concurrentia alteri praevalet, quamvis sit minoris ritus, ut in casu *(Tit. XI, 7)*. Unde regula, data *pag. 334* cum Deherdt, de recitandis integris Vesperis Officii quod est majoris ritus, intelligenda est, secluso privilegio praeferentiae.

1779, 27 Mart., n. 4244, Ord. min. Observ., etc.

„7. An quando habentur tria Officia translata, unum classicum, alterum dup. maj., et tertium dup. min., quodnam ex iis reponi debeat in die commemorationis omnium defunctorum, vel potius faciendum sit de die octava omnium Sanctorum?“

„13. In pluribus locis hebdomada quinta Novembris ob multitudinem Officiorum habentium lectiones primi Nocturni proprias, vel de communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus initiis Prophetarum minorum, quamvis tria initia uno die recitentur. Quaeritur: an in casu omittenda sint initia, quae locum habere non possunt, vel dicenda sint in Officio semiduplici, et duplici majori, vel minori, licet habeant lectiones primi Nocturni proprias, vel de communi?“

R. „Ad 7. *Nullum ex translatis esse admittendum.*“ Cf. dicta *pag. 437*.

„Ad 13. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*“

1790, 11 Sept., n. 4293, 5, Barcinonen.

„5. Cum ex Apostolica concessione in omnibus Dominiis Hispaniarum Regi subjectis celebretur ritu dupl. maj. Festum Patrocinii B. M. V. in aliqua Dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quae in Dioecesi Barcinonensi, aliisque, est Dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem Dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi, et Martyris Patroni principalis; quaeritur: Utrum recitandum sit Officium Patrocinii B. M. V. cum commemoratione Octavae, an potius Officium de Octava, translato, vel omisso pro anno illo Officio Patrocinii?“

„R. Ad 5. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam; Officium vero Patrocinii non omittendum, sed transferendum in primam diem non impeditam, juxta Rubricas.*“

1793, 31 Aug., n. 4307, Lucana.

„Cum in Ecclesia parochiali S. Michaëlis Archangeli vulgo nuncupata di Fibialla Dioecèsis Lucanae, ab antiquo

tempore invaluerit usus, quod Diaconus, et Subdiaconus in Vesperis solemnibus praestent assistentiam Celebranti non induti Pluvialibus, sed Tunicella, et Dalmatica, modo Sacerdos Aloysius Lignani praefatae Ecclesiae Parochus humillime supplicavit S. R. C., ut attentis peculiaribus circumstantiis, liceret continuare in eadem consuetudine?"

„R. C. resp.: *Arbitrio R^mi Archiepiscopi.*"

1801, 2 Mai., n. 4325, 9, Carthaginen. seu etc.

„9. An Homilia propria, quae habetur in Festo Sanctorum septem fratrum, et Sociorum Martyrum, legenda sit quando de eorum uno tantum fieri debet Festum?"

Resp. „Ad 9. *Si Officium celebrandum sit sub ritu dupl. I vel II Classis, doceatur de casu particulari: si sub ritu inferiori, non esse separandum Festum Sanctorum septem Fratrum* (10 Jul.) *sed de omnibus Officium conjunctim peragendum sub eo ritu convenienti uni ex septem Fratribus, cujus peculiaris Festivitas peragitur, translato, juxta Rubricas, Festo Sanctarum Rufinae, et Secundae.*"

1801, 16 Sept., n. 4328, Romana, seu Urbis Ecclesiae S. Ignatii.

Cujus Ecclesiae Praeses humillimis precibus petiit a S. R. C. resolutionem infrascriptorum dubiorum. „1. An in Ecclesiis, in quibus expositum manet SS^mum Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi, in turno perpetuae orationis, quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam Missas privatas itidem defunctorum?

„2. Et quatenus affirmative: an adhiberi debeant paramenta coloris violacei potius quam coloris nigri?

„3. Et an in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SS^mum Sacramentum?"

Resp. „Ad 1. *Affirmative.* — Ad 2. *Arbitrio superioris localis.* — Ad 3. *Affirmative.*"

1802, 9 Apr., Indultum reductionis Festorum.

„Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter, Cardinalis Caprara, Archiepiscopus Aesinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae VII, et sanctae Sedis Apostolicae ad Primum Galliarum Reipublicae Consulem a latere Legatus.

„Apostolicae Sedis, cui Ecclesiarum omnium sollicitudo

a Domino nostro Jesu Christo imposita fuit, officium est, servandae ecclesiasticae disciplinae rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportune ac suaviter provideatur. Id prae oculis habens sanctissimus Dominus noster Pius divina providentia Papa VII, ad caeteras animi sui curas, quas pro gallicanis Ecclesiis suscepit, eam quoque adjecit, ut quid in novo rerum ordine, quod ad festos dies constituere oporteret, deliberandum sibi proponeret. Notum siquidem Sanctitati Suae in primis erat, in tanta regionum latitudine, quae gallicanae reipublicae territorium constituunt, non unam hac in re, eamdemque consuetudinem viguisse, sed alios in aliis dioecesibus festos dies custoditos fuisse. Animadvertebat praeterea, populis, qui ejusdem Reipublicae Gubernio subjacent, magnam esse post tantos bellorum eventus, earum rerum reparandarum necessitatem, quae ad commercium pertinent, ac vitae usus; quibus quidem reparandis propter interdictum diebus festis manuum laborem, eorumdemque dierum numerum, non ita facilis via pateret. Denique et illud non sine magno animi dolore expendebat, non eadem ubique pietate hisce in regionibus festos hucusque dies observatos fuisse; ut propterea ob neglectam pluribus in locis festorum dierum religionem, non parvum in bonos, piosque fideles scandalum dimanaret.

„His ergo omnibus perpensis, et mature libratis, factum est, ut e re tum christiana, tum publica futurum judicaverit, si status quidem festorum dierum numerus (isque quo contractior fieri posset), in toto Reipublicae territorio retinendus constitueretur, ut et omnes qui iisdem legibus continentur, aequalitate firmata, eamdem disciplinam tenerent, et eorum dierum imminutione cum levari posset multorum necessitas, tum facilior eorum qui reliqui fierent, observatio redderetur. Quare cum ad haec primi etiam Reipublicae Consulis desideria, et postulata accesserint, nobis uti ejusdem Sanctitatis suae a latere Legato injunxit, ut de Apostolicae potestatis plenitudine, festorum dierum, qui iidem dominici non sint, numerum ad eos tantum in universo Galliarum Reipublicae territorio contractos esse declararemus, quos ad calcem Indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac in reliquis festi diebus omnes ejusdem incolae non solum a praecepto audiendi missam vacandique ab operibus servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in

30 *

diebus, qui festa hujusmodi proxime praecedunt, prorsus absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in festis diebus vigiliisque eos praecedentibus, quae suppressae decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniae Domini, sanctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum Patronorum cujuslibet dioecesis et paraeciae, quae in dominica proxime occurrente in omnibus Ecclesiis celebrabuntur.

„Ad honorem autem SS. Apostolorum et Martyrum Sanctitas sua praecipit, ut tum in publica, tum in privata horarum canonicarum recitatione omnes, qui ad illas tenentur, in solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli, sanctorum omnium Apostolorum; in festivitate vero S. Stephani Protomartyris, omnium Sanctorum Martyrum commemorationem faciant, quod idem in missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. Eadem pariter Sanctitas Sua mandat, ut anniversarium Dedicationis templorum, quae in ejusdem Gallicanae Reipublicae territorio erecta sunt, in dominica quae Octavam festivitatis omnium Sanctorum proxime sequetur, in cunctis gallicanis Ecclesiis celebretur.

„Quamvis vero aequum esset, ut in diebus festis sic abrogatis praeceptum saltem audiendi Missam retineretur, ut tamen Galliarum populi vere paternam Sanctitatis suae in omnes charitatem magis agnoscant, hortatur solum, atque eos praesertim, qui victum parare sibi labore manuum minime coguntur, ut iis diebus sacrosancto Missae sacrificio haud negligant interesse.

„Illud denique Sanctitas sua a religione ac pietate Gallorum sibi pollicetur, ut quo minor in posterum futurus erit tum dierum festorum, tum jejuniorum numerus, eo majori studio, fervore ac diligentia paucos illos, qui supererunt observaturi sint, illud sedulo animo reputantes, christiano nomine indignum esse quisquis Christi et Ecclesiae ejus mandata, qua par est cura, non custodit. Ut enim praeclare scriptum est ab Apostolo Joanne: *Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.*

„Dies festi praeter dominicos in Galliis observandi:

Nativitas D. N. J. C. Ascensio, Assumptio B. M. V., Festum Sanctorum omnium."

Datum Parisiis, ex aedibus nostrae residentiae, hac die 9 Aprilis 1802.

J. B. Card. Caprara, Legatus.
J. A. Sala, Apost. Legat. Secretarius.

1804, 21 Jun.

Cum D. Forgeur, Vicarius Gen. Mechlinien. exposuisset varias exortas fuisse difficultates, occasione praefati Indulti, Em. Card. Caprara, die 21 Jun. 1804, sequens dedit decretum: „Quoad ordinem servandum in celebratione divinorum officiorum, postquam variae festivitates vigore apostolici Indulti ad alias dies translatae fuerunt, nos sequentes tradimus regulas, quibus omnia opportune disponi poterunt.

„1° Officia Epiphaniae Domini, sanctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum Patronorum cujuslibet dioecesis et paraeciae recitanda erunt a clero tam privatim, quam publice in Ecclesiis, et Missa de eisdem festis dicenda in proprio suo die.

„2° In dicto proprio die fideles neque ad audiendam Missam, neque ad abstinendum a servilibus operibus obligati erunt.

„3° *Sola solemnitas praefatorum festorum differtur in Dominicam subsequentem* in qua officium quidem a clero tam publice quam privatim, et missa recitabitur juxta rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem; canetur tamen una missa solemnis de festo illo, more votivo cum unica oratione: minime omissa in Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, in quibus officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, altera Missa conventuali de festo occurrente.

„4° Jejunium vigiliae SS. Apostolorum Petri et Pauli observabitur in sabbato ante Dominicam solemnitatis dictorum SS. Apostolorum.

„5° In Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, in Quadragesima, feriisque quatuor temporum manet jejunium.

„6° Omnia alia jejunia, ac etiam illa quae in aliis indultis Apostolicis reductionis festorum conservata sunt pro aliquibus locis quae nunc territorio Reipublicae Gallicanae unita sunt, suppressa sunt.

„7° Dominica quae subsequitur diem octavam omnium Sanctorum celebrabitur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum.

„8° Processiones SS^{mi} Corporis Christi incipientur in dominica in qua solemnitas ejusdem festi refertur, et in dominica sequenti finem habebunt.

Datum Parisiis ex aedibus nostrae residentiae, hac die 21 Junii 1804.

Signatum erat: J. B. Card., *Legat., et* J. A. Sala, *apostolicae legationis secret.*" Cf. Dec. 29 Nov. 1831, n. 4522, *Rhedonen.*, et *Coenomanen.* Quae autem in hac declaratione et in praecedenti decreto statuuntur circa Missam, explicantur, *tom. II.*

1806, 20 Sept., n. 4350, 9 et 10, Brixien.

„10. An, occurrente Festo S. Andreae Ap. in Dom. I Adv., transferri debeat tamquam in diem propriam in primam diem Decemb. . . ?"

Resp. „Ad 9 et 10. *Negative . . . et servetur ordo Tabellae excerptae ex Rubricis generalibus Breviario Romano praemissae.*"

1818, 22 Aug., n. 4399, VI, Hispalen.

„VI. An in Festo Patrocinii B. M. V. cum transfertur ad Adventum, Officium sumi debeat ex dicto tempore, vel potius de Festo B. M. V. ad Nives? Et cum in aliquibus Breviariis in Antiphona ad Magnificat, et Responsorio VIII legatur: „Tuum Sanctum Patrocinium", et in aliis „Tuam Sanctam Festivitatem"; quaeritur, quaenam ex his duabus Lectionibus amplecti debeat?"

Resp. „Ad VI. *Nihil immutandum praeter IX Antiphon.: subrogatur* Angelus Domini, etc., *et Vers. Gradualis in Missa. In Antiphona, et Responsorio legendum:* Tuum Sanctum Patrocinium." Vid. *pag. 438.*

1819, 15 Mai., n. 4409, 1, Regni Hispaniarum.

Hoc dec. habetur in nota, *pag. 69 sq.*

1821, 3 Apr., n. 4428, 8, Decretum generale.

„8. An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum, vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum approbatione Ordinario nullatenus constet, in Ecclesiis canere, vel recitare?"

Resp. „Ad 8. *Negative, et serventur omnino Decreta Sacrae Congregationis, curentque Ordinarii colligere, et vetare*

formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Litaniarum, de quarum approbatione non constat."

„Et quoniam de Litaniis sermo est, quum Sacrae Congregationi innotuerit aliquibus in Ecclesiis, praesertim occasione Orationis quadraginta Horarum, Libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum Nomina addita conspiciuntur, vel unus, aut alter versiculus in precibus desideratur; idcirco Sacra Congregatio, inhaerendo memoratae Instructioni Clementis PP. XI, § XXIV, praecipit, ne alii adhibeantur Libelli, nisi typis Reverendae Camerae Apostolicae impressi, vel eisdem plane conformes."

Hoc et praecedentia Responsa Sum. Pontifex Pius VII *„approbavit, confirmavitque, atque, ut cunctis pateant, Decretum Generale desuper expediri, typisque evulgari mandavit. Die 3 Aprilis 1821."*

1823, 12 Apr., n. 4444, 6, Panormitana.

„VI. An Festis secundariis Sanctorum Angelorum, S. Joannis Baptistae, S. Joseph, et SS. Apostolorum, concurrentibus cum Sanctis ejusdem ritus, sed inferioris dignitatis, Vesperae sint dimidiandae, vel integrae persolvendae de Sanctis Angelis, de S. Joanne Baptista, de S. Joseph, et de Sanctis Apostolis?"

R. „Ad 6. *Si Festa sint rit. dup. maj., servetur Tabella concurrentiae ad num. 6; si sint rit. dup. min. servetur eadem Tabella num. 5."*

1824, 27 Mart., n. 4452, 1 et 4, Panormitana.

„Aliquando de Dom. 2ª post Epiphaniam anticipata *(pag. 386)* fieri non potest in sabbato; et feriis praecedentibus, alias liberis, occurrit dies infra Octavam, puta Patroni: de hujusmodi casu quaesitum est a S. R. C. „1. An Officium dictae Dominicae secundae faciendum sit in supradicta die infra Octavam, sine commemoratione Octavae, sed cum precibus, suffragiis, et commemoratione de Cruce, sicut fit quando in aliqua die infra Octavam Sanctae Scholasticae, et Sancti Benedicti Abbatis occurrit Dominica Quadragesimae, et in Choro recitandum sit Officium B. M. V. et Defunctorum pro prima die mensis non impedita: et in Cathedrali, et Collegiatis dicendae sint duae Missae."

„4. Vel si post Octavam Epiphaniae occurrat supradicta dies infra Octavam in una die, et semiduplex in altera die, Officium Dominicae 2ªᵉ reponendum in die, in

qua faciendum est de die infra Octavam? vel in die in qua occurrit semiduplex?"

R. „Ad 1. *Affirmative.*"

„Ad 4. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*"

1824, eadem die, n. 4454, 1, 2, Resolutionis dubiorum.

„1. An in II Vesp. Dominicae SS^{mae} Trinitatis concurrentibus cum Festo primae vel secundae Classis, fieri debeat commemoratio de Dominica?"

„2. An occurrente in Octava SS^{mi} Corporis Christi Festo Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis, aut Tituli Ecclesiae, Patroni principalis, aut alterius cujuscumque Festi dupl. primae Classis, fieri debeat in secundis Vesperis Commemoratio de eadem Octava, an potius sequentis Festi Sacri Cordis Jesu?"

R. „Ad 1. *Negative.*"

„Ad 2. *Affirmative ad 1 partem, Negative ad* 2^{am}."

1827, 22 Sept., n. 4482, Alexandrina.

„Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel, atque iterum est; an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii Defunctorum, et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus, ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus, aliqui affirmant, et diversis, ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur. Totius rationis ratio quum in eo sita sit, ut Apostolicis Litteris diei 1 Junii 1803, Alexandriae Capitulum suppressum, extinctumque fuerit, et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Litteris diei 2 Augusti 1817, iterum in Capitulum erectum, per illam suppressionem, omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment.. ." Quaeritur:

„*An attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Officium parvum Beatae Mariae Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales, et Poenitentiales in Cathedrali Alexandrina, atque adeo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint, eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?*"

R. „*Juxta votum*, nimirum:

„*Attenta vigente olim consuetudine, teneri Canonicos Officia*

et Psalmos, ut in Dubio, recitare ac servanda esse hujus Sacrae Congregationis Decreta."

1828, 16 Decemb., n. 4496, 7, Volaterana.

„7. An (excepto die tertio, septimo, trigesimo, et Anniversario) in dup. maj. liceat canere officium defunctorum, et facere absolutionem ad tumulum, et an liceat (excepto die obitus) in Octavis privilegiatis?"

R. „Ad 7. *Affirmative ad primam partem, si agatur de Officio per testamentariam dispositionem in die obitus assignato; ac recitari posse Officium etiam in die tertio, septimo, et trigesimo, plene absoluto Officio diei. Negative quoad secundam partem.*"

1831, 12 Nov., n. 4520, 34, 41, 42, 44, 45, 49, 51, Marsorum.

„34. An Festum Titularis Cappellarum publicarum, et Oratoriorum, quae existunt in Aedibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium, domibusque privatis celebrari debeat sub ritu duplicis primae Classis cum Credo, et Octava? Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiae?"

„41. Civitates, et Oppida, quae jam habent Patronum principalem debentne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis dioecesis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine?"

„42. Quum duo vel plures Officium Divinum privatim recitant debentne ad *Confiteor* omittere verba illa *vobis fratres*, et *vos fratres: misereatur tui*, et *misereatur vestri,* sicut quando unus tantum illud recitat?"

„44. Preces feriales, et Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus suntne recitandae? An vero damnandi, qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt?"

„45. Juxta Rubricam Breviarii tit. 36, num. 3, et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis die 7 Septembris 1816 et 25 Augusti 1818 Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis praeter tempus Paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra Annum a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis ipsius Dominicae. Quaeritur ergo 1. a qua hora Sabbati incipiant primae Vesperae tam in Quadragesima, quam aliis Temporibus. 2. An hic

occasus Solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum. 3. An a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis in Dominica semper standum sit etiamsi non recitetur Officium Dominicae, sed vel Sabbati, vel feriae secundae. 4. Utrum sit genuflectendum, si post occasum Solis Officium Dominicae recitetur?"

„49. In aliquibus Breviariis, et Missalibus Orationes Sancti Juliani, Sancti Fidelis, Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, Sancti Bernardini, Sancti Hieronymi, Aemiliani, Sanctae Joannae Franciscae, Postcommunio Sancti Januarii, Octavae Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriae quartae post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus Sancti:* quaeritur an nomen *Spiritus* quod in iis Orationibus legitur indicet revera Spiritum Sanctum, et quomodo sint concludendae?"

„51. Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti tam expositi, quam in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris?"

R. „Ad 34. *Negative.*"

„Ad 41. *Affirmative ad primam partem, seu continuationem Officii; negative quoad secundam, seu quoad obligationem utriusque praecepti juxta Decreta alias edita.*"

„Ad 42. *Possunt, et non debent.*"

„Ad 44. *In Choro tantum juxta Rubricas.*"

„Ad 45. *Serventur Rubricae et ad quaest. 1, consulantur Theologi: ad quaest. 2, affirmative; ad quaest. 3, affirmative; ad quaest. 4, negative.*"

„Ad 49. *Negative ad 1 partem; ideoque quoad 2, more solito concludendae.*"

„Ad 51. *Serventur Rubricae. Sed in accessu, et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu Altaris quoties genuflectere occurrat.*" Cf. pag. 361.

1832, 28 Jul., n. 4545, 4, Brixien.

„4. Quaeritur quo modo concludi debeat, extra tempus Paschale, Hymnus: *Veni Creator Spiritus?*"

R. „Ad 4. *Dicenda Stropha:* Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio."

1835, 23 Mai., n. 4597, 6 et 8, Namurcen.

„6. Quando substituenda est Homilia Dominicae, Vigiliae, etc., aut Lectio Simplicis nonae Lectioni Festi, quod

habet novem Lectiones, an quandoque praecipitur, aut convenit nonam Lectionem Festi jungi octavae, puta quum nona Lectio continet laudem propriam Sancti, vel Sanctorum, de quibus fit Officium, ut in Officio Sancti Joseph, Septem Fratrum, sanctorum Martyrum Nerei, Achillei, etc., et in similibus?"

„8. Si S. Joannes Cantius non habeat secundas Vesperas integras, an Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in Laudibus? 2. Si contingat Festa Sancti Venantii die 18 Maii, et Sanctae Julianae Falconieri die 19 Junii ita transferri, ut habeant secundas Vesperas integras, an Hymnus proprius primarum Vesperarum repetendus est in secundis Vesperis?"

R. „Ad 6. *Debere jungi, si sint historicae, secus convenientius posse.*"

„Ad 8. *Affirmative in omnibus.*"

Hujus decreti necnon alterius, 12 Nov. 1831, ratio est *a)* ne omittantur Hymni historici, qui aliquando impediuntur propter concurrentiam; et *b)* ne invertatur ordo historicus qui in hujusmodi Hymnis tenetur. Haec latius explicata, exemplis adductis, reperies apud Cav. *tom. 2, dec. 335.*

1835, 8 Aug., n. 4618, 4 et 5, ord. min. cappuc.

„4. An in Lectione Martyrologii annuncianda sint Officia votiva persolvenda insequentibus diebus?"

„5. An item annuncianda sint per accidens translata?"

R. „Ad 4. *Affirmative juxta Rubricas, et alias decreta.*"

„Ad 5. *Ut ad proximum.*"

1837, 23 Sept., Tornacen.

Exponuntur casus similes iis qui proponuntur in *Mechlin. seq.* Et S. R. C. Resp. „Quoad Officium Dedicationis Ecclesiarum, servandum decretum in *Namurcen.* die 23 Maii 1835, ad dubium XIV quaestione V." Hoc Decretum legitur initio Calendarii Eccl. Tornacen. ann. 1838. Sensus autem Responsi est: Officium esse peragendum sicut ante reductionem. Cf. *Namurcen. cit.*

1838, 1 Sept., n. 4693, 11, Mechlinien.

Praxis II exponitur de modo celebrandi Anniversarium Ecclesiarum, post Indultum pro reductione Festorum 9 Apr. 1802, et ejusdem declarationem 21 Jun. 1804. „In Archidioecesi Mechliniensi, et in omnibus fere Dioecesibus Belgii, omnes obligati ad horas Canonicas, etiam illi, qui

nulli Ecclesiae sunt adscripti, vel qui adscripti sunt Ecclesiae non consecratae, uno, eodemque die, nempe Dominica prima post Octavam omnium Sanctorum celebrant Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae, seu Cathedralis, et omnium Ecclesiarum in cumulo sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, ita ut per praefatum Indultum censeantur suppressa omnia Decreta Sacrorum Rituum Congregationis huic dispositioni contraria. Alibi Sacerdotes, qui non sunt adscripti alicui Ecclesiae consecratae celebrant tantum Dedicationem Ecclesiae Cathedralis in Civitate cum Octava, et extra civitatem sine Octava eadem illa Dominica, quae a Sanctissimo Domino Pio VII. Anniversario Dedicationis est assignata. Quaeritur ergo:

1. Uter modus celebrandi Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum sit servandus?

Resp. „Quoad 2 *Praxim, ad uniformitatem obtinendam, Anniversarium hujusmodi celebrandum esse ab omnibus ut in cathedrali, et civitate Mechliniensi.*"

„Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Clero Archidioecesis Mechliniensis."

Circa hoc mandatum S. C. notare juvat formulam longe diversam usurpari pro responsis, de eisdem Indulto et declaratione datis 29 Nov. 1831, *Rhedonen. et Coenomanen.*, n. 4522. Ibi enim Responsa „servari mandantur omnibus in Locis et Dioecesibus, queis Indultum anni 1804 super reductione Festorum per Em. D. Card. Caprara Legatum a Latere extenditur." Cf. Dec. 12 Sept. 1840, n. 4750, 4, *Brugen.*

1838, eadem die, n. 4696, 8, Congreg. SS. Redempt.

„8. Quomodo terminentur Hymni in Festo SS. Cordis D. N. J. C., quum in Missa — *Egredimini* — dicenda sit Praefatio de Nativitate?"

R. „Ad 8. *Ut in festo B. M. Virginis.*"

1839, 3 Aug., n. 4713, 5, Piscien.

„5. Juxta Decretum Urbis, et Orbis diei 5 Augusti 1807, sequenti anno additum fuit Calendario Officium in honorem Sancti Francisci Caracciolo cum Missa — *Os justi* — de Communi. In Calendariis aliorum Dioecesium, assignatur Missa propria concessa altero Decreto diei 25 Novembris eodem Anno 1807. Quaenam legenda?"

R. „Ad 5. *Esse legendam Missam propriam juxta Decretum diei 25 Novemb. 1807.*"

1840, 12 Sept., n. 4750, 3, 4 et 5, Brugen.

„3. Aliqui Sacerdotes nulli adscripti Ecclesiae pro commemoratione, quae praescribitur facienda de Patrono, vel Titulari Ecclesiae, commemorationem faciunt de Patrono vel Titulari Ecclesiae Cathedralis: alii vero commemorationem faciunt de Patrono, vel Titulari Ecclesiae Parochialis, sub qua degunt: quaenam praxis menti Rubricarum est conformior?“

„4. Decretum in Mechlinien. de die 1 Septembris 1838 praescribit ut Sacerdotes nulli, vel non consecratae Ecclesiae adscripti propter uniformitatem Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum celebrent cum Octava ut in Cathedrali, et in Civitate Mechliniensi. Quum hoc Decretum videatur solummodo applicandum Archidioecesi Mechliniensi, petitur ut propter eamdem rationem etiam extendatur ad Dioecesim Brugensem?“

„5. Juxta Decretum Em. Card. Caprara die 21 Junii 1804 praescribitur ut Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum celebretur Dominica, quae subsequitur diem octavam festi omnium Sanctorum: interdum ista die Dominica occurrit Festum Sancti Martini, vel Sancti Patroni, et Titularis Ecclesiae, aut Patroni loci. Decretum vero Sacrorum Rituum Congregationis editum die 21 Augusti 1688, statuit Festum Patroni, et Dedicationis esse ejusdem dignitatis: petitur ergo de quo in casu occurrentiae faciendum sit Officium, et, si differendum sit Officium Dedicationis, utrum possit reponi in Dominicam sequentem?“

Resp. „Ad 3. *Faciendam esse commemorationem Patroni Civitatis, vel Loci.*“

„Ad 4. *Pro gratia instar concessionis factae Clero Mechliniensi, die 1 Septembris 1838.*“

„Ad 5. *Faciendum de Dedicatione in casu juxta Decretum Majoricen. diei 8 Augusti 1643 ad dubium III, et Festum Patroni transferendum juxta Rubricas.*“

1840, 12 Sept., n. 4753, 3, Ord. excalc. SS. Trin. Redempt. capt.

„3. Num reponendum sit Officium semiduplex alicujus Sancti in diem immediate sequentem (quemadmodum Rubrica de translatione Festorum n. 5 innuere videtur), quamvis Officium aliquod duplex prius translatum reponendum habeatur?“

R. „Ad 3. *Affirmative, sed solum quando semiduplex incidat in Dominicam, quae est intra Octavam non privilegiatam juxta Generale Decretum diei 22 Decembris 1696.*“

1840, 12 Sept., n. 4763, II, Mechlinien.

„Dubium II. In aliquibus Ecclesiis Dioecesis Mechlinien., ubi Sancta Maria Magdalena colitur ritu duplicis primae Classis cum Octava tamquam dies 30 mensis Julii erat antehac assignata Festo Sanctae Marthae, quum dies 29 esset perpetuo impedita ratione octavae Sanctae Mariae Magdalenae. Verum ab Anno 1839, Festum Sancti Alexii translatum fuit pro tota Dioecesi a die 17 Julii ad diem 30 ejusdem mensis, tamquam in diem fixam; ideoque in particularibus illis Ecclesiis, de quibus supra, die 11 mensis Augusti, utpote prima dies non impedita erat assignata Festo Sanctae Marthae. Quum autem ex Decreto Urbis et Orbis, Festum Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio in posterum sit celebrandum praedicta die, quaeritur:

„1. An huic novo Festo alia dies sit assignanda in particularibus illis Ecclesiis, ubi die 11 Augusti celebratur Festum Sanctae Marthae, an vero Festum Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio sit praeferendum, et Festum Sanctae Marthae ulterius transferendum ad primam diem non impeditam?“

„2. Quid, si alicubi die secunda Augusti hactenus celebrari consueverit Festum aequalis, aut altioris ritus ex. gr. Sancti Petri ad Vincula in Ecclesiis, ubi prima Augusti celebrari debet dies octava Sancti Jacobi Apostoli tamquam Patroni?“

R. „Ad II. *Quoad primam quaestionem: Negative ad primam partem: affirmative ad secundam. Quoad secundam: Quum sint translata ulterius progrediantur juxta Rubricas: dies enim secunda Augusti est propria Sancti Alphonsi Mariae de Ligori.*“ Cf. dicta *pag.* 253.

1842, 16 Apr., n. 4795, 3 et 4, Ord. Carm. discal. in Hib.

„3. Utrum Regulares, qui Sedis Apostolicae Indultum impetraverint dedicationem omnium Hiberniae, nec non suorum Ordinum Ecclesiarum celebrandi, possint et debeant Dedicationem quoque Ecclesiae Cathedralis illius, in qua degunt Dioecesis, absque Sedis Apostolicae speciali Indulto celebrare, quum Clerus Saecularis, ut jam dictum

est, dedicationem omnium Ecclesiarum Hiberniae quotannis celebret?"

„4. An teneantur, vel possint praeterea Cleri Saecularis Sacerdotes, et alii propriae suae Ecclesiae dedicationem celebrare, sive Cathedralis illa sit, sive quaevis alia?"

R. „Ad 3 et 4. *Dilata, et ad Mentem. Mens est ut per Sacram Congregationem de Propaganda Fide scribatur Archiepiscopis Dublinensi, et Tuamensi, nec non Episcopo Galvaniensi per modum Instructionis, qua dicatur ad eamdem Sacram Congregationem perlatum esse in eorum Dioecesibus praeter Festum dedicationis omnium istius Regni Ecclesiarum, quod habetur Dominica secunda Octobris, celebrari etiam diem anniversarium consecrationis propriae Ecclesiae Cathedralis, et quatenus ita se res habeat, hujusmodi morem consonum non esse et Decretis Sacrorum Rituum Congregationis, et ipsi rationi, eo quod propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium intelligitur comprehensum, et celebratum in Festo consecrationis omnium Ecclesiarum, ac propterea eamdem Sacram Congregationem vehementer optare, ut praedictum Officium Dedicationis propriae particularis Ecclesiae ex Calendario proximi anni expungatur.*"

1842, 24 Sept., n. 4801, 1 et 2, Ord. S. Francisci.

„1. An in die secunda Novembris fixe assignari possit, et ut in sede propria recitari aliquod Officium ritus duplicis?"

„2. An praetermitti possit Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi quacumque die de ea fieri contingat, ut reponi possit Officium ritus duplicis a propria sede translatum, addita vero IX Lectione, et commemoratione ipsius Dominicae?"

R. „Ad 1. *Negative juxta Rubricas et alia Decreta.*" Cf. dicta 2ª Novemb. II, 2°.

„Ad 2. *Negative, et juxta Decretum in Brixien. diei 27 Januarii 1778, solum quando in Sabbato occurrit dies 30 Decembris, ac proinde fieri deberet de sexta die infra Octavam, reponi potest Officium duplex translatum, attamen non exclusis commemorationibus quatuor Octavarum.*"

1844, 7 Decemb., n. 4839, I, V et IX, Mechlinien.

„Dub. I, q. 1. An Sacerdotes saeculares, qui censentur alicui Ecclesiae adscripti, quia Missas ibidem celebrant, Confessiones excipiunt, aut aliud quodcumque sacrum

ministerium exercent, possint Officium recitare de Patrono, vel Titulari ejusdem Ecclesiae (qui non est Patronus Civitatis, vel Loci), ut habeatur uniformitas inter Sacerdotes illos, et Pastorem ac Vicepastores Ecclesiae, qui celebrant Festum Titularis ejusdem ritu duplicis primae Classis cum Octava, etiamsi nulla adsit obligatio ad Chorum?"

„Dub. V... Quaeritur quomodo ordinari debeant Vesperae quando Festum Patroni principalis Ecclesiae, vel Loci ex gr.: Sancti Martini Episcopi occurrit pridie, vel postridie Anniversarii praedicti: an scilicet integrae persolvendae sint de Festo Dedicationis cum sola commemoratione Patroni, vel an sint dimidiandae juxta Decreta Sacrorum Rituum Congregationis 13 Martii 1804, et 20 Septembris 1806?" Cf. dicta *pag. 269.*

„Dub. IX, q. 1. An in Oratione Sancti Petri Coelestini solummodo dici debeat Beatum Petrum, non addendo Coelestinum; et an in Oratione Sancti Joannis Gualberti omitti debeat Gualberti, vel addi?"

„2. Juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12 Novembris 1837, ad Dubium XLIX. Oratio Sancti Bernardini Senensis die 20 Maii modo solito est concludenda, quia nomen Spiritus quod in ea legitur, non indicat Spiritum Sanctum. Quum autem eadem verba — *Spiritum tuae dilectionis* — habeantur in Oratione Sancti Camilli de Lellis die 18 Julii, quaeritur an in conclusione etiam omitti debeat vox — *ejusdem*?"

R. „Ad dubii I, quaestionem 1. *Juxta alias decreta, negative: non enim, censeri, sed revera esse debent adscripti stricto servitio Ecclesiae uti Parochus et Viceparochus.*"

„Ad dubium V. *Integras esse persolvendas de Dedicatione juxta alias Decreta.*"

„Ad dubium IX, quaest. 1. *Posse addi* — Coelestinum — *deberi omitti* — Gualberti — *quum non sit nomen.*"

„Quaest. 2. *Omittendam esse juxta citatum Decretum.*"

1845, 6 Sept., n. 4885, 2, Meliten.

„2. An Festa secundaria Domini, Beatissimaeque Virginis, in concurrentia cum Officio aequalis ritus, debeant gaudere praecedentia?"

R. „Ad 2. *Affirmative.*" Supponitur autem eadem solemnitas extrinseca, *pag. 271, n. 6.*

1846, 23 Mai., n. 4904, IV, Tuden.

„IV. Ecclesia Collegiata (Sancti Petri de Creciente intra fines Dioecesis Tuden.) habet quatuor alias Ecclesias sibi subjectas, et totidem Sacerdotes, unum ab alio independentem servitio harum quatuor Ecclesiarum. Sed isti Sacerdotes in suis respective Ecclesiis dumtaxat pro commoditate populi concurrentis Missam celebrant, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta administrant, Concionem habent, Catechismum explicant, et alia Ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum Baptismi, Communionem Paschalem, Viaticum infirmis, Sepulturam defunctis dare, neque habent Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti. Unde Fideles his quatuor Sacerdotibus subjecti tenentur adire Ecclesiam Collegiatam, ut in Pascha satisfaciant praecepto annuae Communionis, ut infantes baptizentur, et infirmi Sacro reficiantur Viatico, ut fiat Officium Sepulturae, et tumulentur defuncti. Quaeritur ergo an ii quatuor Sacerdotes sint veri Parochi? Et an istae Ecclesiae possint celebrare Officium cum Missa de suo respective Sancto Titulari, tamquam Ecclesiae Parochiales, et quidem sub ritu primae Classis, et cum Octava; vel potius dicendae sint Capellae publicae, in quibus juxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 12 Novembris 1831. — *Festum Titularis . . . non debet celebrari sub ritu duplicis primae Classis cum Octava, neque cum Credo?*"

R. „Ad IV. *Negative ad utrumque et servetur Decretum diei 12 Novembris 1831.*" Vid. *pag.* 205.

1847, 27 Feb., n. 4925, Tarentin.

„Ad omnem ambiguitatem eliminandam in ordinando Calendario Civitatis ac Archidioecesis Tarentin. Magister Caeremoniarum Metropolitanae illius Ecclesiae anceps haeret quodnam Decretum Sacrorum Rituum Congregationis potissimum sequi debeat in assignandis commemorationibus Patronorum in Laudibus ac Vesperis dum Loca particularia praeter Patronum Dioecesis, alium suum praecipuum venerantur Sanctum Patronum. Etsi enim usque ab anno 1683 duodecimo Calendas Decembris sancitum fuerit de principaliori tantum Patrono instituendam commemorationem in Locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis; attamen de anno 1721 septimo Idus Junii praecipitur: *Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono*

Dioecesis, secundo de Patrono Loci; eamdem Sacram Congregationem Rituum enixe rogavit, ut declarare dignaretur quid in casu exequendum? Quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis coadunata, referente me subscripto Secretario, probe intelligens Decretum diei 20 Novembris 1683, loqui tantum de pluribus Patronis ipsius Loci, ac illud praecipere observantiam Rubricarum, quae praeter Patronum integrae Dioecesis, cujus Commemoratio institui debet in ipsa Dioecesi, admittunt Patronum praecipuum cujusque Loci, rescribendum censuit ad propositam quaestionem: *Servandum in casu Decretum diei 7 Junii 1721.*" *N. 3797.*

Eodem die et anno, n. 4926, 3 et 5, Ruremunden.

„3. Utrum Professores, nec non Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus teneantur ad Octavam Patroni Ecclesiae Seminarii, quae omnibus patet fidelibus, vel potius retinere Patronum Civitatis, in qua Seminarium situm est?

„5. Ecclesia Seminarii Ruremundensis, quae quamvis Parochialis non sit, tamen omnibus patet fidelibus, quaeque Titularem Patronum habet Sanctum Carolum Borromaeum; petitur num Festum hujus Sancti quarta Novembris die, per modum Festi Patronalis sub ritu duplicis primae Classis cum Octava a Praeside, Professoribus, atque Alumnis Seminarium inhabitantibus celebrari possit, ac valeat, et inter suffragia ad Vesperas, et Laudes de eodem Sancto Carolo, ut in Breviario, commemoratio fieri debeat?"

R. „Ad 3. *Teneri ad Octavam Titularis Ecclesiae adnexae.*"

„Ad 5. *Jam provisum in tertio dubio. Fieri autem debere commemorationem in Suffragiis ad tramites Rubricae.*"

11 Sept., n. 4957, 1 et 2, Taurinen.

„1. An tolerari possit usus ut tempore Sacri Adventus, et Quadragesimae in Dominicis ad Missas solemnes, et Vesperas pulsentur Organa?

„2. An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu, praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentiae? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae,* et Offertorii, ac post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis?"

R. „Ad 1. *Quoad Organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem, non obstante consuetudine.*"

„Ad 2. *Vel non celebrandas Missas defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant.*"

1848, 23 Sept., n. 4980, 1 et 2, Vapincen.

„1. An quoties in Divino Officio locum habent Commemorationes Communes, seu Suffragia Sanctorum, fieri debeat Commemoratio de Patrono loci? an de Titulari Ecclesiae? an de utroque?

„2. An in Ecclesiis ubi Beatissima Virgo Maria est Titularis, sufficiat Commemoratio ipsius communis, vel potius fieri etiam debeat de peculiari Titulo, sub quo Ecclesia Deo dicata fuit in honorem ipsius Deiparae? vel saltem hoc in casu, an addenda sit commemoratio Sancti Patroni loci?"

„Et S. C. .... utrique Dubio satisfaciendum censuit per generale responsum: *Serventur Rubricae, et Decreta.* Quum enim in Breviarii Romani Rubricis Titulo XXXV, habeatur quod facienda sit commemoratio de Titulari, vel Patrono Ecclesiae, liquido apparet nil faciendum de Patrono Loci, nisi in casu quod insimul sit Ecclesiae Titularis; quod pluries Sacra ipsa Congregatio definivit, ac praesertim de anno 1690, quarto Idus Junii in una Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ad Dubium III, postquam ad Dubium II declaraverat quod pro Beata Maria Virgine Titulari, quocumque demum sub speciali Titulo Ecclesia Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicata sit, sufficiat Commemoratio Communis ante Completorium post Vesperas Sabbati in eodem Breviario assignata. Quae quidem Commemoratio communis Deiparae sufficit etiam quando Ecclesia nullum alium Sanctum in Contitularem habet; nam de Patrono Loci, neque hoc in casu instituenda est commemoratio."

Decreta, quae sequuntur, nondum referuntur in collectione Authentica, séd desumpta sunt ex collectionibus quibus titulus: *Correspondance de Rome.* — *Analecta juris Pontificii.* Vide dicta *pag. 25 sq.*

1850, 7 Sept., Rupellen., ad 8, 18, 19 et 20.

„8. Litaniae SS. Nominis Jesu suntne approbatae, indulgentiisque ditatae?"

„18. An liceat in consuetis SS. Sacramenti Benedictio-

nibus ex Ordinarii dispositione addere varias preces ex gr. in honorem B. M. Virginis, Sanctorum?"

„19. Quo ordine variae illae preces additae cantandae, ante vel post *Tantum ergo?* Si plures versus, responsoria, et orationes dici debent, suntne singula propriis locis reponenda, vel simul omnia jungenda? Quaenam tunc orationis ultimae conclusio, brevis, an longa?"

„20. An sub specie laudabilis consuetudinis possit intra benedictionem SS. Sacramenti ter a Sacerdote incensari SS. Sacramentum?"

R. „Ad 8. *Negative in omnibus.*"

Hoc autem Responsum, stante Bulla Sixti PP. V, *Redditurī*, intelligendum est de sola approbatione. Etenim praefatus Pontifex, per dictam Bullam 11 Julii 1587, concessit trecentos dies indulgentiae Christi fidelibus, qui recitaverint Litanias SS. Nominis Jesu. Quae Bulla legitur in Bullario Regularium quod inscribitur: *Nova Collectio ... privilegiorum Regularium...* Antverpiae 1616, pag. 394. Et ejusdem fit mentio in *Raccolta* (citata supra *pag. 125*), occasione Litaniarum B. M. V., *pag. 183.*

R. „Ad 18. *Licere collectas addere post orationem SS^mi Sacramenti.*"

„Ad 19. *Collectas tantum sine versiculis, et responsoriis ordinandas ut ad proximum simul jungendas cum oratione brevi.*"

„Ad 20. *Servandam esse consuetudinem.*" Cf. *pag. 366 sqq.* — *Correspondance de Rome, 24 Février 1851.*

1854, 12 Aug., Lucionen., 32, 41 et 65.

„Dubium XXXII. Juxta indultum de reductione Festorum diei 9 Aprilis 1802 auctoritate Pii Papae VII datum, et instructionem Cardinalis Caprara 21 Junii 1804 celebratur apud nos in Dominica, quae subsequitur octavam omnium Sanctorum Anniversarium Dedicationibus omnium Ecclesiarum Galliae. Quaeritur autem utrum in hoc Festo fieri debeat commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in aliis Ecclesiis sicut nonnulli dicunt? vel potius omitti debeat commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, sicut alii dicunt innixi in eo quod hoc Festum generale Dedicationis omnium Ecclesiarum Galliae comprehendat ipsam Dedicationem Cathedralis, cujus commemoratio sic videretur superflua?"

„Dubium XLI. Singulis annis dimidia pars Cleri Dioe-

cesani ad exercitia spiritualia obeunda in seminarium convenit, ibidemque in Ecclesia Seminarii Officium Divinum, non quidem modo, aut ritu chorali, sed modo quasi privato una recitant. Quum autem varii sint Titulares diversarum Ecclesiarum, varia sunt etiam suffragia in semiduplicibus, et infra dicenda; imo aliquando, nonnulli presbyteri habent Officium peculiare pro sua Ecclesia recitandum, ob octavam Festi Titularis nondum absolutam. Quaeritur ergo utrum ad servandam piam consuetudinem officium una recitandi, quae ad aedificationem exercitantium non minime confert, licet in hoc casu Presbyteris omittere suffragium, aut etiam Officium suae Ecclesiae speciale, et se conformare Officio Ecclesiae Seminarii in quo recitant, vel Ecclesiae Cathedralis?"

„Dubium LXV. Juxta Decretum 7 Septembris 1816 in *Tuden.* ad 40 congruit, ut fert praxis universalis praesertim Urbis, fieri inclinationem capitis quum pronunciatur nomen SS^{mae} Trinitatis; imo Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. VI, n. 8, praescribit inclinationem profundam in fine hymni quum nominatur Sancta Trinitas. Exinde autem aliqua oriuntur dubia: 1. An haec inclinatio locum habeat quoties fit expresse mentio Sanctissimae Trinitatis, sive per enumerationem personarum v. g. *Genitori genitoque*, etc., *Procedenti ab utroque;* sive per nomen ipsum Trinitas, vel per haec verba *Trinus et Unus;* aut similia ut tradunt Bauldry, Manual. Caerem. part. 2, cap. IV, n. 2, et alii? 2. An fieri debeat etiam quando Clerus est genuflexus v. g. quando in sacra Functione Repositionis Sanctissimi Sacramenti cantatur, *Genitori?* 3. An facienda sit ad totam stropham, in qua nominatur Trinitas, quum in ea datur gloria Deo, prout in stropha: *sit salus illi — Trinus et Unus:* aut cum in ea exprimitur invocatio Dei v. g. *Nunc Sancte nobis Spiritus?* vel dumtaxat ad verba, per quae fit mentio Trinitatis etiamsi supersint duo tantum versiculi, aut unus solus supersit? 4. An fieri debeat etiam ad verba strophae nec glorificationem Dei, nec invocationem exprimentia v. g. in primo versiculo hujus strophae: *Jam sol recedit igneus, Tu lux perennis unitas, Nostris Beata Trinitas:* vel inchoanda sit cum verbis glorificationis, *Tu lux perennis* ... aut supplicationis, etc. 5. Quatenus inclinatio facienda sit ad totam stropham, vel ad duos, vel tres versiculos, quaeritur an eo tempore clerus stans debeat

omnino conversus esse ad Altare, vel sufficiat profunde inclinare caput versus Altare semivertendo corpus, sicuti in inclinationibus quae fiunt ad unum verbum, aut ad pauca verba?"

R. „Ad XXXII. *Negative ad 1am partem. Affirmative ad 2am.*"

„Ad XLI. *A Rev. Episcopo supplicandum SSmo Dno Papae pro assequendo Indulto.*

„Ad LXV. Quoad quaestionem 1, *inclinationem faciendam quando nominatur nomen Jesu, vel simul expresse nominantur tres Personae ut in: Deo Patri sit gloria, vel quum dicitur expresse, Sancta Trinitas in fine Hymnorum.* Quoad quaestionem 2. *Negative.* Quoad quaestionem 3. *Ab inclinatione cessandum, quum post nominatas expresse tres Personas, vel* — Sancta Trinitas — *superest aliquis versiculus.* Quoad quaestionem 4. *Negative.* Quoad quaestionem 5. *Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.*

„Atque ita Sacra ipsa Congr. rescribere rata est, ac proposita dubia declarare." Cf. *pag. 20, n. 3 fin., pag. 23 3° et pag. 24, n. 13.*

LIBRI DE LITURGIA.

Supra pag. XI dictum est non omnes scriptores de rebus liturgicis eumdem scopum sibi proposuisse, et eos, qui eumdem sibi proposuerunt non eadem usos fuisse methodo. Nam 1° quoad objectum, alii investigant originem et sensum mysticum Rubricarum atque caeremoniarum, vel de jure liturgico breviter aut ex professo tractant, etc. (I), alii ipsas Rubricas aut Decreta colligunt et explicant, quaestionesve particulares tractant (II), alii utrumque agunt (III). 2° Quod vero attinet methodum in exponendis Rubricis, varia servatur. Alii exhibent compendium Rubricarum, ex fontibus primariis et secundariis confectum, singulo fonte inter se plus minusve distincto (IV), vel omnino confuso (V); alii praemittunt textum Rubricarum, et illum explicant (VI), vel, quasi textus appositus fuisset ad solam probationem, integram doctrinam tradunt unico contextu (VII). Auctores, praesertim quos consului, citantur in hoc indice juxta Classem ad quam potius referendi sunt, quaeque exprimitur per numeros romanos, correspondentes supra interpolatis. Dicitur *potius*, quia non raro objectum et methodus sunt mixta. Quod aliquatenus discerni poterit ex operum titulis qui citantur. Quaedam ex operibus liturgicis hic silentio praetermittuntur, vel quia non habentur ad manum, vel quia nullus aut minoris sunt momenti.

I. *Durandus*. „*Rationale divinorum* a R. D. *Gulielmo Durando*, Mimatense.“ Adjectum fuit aliud Rationale divinorum officiorum a *Joan. Beletho*. Duo tomi. *Lugduni 1605*. *Antverpiae 1614*.

Durantus, „*Joan. Steph. Duranti de Ritibus Ecclesiae catholicae libri tres.*“ Unicus tomus. *Parisiis 1624*.

J. B. de Rubeis. „*Novum Rationale divinorum Officiorum*, juxta Breviarii, Missalis et caeremonialis Romani recognitam editionem... Auctore *Joan. Bapt. de Rubeis*, genuense, clerico Reg. Congreg. Somaschae.“ *Venetiis 1628*.

Card. Bona. „*De divina Psalmodia*, ejusque causis, Mysteriis, et disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus historicus, symbolicus, asceticus... Auctore *Joanne Bona* e monte Regali

Congreg. Reform. S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Abbate generali, Sacrarum Congreg. Rituum, et Indicis Consultore." 1 vol in 4°. *Parisiis 1663.*

Idem Auctor. „*Rerum liturgicarum libri duo,* Auctore *Joan. Bona S. R. E. Card. Ordin. Cistercien.* in 4 tomos distributi." Editio, hic citata, est praecedentibus locupletior. Ibi „quaecumque ad Missae sacrificium, Rei liturgicae originem, statum, antiquitatem, successionem, originem, Ritus, Caeremonias, Ministerium, Disciplinam, seu notitiam spectant, proferuntur, disquiruntur, studio et labore *Roberti Sala* Taurinensis, ejusdem Ordinis." 4 vol. in fol. *Augustae Taurinorum 1747.*

Pinius. „*Liturgica Mozarabica;* tractatus historico-chronologicus de Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana, mixta; quam ex Hispaniae Conciliis ... collegit, digessit et illustravit *Joan. Pinius,* S. J." Duo tomi in fol. *Romae 1746.* Cf. pag. 82.

Martene. „*De antiquis Ecclesiae Ritibus libri tres,* ex variis insigniorum Ecclesiarum Pontificalibus, Sacramentariis, Missalibus, Breviariis, Ritualibus sive Manualibus, Ordinariis seu Consuetudinariis, cum manuscriptis, tum editis; ex diversis Conciliorum Decretis, Episcoporum Statutis, aliisque probatis Auctoribus permultis, collecti atque exornati a R. P. *Edmundo Martene,* Presbytero et Monacho Benedictino e Congreg. S. Mauri." 4 vol. in fol. *Bassani 1788.*

Benedictus XIV hic adnotari posset. Vid. pag. X.

Catalani. „*Rituale Romanum,* Benedicti XIV jussu editum et auctum perpetuis commentariis exornatum ac in duos tomos divisum quibus vetus, ac nova Sacrorum Rituum disciplina, Sanctorum Patrum ac insignium Ritualium testimoniis, Romanorum Pontificum et Conciliorum Decretis, Sacrarum S. R. E. Cardinalium Congregationum Responsis, ac variarum Ecclesiarum praxi recensetur, atque explicatur. Eidem SS. Patri dicatum, Auctore *Jos. Catalano,* presbytero Oratorii S. Hieronymi Charitatis." Duo tomi in fol. *Romae 1757.* Idem Auctor Commentarios scripsit ad Pontificale Rom. et ad Caeremoniale Episcoporum.

Dom Prosper Guéranger. „*Institutions liturgiques par le R. P. Dom Prosper Guéranger,* Abbé de Solesmes." Mans et Paris 1840 et suiv. Integrum opus constabit 5 vol. in 8°, quorum 1, 2 et 3 tantum edita sunt, Eruditus Auctor exponit

historiam Liturgiae usque ad saeculum XIX, et deinde agit de iis quae pertinent ad Officium divinum, SS. Missae sacrificium et ad Sacramenta aliasque sacras functiones.

Bouix. „*Tractatus de jure liturgico, Auctore D. Bouix.*“ 1 vol. in 8°. *Parisiis 1853.*

II. *Guyetus.* „*Heortologia,* sive *de Festis propriis Locorum et Ecclesiarum,* opus novum et intentatum hactenus, in quo propositis variis quaestionibus investigatur accurate, Origo, Ritus, Ratioque omnis celebrandi quaecumque Festa propria, adductis passim exemplis praecipuarum Ecclesiarum; quarum item jura, privilegia, consuetudines, variique usus, quoad Officia Divina attinet, discutiuntur, laudantur, illustrantur, Auctore *Carolo Guyeto,* Turon. S. J. Accedit Commentarius historicus et dogmaticus de dierum festorum celebratione, a *Ludovico Thomassino,* Congr. Oratorii presbytero conscriptus.“ 1 vol. in fol. *Venetiis 1729.*

Hippolytus a Portu. „*De cultu Dei et hominum* opus liturgico-morale, *liber primus liturgicus,* continens adnotationes ad Rubricas Missalis Romani de ritu, servando in celebratione Missae. Auctore *Hippolyto a Portu,* Vicentino, S. J.“ 1 vol. in 4°. *Venetiis 1738.*

Vinitor. „*Compendium sacrorum Rituum et caeremoniarum,* quae in Missis qua privatis, qua solemnibus, necnon Pontificalibus, et quibuscumque aliis Ecclesiasticis functionibus, et ex Rubricarum Missalis Romani, Caeremonialis Episcoporum praescripto, Bartholomaei Gavanti aliorumque probatissimorum Auctorum expositione servari debent... Editio 4ª, opera et studio R. *Gerlaci Vinitoris,* Basiliae S. Ursulae Coloniensis, dum viveret vicarii.“ 2 vol. in 18°. *Coloniae Agrippinae 1721.*

Lohner. „*Instructio practica prima de SS. Missae sacrificio,* juxta Ritum Romanae Ecclesiae offerendo, una cum Rubricis ejusdem Missae brevibus notis illustratis ... a *R. P. Tobia Lohner,* Soc. Jesu.“ 1 vol. in 18°. Editio 11ª. *Augustae Vind. 1769.*

— „*Instructio practica secunda de Horis Canonicis,* juxta Rubricas Brev. Rom. rite recitandis. In qua etiam ipsae Rubricae notis brevibus illustratae, et Martyrologii Romani nomina suis accentibus signata continentur... Auctore *Tobia Lohner,* Soc. Jesu.“ 1 vol. in 18°. Edit. 7ª. *Dilingae 1735.*

Spiridio Talu. „*Decreta authentica S. R. C. notis illustrata,*

Auctore R. D. *Spiridione Talu*, J. U. D. et SS. Rit. Professore." 1 vol. in 18°. *Augustae Vindelicorum 1775.*

Fr. Bartholomaeus a Clantio Capucino. „*Manuale Ecclesiasticorum*, seu Collectio Decretorum authenticorum S. R. C. quae cuilibet Ecclesiastico magis utilia vel necessaria censentur, addito ordine liturgico pro Oratione XL horarum." Editio altera Rom. emendata, et aucta, a P. Martinucci, Apost. Caerem. Mag. 1 vol. in 8°. *Romae 1845.*

Aloysius Gardellini. „*Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum* ex actis ejusdem Sacr. Congr. collecta, cura et studio sacerdotis *Aloysii Gardellini* ejusdem S. R. C. Assessoris, et sub-promotoris fidei. Editio altera emendatior." 8 vol. in 4° *Romae ab anno 1824 ad 1849.* Quam collectionem Gardellini usque ad annum 1826 perduxit, additis notis ad vol. 6 et sqq., et post ejus mortem, Josephus De Ligne usque ad annum 1848 continuavit notis etiam additis. Vid. n. 2, pag. 25.

Tertia editio incoepta et anno 1856, novissimis locupletata ejusdem S. C. Decretis, usque ad annum 1856, curante et dirigente D. *H. Capalti* S. R. C. Secretario. Ordo hujus Collectionis in duobus differt a praecedentibus: 1° Commentaria in Inst. Clem. XI, quae in edit. praec. adjiciuntur, ad instar appendicis, volumini VI, hic seorsim a Collectione imprimuntur et separatim acquiri possunt; 2° ordinatim inseruntur illa antiquiora S. C. decreta, quae cum serius Gardellinio innotuissent, emandare ipse debuit supplementi loco ad calcem vol. II et VII (tria nempe servato ordine seriei, ad calcem vol. II, et 146, sub specialibus numeris, a 1 ad 146, ad calcem vol. VIII). Inde mutata est numerica decretorum series: fere autem correspondens numerus haberi poterit, si numero secundae editionis tot addantur numeri, quot sunt decreta in supplemento vol. 7ⁱ, id est 146. Caeterum in quacumque editione idem est causae titulus, eadem data. Haec 3ª editio iisdem privilegiis eademque auctoritate potitur ac duae praecedentes.

Prodiit et alia compendiosa collectio, cui etiam titulus: „Sacrorum Rituum Congregationis Decreta authentica." Collector ea decreta selegit quae sibi visa sunt praecipua et utiliora. 1 vol. in 8°. *Leodii 1851.*

Ad hanc II seriem plus minusve referri possent plures

Auctores citati ad III, IV et V. Ad quod discernendum juvabit operis Titulus.

III. *Gavantus* et *Merati*. „*Thesaurus SS. Rituum a R. P. D. Bartholomaeo Gavanto* cong. Cleric. Regul. S. Pauli, S. R. C. Consultore, cum novis observationibus et additionibus R. P. D. *Cajetani Mariae Merati*, cler. Regul. ejusdem S. R. C. Consultoris.“ 2 tomi in fol. *Venetiis 1762.*

„R. P. *Joannis Cavalieri* Ord. Eremit. S. August. *opera omnia liturgica, seu commentaria in authentica S. R. C. decreta* ad Romanum praesertim Breviarium, Missale et Rituale quomodo libet attinentia, quinque tomis (in fol.) comprehensa.“ *Venetiis 1768.* Quintum tomum non perfecit Cavalieri. Attamen, in citata editione, reperitur collectus ex ipsius Auctoris manuscriptis schedis agitque de SS. Missae Sacrificio.

Cavalieri non mere explicat S. R. C. Decreta, sed simul tractat, et non raro fusiori calamo, quaestiones quae ad eamdem materiam pertinent, ita ut multa ibi reperiantur de Origine, de Sensu litterali et mystico Rubricarum. Quin, de materia, quam tractat, multa exponit quae ad Jus canonicum et ad Theologiam pertinent. — Ex his commentariis non raro depromuntur adnotationes Gardellinianae.

Quarti. „*Rubricae Missalis Romani commentariis illustratae,* quibus (servato Rubricarum ordine distincte) explicantur:

„I. Ritus Missae in sensu litterali.

„II. Sacratiora mysteria singulorum Rituum.

„III. Doctrina moralis et dubia conscientiae circa Ritus eosdem. Auctore Paulo M. *Quarti*, Cler. Regul.“ 1 vol. in fol. *Romae 1655.*

Baruffaldi, cit. ad VI.

Romsee, *Pisart*, } citati ad V.

Dom Guéranger, cit. ad I.

Fornici. „*Institutiones liturgicae* quas ad usum Seminarii Romani digessit *J. Fornici*, canonicus, ab apostolicis caeremoniis magister, S. C. Indulg. et SS. Reliq. consultor, necnon in dicto Rom. Seminario S. Liturgiae Professor.“ Editio nova. *Sancti-Clodoaldi 1851.*

IV. *Jansens*. „*Explanatio Rubricarum Missalis Romani,* Decretis Apostolicis, S. R. C. .. conformis; quam ex probatis Auctoribus ... collegit *F. Hermanus Jansens*, Ord.

FF. min. Recollect. S. T. lector jubil. et Provinciae Germaniae infer. exprovincialis." 1 vol. in 12°. Edit. 2ª. *Antverpiae 1757.*

Baldeschi, citatur ad V.

R. P. *Le Vasseur.* „*Cérémonial selon le rit romain,* d'après Joseph Baldeschi, maître des Cérémonies à la Basilique de Saint-Pierre de Rome, et d'après l'Abbé Favrel, vicaire général d'Arras, par le R. P. *Le Vasseur*, prêtre de la Congrég. du Saint-Esprit et du Saint-Coeur de Marie, directeur et maitre des Cérémonies au Séminaire colonial." 1 vol. in 18°. *Paris*, *Lecoffre 1857.* Prima editio prodiit ann. 1847.

Falise. „*Cérémonial Romain. — Cours abrégé de Liturgie pratique*, comprenant l'explication du Missel, du Bréviaire et du Rituel, à l'usage des Églises qui suivent le rit Romain, par M. l'abbé *Falise.*" 1 vol. in 8°. *Paris, J. Leroux, etc., 1853.* Altera editio prodiit aucta et correcta.

Auctor sibi proposuit multa paucis dare. „Nous voulions, inquit, en faire à la fois et un Manuel élémentaire, et un ouvrage approfondi... C'est donc ici plus qu'un ouvrage élémentaire; un mot souvent porte coup et décide des controverses épineuses."

Hippolytus a Portu, *Lohner*, } citati ad II.

V. *M. Bauldry.* „*Manuale Sacrarum Caeremoniarum*, juxta Ritum S. Romanae Ecclesiae. In quo omnia quae ad usum omnium Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, Saecularium, et Regularium Ecclesiarum pertinent, accuratissime tractantur. Opera R. P. *Michaëlis Bauldry*, quondam Latiniacensis; nunc vero Venerab. Eccles. Malleacens. Cathed. et Regularis Ordinis S. Benedicti, Magni Prioris." 1 vol. in 4°. *Lutetiae Parisiorum 1646.*

H. Pisart. „*Sacerdos evangelicus* ad Sancta Sanctorum accinctus, sive paraphrases et observationes in regulas et leges Pontificias Sacrificii novae legis directrices, id est *Missalis Romani Rubricas*, Auctore *Henrico Pisart*, Priore Canonic. Regularium Ordinis S. Aug. Congregationis Windesemensis, in valle S. Elisabeth prope Ruremundam." 1 vol. in 18°. *Coloniae Agrippinae 1708.*

Ab eodem. „*Caeremoniae Ecclesiae certis quibusdam diebus observandae*, a Dom. I Adv. usque ad festum SS. Corporis Christi inclusive, juxta Rubricas Missalis Romani,

Caeremoniale Ep., et S. R. C. decreta, ad mentem Bartholomaei Gavanti." Opusculum in folio 150 pag. additum *Directorio* Turrini. *Venetiis 1732.*

J. Turrinus. „*Directorium sacrificantium*, idest, tractatus de Sacris Missae Ritibus... Auctore *Joanne Maria Turrino.* Additis in fine opusculis..." 1 vol. in 4°. *Venetiis 1732.*

T. Romsee, SS. Rituum in Seminario Leodiensis professor, scripsit opera liturgica in quinque tomos distributa, quibus tituli: „*Praxis celebrandi Missam.*" Tom. I et II. „*Praxis divini officii.*" Tom. III. „*Sensus litteralis, moralis ac historicus Rituum ac Caeremoniarum Missae* ad mentem Rubricarum Breviarii et Missalis, necnon Decretorum S. R. C." T. IV. „*Collectio Decretorum authenticorum S. R. C.* cum notis." T. V. Ad calcem ejusdem tomi V. inseruntur Rubricae generales tum Missalis, tum Breviarii.

Tossanus-Josephus Romsee obiit 4ª Novembris 1809.

Ejus operum liturgicorum prodiit nova editio accurate revisa, novo ordine digesta variisque additionibus locupletata a *J. H. Hazé*, sacrae liturgiae in semin. Leod. Professore. 3 vol. in 8°. *Mechliniae 1854.*

J. Baldeschi. „*Esposizione delle Sacre Cerimonie della Messa privata e di alcuni quesiti concernenti la medesima*, edizione correcta accrescuita delle citationi della Rubrica, e corredata di molti Decreti della Sac. Cong. dé Riti, dal S. D. M. *Giuseppe Baldeschi*, Ceremoniere et Chierico Beneficiato della Basilica Vaticana." Tom. I, in 12°. *Romae 1844.* Tres subsequentes tomi exponunt Caeremonias in aliis sacris functionibus servandas, scilicet: II, in Missis et Vesperis solemnibus; III, in Missis et Vesperis Pontificalibus; IV, in principalibus functionibus anni, etiam in Ecclesiis parochialibus minoribus. In singulo tomo citantur fontes, unde desumuntur Caeremoniae expositae, sed non datur ipse Rubricarum textus. Unde hic Auctor citatur etiam hic ad IV.

J. Mohren. „*Expositio SS. Missae atque Rubricarum* seu *Catechismus liturgicus*, juxta dictata *R. D. J. Mohren*, Can. ad S. Cubertum, ac Rituum Magistri in Sem. archiep. Coloniensi, Jubilarii. Cura Maria del Monte. — De Missa, de ipsius generibus, Caeremoniis tam privatae quam solemnis, cum singulari respectu ad ritus Ecclesiae Coloniensis proprios. Accedunt plurimae dogmaticae, mysticae, asceticae, anagogicae, tropologicae significationes, desumptae ex

Auctoribus liturgicis ac varii appendices. — Notamina editoris." 1 vol. in 8°. *Augustae Trevirorum 1847.*

Andreas Piscara Castaldus, *Constantinus Hagerer*, *P. Halden*, *B. Corsetti*, *S. Buongiovanni*, *Collet* (Traité des SS. Mystères) et *Tetamus* referuntur apud D. Falise, brevibus cum observationibus.

VI. *Baruffaldi.* „*Ad Rituale Romanum commentaria*, Auctore *Hieronymo Baruffaldo*, Ferrariense, S. Inquisitionis Consultore." 1 vol. in fol. *Venetiis 1763.* „Editio novissima, a plurimis, quae in alias irrepserant, mendis, ad exemplar Auctoris ipsius manu correctum diligenter expurgata, et quod ad Ritualis ipsius textum attinet, ad recentem Benedicti XIV jussu vulgatam exacta." Accedit rerum et verborum Index atque Catalogus SS. Congr. Decretorum ad Rituale pertinentium.

Ad hanc Classem etiam pertinent Catalani (I), Hip. a Portu et Lohner (II), Gavantus, Merati et Quarti (III).

VII. *P. J. B. Deherdt.* „*Sacrae liturgiae praxis*, juxta Ritum Romanum, in Missae celebratione, Officii recitatione, et Sacramentorum administratione servanda: cura *P. J. B. Deherdt*, Archidioec. Mechliniensis presbyteri." Editio 3ª. 3 vol. in 12°. *Lovanii 1855.*

NONNULLAE ADNOTATIONES.

Pag. 23, R. 3°. Clausula, de qua ibi, omittitur etiam quando Responsa, aut saltem aliquod ex simul datis, versatur circa materiam liberam et datur a S. C. per modum meri consilii. Cf. Resp. 12 Aug. 1854 *in Lucionen.* Etenim, uti dictum est *pag. 20, n. 3 fin.*, Decreta obligant pro subjecta materia.

Pag. 75, ad n. 5 adde: De partibus Breviarii, cf. *pag. 376.*

Pag. 76, n. 4. Verba „non Romana", a Gavanto data, omittuntur in omnibus Breviariis quae consului, ideo delenda videntur. Si autem ea verba serventur, advertendum est, per Breviaria, quae hic nuncupantur non Romana, etiam comprehendi liturgias quae, *pag. 80, 2°, Romanae* dicuntur, quia, etsi non in omnibus, substantialiter tamen conveniebant cum liturgia Romana. A Gavanto autem illa Breviaria, quae *solum* substantialiter conveniunt cum Romano, dicuntur *non Romana.*

Pro dictis I et II, vide *pag. 69* quomodo, stricte loquendo, Festum et Officium inter se distinguantur. Aliquando autem haec distinctio non servatur. Sic Officium sumitur pro Festo, *pag. 140,* cum Cavalieri, verb. *Haec tamen.*

Pag. 98, lin. ult., post verba: *ad* libitum, adde sequentia: seu potius de non praecepto, juxta dicta *Tit. X, § 1, n. 5 et 8 fin.*

Pag. 122, lin. ult. Post *frequentarent,* haec adde: De tempore exercitiorum spiritualium, cf. R. R. C. in *Lucionen.* 12 Aug. 1854, 41.

Pag. 123, lin. 12 et 13. Delenda sunt verba: *teneturne matutinum repetere, aut.*

Pag. 139, lin. 4 a fine. Vox *idem* intelligenda non est de paritate omnimoda, sed solummodo de paritate quoad ritum, scilicet: Contitulares, de quibus agitur, celebrandi etiam sunt sub ritu dup. I Cl. cum Octava, non tamen simul, sed suis respectivis diebus.

Pag. 184, lin. 6. Post *S. Laurentii,* adde: ac S. Joan. Evang.

Pag. 196, lin. ult. Post *adhibetur,* supplenda sunt haec verba: Vox commemoratio.

Pag. 240, lin. 13 a fine. Post *immobilis,* addendum est: *e)* Dies 2 Novembris.

Pag. 259, lin. 22. Post verba, *sed O,* adde: Quo significatur recurrendum esse ad peculiares Rubricas.

Pag. 270. Responsum, datum cum D. Deherdt, intelligendum est, secluso privilegio. Cf. dicta *pag. 414* et ... ad dec... 17 Aug. 1771.

Pag. 293. De modo recitandi *Confiteor,* quando privatim dicitur Officium cum Socio, vid. dec. 12 Nov. 1831, 42.

Pag. 307, lin. 17. Post vocem *Nocturni,* adde: *Rub. pecul.* infra *pag. 404, 2°.* — Et *lin. seq.* post *n. 1,* adde: de Ascensione Domini vid. Tit. XIII, 3, et prop. loc. pag. 408.

Pag. 345. Ad not. 2) adde: Dec. 16 Octob. 1743, *Urbis.*

CORRIGENDA.

Pag.	*lin.*	*loco*	*lege:*
52	25	§ n. 4.	§ 1, n. 4.
65	7	Septies in die	septies
106	20	Provincia	provida
115	9	Breviarium	Breviarium Romanum
118	26	ad 2	ad 3,
123	5	ibi	Hi
130	11	supra	infra
150	25	43	41.
162	17	Dom. I Cl.	Dom. II Cl.
165	8	XIII	XXIII
178	5 a f.	poenam	quaenam
185	6	4	3.
195	17	et	etc.
200	11 a f.	loco	loco sacro
250	1	aequalitate	inaequalitate
272	2 a f.	alio dup. I Cl.	Patrono.